





MEA ANCHORA CHRISTUS.

IURISPRUDENTIAE
ANTEHADRIANAE
QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

F. P. BREMER

PARS ALTERA

PRIMI POST PRINCIPATUM CONSTITUTUM SAECULI

IURIS CONSULTI

SECTIO ALTERA



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

THEODORO MOMMSEN

VIRO UNICO

IURISPRUDENTIAE QUOQUE ROMANAE RESTAURANDAE

AUCTORI PRIMARIO

D. D.

III. Gaii Claudii Neronis Galbae Othonis Vitellii temporum iuris consulti.

IV. Vespasiani Titi Domitiani temporum iuris consulti.

V. Nervae et Traiani temporum iuris consulti.

Additamenta.

A quinto post urbem conditam saeculo prudentes, qui imperitis de iure consulentibus responsa dare solebant, iidem eos libros quibus aut civile aut honorarium ius interpretarentur, componere coeperunt, nec defuerunt qui priorum prudentium consilia colligerent collectaque digererent. ex Traiani autem aetate et ad principalia veterum opera, imprimis Q. Mucii et Masurii Sabini iuris civilis libros, commentarii componebantur, et alii priorum libri, veluti Labeonis posteriores, in epitomas redigebantur, quo factum est, ut libri illi commentati vel epitomati in usu esse fere desinerent. denique imperator Iustinianus cum nova Digesta componere statuisset, Triboniano quaestori haec mandavit ('Deo auctore' a. 530 Dec. 15): 'Iubemus .. vobis antiquorum prudentium ... libros ad ius Romanum pertinentes et legere et elimare, ut ex his omnis materia colligatur, nulla (secundum quod possibile est) neque similitudine neque discordia derelicta ... sed et hoc studiosum vobis esse volumus, ut, si quid in veteribus non bene positum libris inveniatis vel aliquod superfluum vel minus perfectum, supervacua longitudine semota .. quod imperfectum est repleatis ... hoc etiam nihilo minus observando, ut, si aliquid in veteribus legibus vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris posuerunt, non recte scriptum inveniatis, et hoc reformetis et ordine moderato tradatis, ut hoc videatur ... quasi ab initio scriptum, quod a vobis electum et ibi positum fuerit, et nemo ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat.'

Deinde a. 533 Dec. 16 idem Iustinianus 'ad senatum et omnes populos' scripsit ('Tanta' § 10): 'Tanta

autem nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo patiamur modo, sed unus quisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est'; et alio loco (§ 20): 'Ne autem incognitum vobis fiat, ex quibus veterum libris haec consummatio ordinata est, iussimus et hoc in primordiis Digestorum nostrorum inscribi, ut manifestissimum sit, ex quibus legis latoribus quibusque libris eorum et quot milibus hoc iustitiae Romanae templum aedificatum est.' cui edicto id quoque debetur, quod secundo libri primi titulo Sexti Pomponii fragmentum illud proponitur, quo non modo ipsius iuris, sed etiam civilis scientiae origo atque progressus describuntur. denique librorum ad nova Digesta facienda adhibitorum index ipsis Digestis praemissus est.

Sed quod Iustinianus antiquitatis memoriae cum pietate inserviens instituerat, eius medii aevi iuris consulti ab historiae studiis prorsus alieni rationem nullam habuerunt. atque Bononiensia quidem Digestorum exemplaria initio ita describi solita sunt, ut legum inscriptiones plenae retinerentur. 'contra in recentioribus libris qui repraesentant textum ordinarium, qualis legebatur in scholis aetate Accursii et deinceps, ex legum inscriptionibus non remansit fere nisi nudum nomen auctoris, reliquis non casu omissis, sed data opera expunctis'.[1] ita factum est, ut vel Guilelmus de Pastrengo, Petrarchae amicus, de viris illustribus disserens[2] fere omnes veteres iurisconsultos discipulos esse diceret Papiniani, veluti Catonem, Alfenum, Hermogenianum.

Renascentibus in Italia litteris veterum quoque prudentium memoria reviviscere coepit. iam fragmenta in Digestis servata ab iis qui humanioribus litteris operam navabant, cum admiratione legebantur: 'habent in se', inquit Ambrosius Camalduensis († 1439), 'plurimum dignitatis

1. Mommsen praefat. p. XXXXV sq. cf. Savigny Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter III[2] p. 481.
2. Savigny l. c. III p. 33.

veteremque elegantiam praeferunt, quam novi interpretes in tantum abest ut consequi potuerint, ut per imperitiam linguae saepe numero ne intelligant quidem'.[1] Maphaeus autem Vegius († 1458) 'tam vehemens', inquit, 'et recta iuris consultorum et dicendi et docendi ratio, tam integrum et pene divinum est iudicium, ut in hoc suo scribendi genere neminem eorum existimem qui eloquentia gloriam adepti sunt, parem ipsis ne dicam superiorem esse. ita factum est, ut qui antea auditu etiam leges abhorrerem, coeperim miro admodum amore inflammari degustata sapientissimorum legislatorum eruditione et elegantia. inter poetandum igitur transferebam me saepenumero ad lectionem Digestorum, quod et nunc facio ... pellectus summa vi dicendi, summo verborum ornatu et splendore sententiarumque maiestate, plurimum etiam maximarumque rerum traditione. persuasi mihi aliquando nihil tersius, nihil praeclarius et sempiterna laude dignius inveniri posse'.[2] denique Laurentius Valla (1407—1457) in Elegantiarum libris 'perlegi', inquit, 'proxime quinquaginta Digestorum libros ex plerisque iuris consultorum voluminibus excerptos et relegi cum libenter, tum vero quadam cum admiratione: primum quod nescias utrum diligentiane an gravitas, prudentia an aequitas, scientia rerum an orationis dignitas praestet et maiori laudi danda esse videatur; denique quod haec ipsa ita in uno quoque eorum omnia sunt egregia et perfecta, ut vehementer dubites quem cui praeferendum putes . . . utinamque integri forent! .. quod ad meum hoc opus attinet, non fraudabo iuris conditores debita laude ... per quotidianam lectionem Digestorum et semper aliqua ex parte incolumis atque in honore fuit lingua Romana, et brevi suam dignitatem atque amplitudinem recuperabit'.[3]

1. Savigny l. c. VI p. 423.
2. Savigny l. c. p. 430.
3. Hunc locum a Savignio, ubi de Valla disserit (VI, 433), non allatum proposuit Hugo in eo, quem primum edidit libro a. 1789: 'Eduard Gibbons historische Übersicht des röm. Rechts' p. 211 sq.

Brevi Pomponius Laetus, Vallae discipulus, cum ex Pomponii illo fragmento iuris consultorum nomina collegisset, in libello quem de Romanis magistratibus scriptum a. 1474 edidit, de iuris quoque peritis Romanis egit.[1] deinde Angelus Politianus, qui a. 1490 ad librum Florentinum viris doctis plerumque sedulo atque anxie prohibitum admissus est, non modo iuris consultorum nomina ex indice contulit, sed etiam fragmentorum, quae in primis Digestorum libris inveniuntur, inscriptiones collegit.[2] iam Guilelmus Budaeus (1467—1540) Vallae libro a. 1505, ut videtur, lecto ut Digestorum libros diligentius evolveret impulsus est. 'qua in lectione', inquit, 'cum multis in locis volumina ipsa partim mutilata, partim mendosa deprehendi, tum vero, quod flagitiosius esse multo arbitratus sum, verba multa non trivialis, sed antiquae ac probae monetae in alienum usum ignorantia temporum translata esse animadverti. ea indignatione permotus ausus sum ... iactare inter amicos, me aliquando facturum, ut Pandectae emendatius atque intelligentius legerentur'. sed cum intellexisset 'inconsultius' se id promisisse, 'videlicet viribus nostris necdum nobis exploratis nec praestandae rei difficultate satis excussa pensitataque', omisso quod coeperat opere annotationes potius etiamtum inusitatas sibi scribendas proposuit. quod opus primis anni 1508 mensibus, paulo post quam Ioannes Deganaius 'ad principem magistratum assumptus' erat, aggressus, cum quattuor et viginti librorum selecta fragmenta vel emendasset vel explicasset, cum praefatione ad novum Franciae cancellarium 'Parisiis pridie nonas Novembris' scripta eodem anno edidit. quibus in annotationibus Pomponii quoque illud fragmentum a iuris consultis ad id temporis fere prorsus neglectum philologica arte usus commentario instruxit.

Sequuntur Thomas Diplovataccius, qui opere 'de

1. Savigny l. c. p. 448.
2. Savigny l. c. p. 438. 442.

praestantia doctorum' annis 1500—1511 composito veterum prudentium libros ex Florentino codice, ut videtur, collectos descripsit[1], et Petrus Aegidius, qui primus a. 1517 iuris anteiustiniani fragmenta quaedam edidit,[2] et Udalricus Zasius, qui Budaeum secutus ad l. 2 D. de origine iuris, id est ad Pomponii fragmentum scholia scripsit, in quibus componendis et Gai epitomati et Pauli fragmentis novis paulo ante in monasterio Murbacensi repertis primus usus est.[3] iam a. 1525 Pauli sententiae et Gai epitome primum Parisiis editae sunt.[4] quattuor annis post Gregorius Haloander, cum a Norimbergensium senatu adiutus Digesta ederet, inscriptiones quoque fragmentorum usque ad librum XXV exhibuit.[5] denique Arnoldus Ferrandus a. 1536 Lugduni fragmentum novum ex Pomponii libris servatum[6] et Ioannes Tilius a. 1549 Parisiis Ulpiani quae dicuntur fragmenta edidit, quo libello ante Gaii ipsius institutiones repertas non erat melius veteris iuris prudentiae specimen.

Iam ut uno verbo rem complectar: novae cuiusdam iuris disciplinae eaeque gravissimae fundamenta iacta sunt: iuris scilicet Romani historiae. quam autem misera fuerit sententiarumin Digestis servatarum explicatio quis melius des cripsit quam poeta ille Gallorum gravissimus Franciscus Rabelais (1483—1553), qui in libro a. 1533 edito de adolescente quodam narrat: 'Ainsi vint à Bourges, où estudia bien long-temps, et proffita beaucoup en la faculté des loix. Et disoit aulcunes fois que les livres des loix luy sembloyent une belle robbe d'or triumphante et precieuse à merveilles, qui feust brodée

1. Savigny l. c. III p. 45.
2. Savigny l. c. VI p. 459.
3. Stintzing: Zasius p. 126ff. 180f.
4. 'Ad codicem manu scriptum Almarici Bouchardi'.
5. Mommsen praef. ad Dig. p. XVI. Stintzing Gesch. der deutschen Rechtswissensch. I p. 184 sqq. Savigny VI p. 438. 444.
6. In consuetudinum Burdigalensium commentariis p. 72 'e bibliotheca Petri Criniti Florentini'.

de merde. Car, disait-il, au monde n'y a livres tant beaulx, tant aornés, tant elegans, comme sont les textes de Pandectes; mais la brodure d'iceulx, c'est assavoir la Glose de Accurse, est tant salle, tant infame et punaise, que ce n'est que ordure et villenie.'[1] sed iam eodem tempore apud Bituriges ius docebat Andreas Alciatus (1492—1550), quo laudato Savignius noster operis de iuris Romani historia compositi finem fecit.[2] 'illud non diffiteor', inquit Alciatus[3], 'si antiquorum iuris consultorum opera extarent, ... Accursii et qui post eum scripserunt, minime necessarias futuras fuisse lucubrationes.'

Inscriptiones iam pro parte quidem restitutae quanto essent usui ad veterum prudentium libros restituendos cum perspexisset, Iacobus Cuiacius (1522—1590) fere inde ex a. 1547 undique conquisitis iis indicem sibi confecit, quo veterum librorum per Digesta dispersorum genuinus ordo apparebat pristinusque status aliquatenus adumbrabatur. Florentino deinde codice a Laelio Torello anno 1553 diligentissime edito a Cuiacio praeceptore iussus eiusdemque consilio adiutus novum fragmentorum indicem confecit Carolus Faber, optimis subsidiis usus. at emendatiorem etiam composuit Iacobus Labittus, et

1 Operum Paris. a. 1858 editorum I p. 199. neque id praetermittendum puto, quod idem poeta in libro qui post mortem eius a. 1564 editus est, de Florentino codice, quo docti abstinere cogebantur affert (l. c. II p. 297): 'Panurge fist tant par belles prieres avec les sindicqs du lieu qu'ils le nous monstrerent (sc. un flasque de Sang ureal, chose divine et à peu de gens congnue): mais ce fut avec plus de ceremonie et solennité plus grande trois fois, qu'on ne monstre à Florence les Pandectes de Justinian, ne la Veronnique à Rome'.

2. Geschichte VI p. 421. 475. 'Blicken wir nun ...', haec eius verba ex p. 471 huc afferre iuvat, 'unsern Standpunkt am Schluss des fünfzehnten Jahrhunderts wählend, in die vor uns liegende Zukunft, so konnte es schon damals einem unbefangenen Blick kaum verborgen bleiben, dass die Rechtswissenschaft eine vollständige Umwandlung erfahren müsse'.

3. De verborum significatione. Francof. 1582 p. 671.

ipse Cuiacii auditor, quem 'omni ex parte absolutum' ratus publici iuris fieri voluit Cuiacius, sed ita quidem, ut usus eius variis exemplis demonstraretur. 'quod cum plenius facere instituissem', inquit Labittus, 'ut quid singulis iurisconsultorum libris tractaretur, quantum ex iis quae supersunt fragmentis coniici posset indicarem, ut quae coniungi inter se et adnecti possunt legum capita monerem, ut alia ex aliis interpretationem sumere oporteat, et ut alia cum aliis, quae pugnare videantur, nonnunquam Indicis nostri auxilio conciliari debeant exequerer, fecit pene importuna iuris studiosorum flagitatio, ut .. simplici atque nuda Indicis editione institutum illud nostrum antevertere cogeremur'. prodiit igitur liber Lutetiae a. 1557.

'Publica quidem est, vir clarissime', ut auctor Michaelem Fàbrum, Caroli illius patrem, alloquitur, 'nec ea fortassis iniusta quaerimonia, quod ex tam multis tamque variis veterum iuris consultorum libris adeo pauca nobis et male plerumque concinnata fragmenta .. supersint ... neque enim quemquam reperias verae germanaeque iuris prudentiae studiosum, qui non ea vehementer iuris auctorum monumenta desideret, ex quibus tum venerandae antiquitatis cognitio eliciatur, tum etiam vera iuris interpretatio depromatur. inde vero factum est, ut quas nobis Pauli sententiarum et Caii institutionum libros Germania protulit, quos in publicum v. c. Ioannes Tilius Ulpiani titulos emisit, tam multi ita avide arripuerint, ita cupide legerint, ita studiose ad iuris illustrationem accommodaverint, ut ex iis iam non minimum iurisprudentiae lumen accesserit. quid si tandem aliquando ... vel Ulpiani vel Pauli vel aliorum iurisconsultorum integra monumenta prodeant? ... sed quando id quod tantopere optamus ... non habemus, tantum illud tamque iustum iuris studiosorum desiderium interim, dum spe aliqua meliore sustentatur, hac ratione quodammodo explendum putavimus.' iterum emissus est index Venetiae a. 1566, iam auctus tractatu 'de usu iudicis'.

Inde ex a. 1556 in lucem prodierunt Cuiacii Observationum et Emendationum libri XXVIII, quorum similes, si fructum spectes, nulli exstant. secutae sunt eiusdem viri de his studiis unice meriti a. 1558 in Pauli sententiarum ad filium libros V interpretationes, et usque ad a. 1588 recitationes sollemnes ad Africani, Papiniani, Pauli, Modestini, Iuliani, Marcelli, Scaevolae libros vel omnes vel certe Responsorum, Quaestionum, Digestorum, ad edictum, alios, quae recitationes inde ex a. 1570 vel ab ipso vel ab auditoribus editae sunt.[1] accessit commentarius in Digestorum titulum de origine iuris a. 1585 editus.

Cuiacii studia persecuti sunt et auditores et aemuli plures, quorum inter illos inprimis nominandus est Petrus Pithoeus (1539—1596), qui Mosaicarum et Romanarum legum collectionem a. 1573 Parisiis edidit, adiecto 'Modestini fragmento novo.

Inter aemulos Cuiacii eminent Franciscus Balduinus (1520—1573) et Antonius Augustinus Hispanus Caesaraugustanus (1517—1586). atque ille anni 1555 mense Aprili Argentorati, insequenti anno Heidelbergae professoris munere functus a. 1558 Basileae commentarium edidit de iuris prudentia Muciana eximiae doctrinae plenum. 'Equidem', inquit, 'nunquam possum sine magno dolore veteres iurisconsultos intueri tam misere abs Triboniano discerptos ... sed tanto magis velim dissecta eorum membra colligi et veluti religiosas reliquias adservari, ex quibus profecto aestimare etiam nunc licet, quantus fuerit veteris iurisprudentiae splendor, quanta amplitudo et maiestas'. Augustinus vero et a. 1543 Emendationum et Opinionum libros IV et a. 1579 tractatum de nominibus propriis *τοῦ Πανδέκτου* Florentini edidit. composuit praeterea similes atque Labittus indices, sed auctos ceteris iuris prudentiae antiquae fragmentis, quae extra corpus iuris tradita tunc nota erant. quod ut perficeret, iam anno

1. E. Spangenberg: Jacob Cujas. Leipzig 1822 p. 245sq.

1542, dum Florentiae moratur, a Cosmo Medice, Tuscorum duce, impetraverat, ut codice Florentino uti sibi liceret, adiutoribus Ioanne Metello et Laelio Taurello, propter legendi difficultatem etiam Angeli Politiani libris adhibitis.[1]

Anno 1574 Iohannes Wolfgangus Freimonius Bavarus (1546—1610) a Donello, Valentino Forstero, Nicolao Cisnero, Iohanne Fichardo adiutus 'Symphoniam iuris utriusque chronologicam' edidit, qua, ut alia praeteream, cum imperatores inde a Caesare usque ad Iustinianum eorumque constitutiones, tum iurisconsultos eorumque libros aetatis ratione habita separatis versuum columnis et disposuit et comparavit, librorum fragmentis quae in Digestis servata sunt indicatis.[2] quo ex opere diligentissime composito ad hanc doctrinam multum utilitatis redundasse constat.

Augustini atque Cuiacii praeceptoris vestigiis insistens Iacobus Lectius (1560—1611) a. 1592 ad Modestinum de poenis, deinde a. 1601 de vita et scriptis Domitii Ulpiani tractatum scripsit. in eodem studiorum genere versati sunt plures, in his Edmundus Merillius (1579—1647), qui de Pauli libris Manualium et de Callistrati libris Quaestionum disputavit.

Insequenti saeculo XVIII Abraham Wieling (1693—1746) pleniorem indicem a. 1727 edidit sic inscriptum: 'Iurisprudentia restituta, sive index chronologicus in totum iuris Iustinianei corpus, ad modum Iac. Labitti, Ant. Augustini et Wolfg. Freymonii, nova tamen et faciliore methodo collectus'. deinde postquam Henricus Brencmann Roterodamensis (1686—1736)[3] atque Iohannes Salomo Brunquell (1693—1735), quorum ille de crisi in Digestis exercenda, hic de historia iuris optime meritus est, vel de restituendis veterum prudentium libris cogita-

1. Th. Mommsen praef. ad Digesta p. XVI.
2. Stintzing, Gesch. I p. 512 sq.
3. Mommsen praef. p. XVIII.

verunt, sed proposito ut difficillimo destiterunt,[1] leviore animo rem expedivit Carolus Ferdinandus Hommel Lipsiensis (1722—1781), qui, cum adulescens a. 1747 'propositum de novo systemate iuris naturae et gentium ex sententia veterum ictorum concinnando' concepisset, inde ex a. 1767 'Palingenesiam librorum iuris veterum sive Pandectarum loca integra ad modum indicis Labitti et Wielingi oculis expositam' composuit. 'cum fere per lustrum', inquit ipse, 'non alia nisi foro profutura ... publicaverim, ne docti homines me litteraturam curasse suspicentur, accelerandam putavi editionem huius Palingenesiae diu promissam, per quam libros veterum iurisconsultorum discerptos a Triboniano restituimus'. quodopus iam insequenti anno ad finem perductum quamquam nomini ab ipso auctore dato nullo modo respondit, aliquatenus tamen satisfecit Gothofredi aliorumque virorum doctorum desiderio ipsa librorum fragmenta collecta habendi, neque fructu caruit.

Novae scholae historicae quam dicunt principes, Gustavus Hugo (1764—1844) et Carolus Fridericus Savigny (1779—1861), viri quamvis eximie de iuris Romani historia meriti, haec studia, quod videam, adeo non secuti sunt, ut Savigny de veteribus iurisconsultis a. 1814 haec scripserit '... wenn wir ihre Schriften vollständig vor uns hätten, würden wir darin weit weniger Individualität finden als in irgend einer anderen Literatur'; existimabat enim illos non ingenia propriae indolis atque naturae, sed veluti 'personas fungibiles' fuisse (Vom Beruf unserer Zeit zur Gesetzgebung p. 29 et 157).[2]

Inde ex a. 1816, quo anno Gaius Veronensis ab ob-

1. Cf. Landsberg, Geschichte der deutschen Rechtswissenschaft III 1 p. 176 et notarum liber p. 156.

2. Verba plena sunt: 'Unter den Römern zur Zeit des Papinian war ein Gesetzbuch möglich, weil ihre gesammte juristische Literatur selbst ein organisches Ganze war: man könnte (mit einem Kunstausdruck der neueren Juristen) sagen, dass damals die einzelnen Juristen fungible Personen waren'.

livione vindicatus et virorum doctissimorum opera et studio magis magisque restitui coeptus est, non modo de hoc iuris perito, sed etiam de aliorum veterum libris iniquitate posteriorum temporum misere corruptis aequius iudicare licuit. Savigny quidem, cum in libro illo qui inscribitur Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter II p. 56 de Pauli sententiis, quas Visigothi adhibuerunt, haec scripsisset 'das ... Buch des Paulus gehört gewiss in Plan und Ausführung unter die schlechtesten nicht nur dieses Verfassers, sondern der römischen Jurisprudenz überhaupt', interim Gaio Veronensi cognito in volumine III a. 1822 edito p. 660 haec adiecit: 'Die Institutionen des Gaius, deren grossen Reichtum wir erst jetzt zu beurteilen vermögen, sind durch die westgothische Bearbeitung ganz unbedeutend geworden, und vielleicht ist das Buch des Paulus durch diese Bearbeitung nicht weniger als das des Gaius entstellt'. quae verba in secunda quoque operis editione inveniuntur (II p. 57), sed ita mutata: 'vielleicht ist das Buch des Paulus durch geistlose Abkürzung nicht viel weniger entstellt'. at quod de fungibilibus veterum prudentium personis dixerat, ne in iteratis quidem opusculi editionibus mutavit.[1]

Nostra aetate, cum Theodorus Mommsen Digestorum novam editionem omni arte critica ornatam paravisset et post Adolphi Friderici Rudorffii curas[2] edictum perpetuum ab Ottone Lenelio optime restitutum esset, iam videbatur librorum in Iustiniani Digestis adhibitorum vera quaedam palingenesia componi posse. et edidit opus desideratissimum et ad ius Romanum et veterum iurisprudentiam penitus cognoscendam utilissimum idem vir doctissimus Lenel anno 1889.[3]

---

1. Vom Beruf etc. Neudruck nach der dritten Auflage (1840). Freiburg 1892 p. 96.
2. De iurisdictione edictum. 1869.
3. Palingenesia iuris civilis. Iuris consultorum reliquiae quae Iustiniani Digestis continentur ceteraque iurisprudentiae civilis fragmenta minora secundum auctores et libros disposuit O. L. Lipsiae. 2 voll. 4°.

Antehadrianae iurisprudentiae edendae consilium ipse ante hos viginti quinque fere annos cepi statimque cum bibliopola de omni genere literarum optime merito communicavi. sed quominus rem propositam aggrederer, nedum expedirem, aliis officiis per longum tempus impedientibus, cum interim Otto Lenel Palingenesiam editurus esset, collegam monui, ne iuris publici sacrique fragmenta neglegeret neve iuris consultos secundum ordinem alphabeticum, sed potius temporis ratione habita collocaret; quod si petenti mihi concessum esset, a proposito illo desistere cogitabam. quod cum secus factum esset, optimis auxiliis iam paratis propositum opus mihi tandem aggrediendum erat.

Sed priusquam de ratione in hoc opere sequenda exponam, praemittendum est, quid de Pomponiani illius fragmenti, quo de antehadrianae quoque aetatis iuris consultis traditur, condicione sentiam. quod P. Krueger vir doctissimus dicit (Gesch. p. 177 n. 24): 'dass der Abriss der Rechtsgeschichte in Dig. 1, 2, 2 sprachlich vielfach Anstoss erregt, liegt an der verdorbenen Überlieferung', libellum illum iam ante Iustinianum depravatum fuisse videtur existimare. at ipsum Tribonianum quoque Pomponii narrationem varie mutasse non modo suspicari, sed satis demonstrare licet.

Ad haec verba, quae in principio leguntur: 'necessarium . . nobis videtur' 'ipsius iuris originem atque processum demonstrare' verbis §[i] 13 sic remittimur: 'Post originem iuris et processum cognitum consequens est, ut de magistratuum nominibus et origine cognoscamus'. quibus rebus §§ 14—34 narratis improviso ac subito in § 35 haec sequuntur: 'Iuris civilis scientiam plurimi et maximi viri professi sunt', cum de iuris civilis scientia dictum iri ne verbo quidem praemonitum sit. nam quae in § 13 post verba supra allata leguntur: 'post hoc dein de auctorum successione dicemus', a Triboniano ex posteriore capite (§§ 48—53) huc translata atque inter §§ 34 et 35 quaedam intercidisse iudico. quid vero dictum fuerit, conici

potest, si ad priora recurrimus. post verba enim illa: 'consequens est, ut de magistratuum nominibus et origine cognoscamus' § 14 sic incipit: 'Quod ad magistratus attinet', quae verba ad aliam rem videntur spectare quae olim cum magistratibus coniuncta iisque praemissa fuerat. quae res qualis fuerit, Ulpiani Institutionum fragmento indicatur, ubi haec leguntur (D. 1, 1, 1, 2): 'Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum. publicum ius est quod ad statum rei Romanae spectat, ... publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit'. accedunt imprimis ea quae Festus p. 245 de publicis sacris et Livius I 20 de pontificum officio tradunt: 'publica sacra' (sc. sunt), 'quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus pagis curis sacellis; at privata, quae pro singulis hominibus familiis gentibus fiunt.' 'pontificem . . Numam ... ex patribus legit eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subiecit, ut esset, quo consultum plebes veniret, ne quid divini iuris neglegendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo turbaretur; nec caelestes modo caerimonias sed iusta quoque funebria placandosque manes ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus aliove quo visu missa susciperentur atque curarentur.'

Responsorum igitur a pontificibus datorum duo genera esse apparet: unum eorum quae privatis, alterum idque principale eorum, quae regi, magistratibus, senatui data sunt. utriusque generis exempla vel hodie extant. nam et sic scriptum videmus: 'in eo qui in nave necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius' (I p. 33). et alterius generis exempla haec sunt: 'P. Scaevola pontifex maximus pro collegio respondit: quod in loco publico Licinnia, Gai filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non viderier' (I p. 33), et praetorem qui diebus nefastis tria

illa verba prudens dixisset, Q. Mucius aiebat expiari ut impium non posse (I p. 57).

Pomponium quoque, cum iuris Romani originem explicare sibi proposuisset, ut ceteros sacerdotes neglegam, certe de pontificibus non dicere non potuisse, Triboniano vero hoc Pomponii caput omittendum fuisse negari nequit. itaque in § 13 haec fere Pomponium scripsisse censeo: 'consequens est, ut ⟨tam⟩ de magistratuum ⟨quam de sacerdotium publicorum⟩ nominibus et origine cognoscamus.'

Ac ne in mutilato quidem Pomponii fragmento harum rerum vestigia desunt: nam et de collegio pontificum (§ 6) et de maximis duobus pontificibus ut iurisconsultis eximiis disserit (§§ 39. 41). sed quod maximi momenti est: vel eiecti illius capitis fragmentum videtur extare alieno loco insertum, scilicet § 6: '(ex isdem [sc. legibus XII tabularum] legis actiones compositae sunt). omnium tamen harum(?) et interpretandi scientia et actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur quis quoqu*e* anno prae*sto* esset privatis'.[1] ut eorum quae dixi summam faciam: hanc 'interpretandi scientiam' et illam 'iuris civilis scientiam' in eodem capite olim a Pomponio expositas fuisse veri simillimum est. itaque si quis Pomponii fragmentum, quoad hodie fieri possit, restituere volet, ei cum a locis a Triboniano omissis tum ab eiusdem additamentis vel ab ipso confictis vel ex aliis fragmenti partibus transpositis proficiscendum erit; qui singula verba emendare studebit, eum plerumque non Pomponium, sed Tribonianum emendaturum esse iudico.

FRAGMENTI POMPONIANI GENUINI STATUS LINEAMENTA.

I. *De iuris ⟨populi Romani⟩ origine et processu.*

—— necessarium [itaque nobis] videtur ipsius iuris ⟨nostri⟩ originem atque processum demonstrare (pr.)

1. *Cod.* praeesset privatis.

II. *De magistratuum ⟨et sacerdotium publicorum⟩ nominibus et origine.*

Post originem iuris ⟨nostri⟩ et processum cognitum consequens est, ut ⟨tam⟩ de magistratuum ⟨quam de sacerdotium publicorum⟩ nominibus et origine cognoscamus (§ 13).

1. Quod ad magistratus ⟨populi Romani⟩ attinet, initio civitatis huius constat reges omnem potestatem habuisse (§ 14).

2. ⟨Quod ad sacerdotes publicos attinet —⟩

— et interpretandi scientia et ⟨legis⟩ actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur quis quoqu*e* anno prae*sto* esset privatis (§ 6).

III. *De iis qui iuris civilis scientiam professi sunt.*

1. Iuris civilis scientiam plurimi et maximi viri professi sunt (§ 35).

2. De auctorum ⟨post principatum constitutum⟩ successione (§§ 13. 51. 53).

Erat olim in animo pontificum quoque decreta generalia quae extant exhibere, qualia sunt: Liv. 31, 9 ('moram voto publico Licinius pontifex maximus attulit, qui negavit ex incerta pecunia vovere debere, quia ea pecunia non posset in bellum usui esse, seponique statim deberet nec cum alia pecunia misceri; quod si factum esset, votum rite solvi non posse. quamquam et res et auctor movebat, tamen ad collegium pontificum referre consul iussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi. posse, rectiusque etiam esse, pontifices decreverunt') et Liv. 39, 5 ('... referente Ser. Sulpicio praetore triumphus M. Fulvio est decretus. is cum gratias patribus conscriptis egisset, adiecit ludos magnos se Iovi optimo maximo eo die quo Ambraciam cepisset vovisse; in eam rem sibi centum pondo auri a civitatibus collatum; petere ut ex ea pecunia, quam in triumpho latam

in aerario positurus esset, id aurum secerni iuberent. senatus pontificum collegium consuli iussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset. cum pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret, senatus' et q. s.). num recte factum sit, quod a proposito destiti, iam valde dubito.

Prudentes imperatori Hadriano aequales vel posteros edere nunquam in animo erat. Hadriani vero aetate opus terminandum ideo putabam, quod illo imperatore novum quoddam saeculum exstitit fere innumeris constitutionibus insigne, a quo Iustinianus quoque, cum iuris corpus componere constituisset, in novi Codicis legibus colligendis incipiendum esse edixit, quamquam una tantum Hadriani constitutio recepta est.[1] illud inprimis monendum est, antehadrianae aetatis iuris consultos nusquam iuris gentium mentionem facere. in eo tantum sub primis principibus novi cuiusdam saeculi agnoveris, quod et naturalis aequitas civili (II, 1 p. 114) et civili rationi naturalis opponitur (II, 1 p. 557) atque de eo disputatur, num quibusdam obligationibus peregrini quoque teneantur (II, 1 p. 93 et 542). in ceteris non de communi omnium hominum, sed de proprio populi Romani iure agitur.

Priorum igitur prudentium sententiae librorumque fragmenta, quae extra Iustiniani Digestorum libros servata primo a Dirksenio,[2] postea plenius ab Huschkio[3] proposita sunt, cum Digestorum illorum fragmentis ita componenda erant, ut unius cuiusque prudentia, quantum hodie liceat, cognoscatur.

Discernenda autem erant responsa consulentibus a veteribus data a sententiis per libros litteris mandatae; plures enim auctores iique gravissimi respondendi tantum munere functos esse, libros componere non curavisse

1. Cf. Kruegeri Codicis editio p. 489.
2. Bruchstücke aus den Schriften der römischen Juristen. Königsberg 1814.
3. Iurisprudentiae anteiustinianae quae supersunt. Lipsiae 1860.

satis constat. cuius generis fuerunt liberae rei publicae temporibus C. Scipio Nasica, Ti. Coruncanius, P. Licinius Crassus, C. Aquilius Gallus, Aulus Cascellius, primo post principatum constitutum saeculo Cocceius Nerva. alii iuris periti libros quidem de iure civili composuerunt, respondendi vero officio raro tantum functi esse videntur, cuius generis viri ut secundo saeculo plures extiterunt, ita ne antea quidem desunt. atque inter liberae rei publicae iuris peritos in his referendi sunt Aufidius Namusa et Alfenus Varus, inter primi post principatum constitutum saeculi Fabius Mela.

In proponendis et responsis et librorum fragmentis additamenta posterorum et Iustiniani maxime interpolationes detegenda atque tollenda erant. qua in re quamquam nostra aetate nonnulli viri doctissimi atque sagacissimi aliquantum assecuti sunt, tamen nescio an maior pars posteris relinquenda sit. itaque in hoc opere veterum oratio, quae quidem iam vel certo vel probabiliter a viris doctis restituta esset vel restitui posset, proponi oportebat.

Ubicumque priorum prudentium librorum, id quod non raro fit, interpretationes vel epitomae tantum a posteris factae a Triboniano adhibitae sunt, ut suum cuique tribueretur, in singulis fragmentis posterioris oratio a prioris discernenda erat, quod in magna parte fragmentorum hodie fieri vix potest. qua de re cum generaliter constitui nequeat, de singulis libris videndum est.

In iis quoque libris, in quibus et priorum responsa collecta digestaque sunt et propria colligentis adiecta videntur, similes dubitationes oriuntur, cuius rei exemplum praebent Alfeni Vari Digesta.

Neque eos libros ius civile illustrantes, qui a grammaticis compositi videntur esse, veluti Aelii Galli de verborum ad ius civile pertinentium significatione, reiciendos putavi; eos vero, quibus ne grammaticorum quidem more res tractantur, veluti Senecae librum de matrimonio, quamvis nonnulla ad ius pertinentia referantur, ex. gr. de

Cordubensium in contrahendis nuptiis more[1], parum utiles duxi.

Denique a re proposita non alienum esse putavi et eorum librorum, quorum nomina tantum extant, argumenta, quantum fieri liceret, coniectura definire (exempla habes I p. 3 et p. 364; II, 1 p. 364) et Masurii Sabini iuris civilis libros (II, 1 p. 383 sqq.), quos usque ad Severi aetatem summae auctoritatis fuisse apparet, hodie maximam partem deperditos ex Gai Institutionum commentariis Ulpianique Regularum libro singulari non tam restituere quam potius ea capita quae praetermittere Sabino nullo modo licuit, indicare atque fragmentis servatis adiungere.

De librorum generibus vel de vario quod dicunt systemate disserere non putavi huius loci esse. sed iam summatim statuendum est, quinam illorum librorum, quorum fragmenta in hac collectione proposita sunt, in novis Digestis componendis Triboniano integri praesto fuisse videantur. atque libris liberae rei publicae aetate compositis illum abstinuisse facile apparet, licet Q. Mucii Scaevolae nomen in indice Florentino legatur (cf. I p. 103) et nonnulla libri ὅρων fragmenta Mucio nomine insignita in Digesta recepta (cf. I p. 104), praeterea duo fragmenta Aelii Galli nomine inscripta titulo de verborum quae ad ius pertinent significatione inserta sint (p. 247. 252), denique plurima fragmenta Alfeni Vari nomen prae se ferentia per varios Digestorum libros dispersa legantur (I p. 292. 293. 296. 300. 301. 302. 303. 305. 306. 307. 308. 310. 311. 312. 314. 315. 316. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 327. 328): re vera Q. Mucii sententiae, ut conicere licet, ex Pomponii (cf. I p. 59), Aelii Galli, ut videtur, ex Gaii libris (cf. I p. 246), Alfeni Vari sine dubio ex Pauli epitoma petitae sunt (cf. I 289 et p. 329 'Alfenus libro primo epitomarum'). itaque librorum ad liberae rei publicae aetatem pertinentium fragmenta maximam partem Pauli vel Ulpiani libris debentur, quos non modo ad

1. Cf. Puchta Instit. II § 289 n. f.

Masurii Sabini iuris civilis libros, sed etiam ad edictum praetoris amplissimos commentarios composuisse notum est.

Posteriorum vero librorum quibusdam Tribonianus videtur usus esse integris, inprimis Traiano fere principe editis, scilicet Neratii et Iavoleni. de reliquis non idem dicendum est.

Antistii Labeonis quidem neque libros ad XII tabulas neque ad edicta praetorum vel aedilium curulium, neque Responsorum vel Epistularum libros, ut alios omittam, in Iustiniani Digestis componendis ipsos adhibitos esse satis apparet (cf. II, 1 p. 81. 84. 89. 95. 145. 147). praeterea neque ex *Πιθανῶν* libris, quamquam in indice Florentino referuntur, neque ex Posterioribus ipsis, sed ex epitomis tantum, illorum Pauli, horum Iavoleni, fragmenta petita videntur esse (II, 1 p. 149 et 161. cf. II 2 p. 403).

Idem de Masurii Sabini libris statuendum est, cuius iuris civilis librorum in Florentino indice laudatorum ne unum quidem fragmentum Sabini nomine inscriptum extat, et de Cassio Longino, cuius doctrinam ex iis libris quos Iavolenus ex Cassio fecit a Triboniano petitam esse apparet (II 2 p. 32).

De Proculi Epistularum libris, quamquam plura fragmenta illius nomine ornata sunt (II, 2 p. 113—129), tamen dubitandum est, cum Iavolenum in Epistolarum libris Proculi epistulam attulisse certum sit (II, 2 p. 464. 476), ita ut Tribonianum fragmenta Iavoleni libris debere liceat putare. praeterea indicio fortasse est, quod cum Proculum octo Epistularum libros composuisse indice Florentino tradatur, in Digestis undecimi libri fragmenta extant (II 2 p. 128—129), qui liber nescio an idem sit atque Iavoleni liber XI Epistularum (cf. II, 2 p. 484—487), in fragmentis illis componendis errore ad Proculum transscriptus.

In Iustiniani Digestis non raro eiusdem operis, sed varii argumenti fragmenta inveniuntur, velut D. 50, 6, 157 et 242 vel D. 50, 17, 73, in quibus Q. Mucii libri ὅρων, Aelii Galli libri I de verb. signif., Iavoleni libri II ex

posterioribus Labeonis sententiae variae extant. quibus fragmentis dissolutis suus cuique rei locus numerusque assignandus fuit, quamquam fieri poterat, ut interdum rerum conexus nondum perspectus corrumperetur. interdum etiam paragraphum diversas res continentem dissolvendam duxi, veluti D. 43, 8, 2, 28 (cf. II p. 310).

Quod ad sententias iuris consultorum a pluribus varie relatas attinet, omnium testimonia proponenda duxi secundum dignitatem disposita, neque priorum sententias a posteris probatas apud hos omittendas esse.

Quibus rubricis fragmenta inscripsi, iis plerumque non rerum qui olim exstitit conexum significari volui, sed potius fragmentorum qualia hodie sunt argumenta indicari.

Denique singulorum prudentium doctrinae reliquiis vitam honoresque praemittenda putavi.

In rebus ad philologiam pertinentibus, dum priorem operis partem tracto, adiutorem perpetuum, id quod apparere doleo, non nactus subinde a Richardo Heinzeo, tum collega Argentinensi, nunc Berolinensi, consilio et doctrina adiutus sum. in altera operis parte, quoad eius post domicilium a me mutatum in tanta locorum longinquitate fieri posset, H. Schroederi, gymnasii Protestantium Argentinensis professoris, fideli opera atque doctrina usus sum. denique Alfredus Pernice, amicus harum rerum unice peritus, schedas typographicas legens adnotationes multas easque eximias mecum communicavit, quas lubentissime suo loco proposui.

Scripsi Bonnae mense Novembri anni MCM.

SIGNORUM EXPLICATIO.

Uncis rotundis ( ) explicationes,
Uncis quadratis [ ] eicienda,
Uncis denique fractis < > addenda significavi. itaque ad parentheses insigniendas virgularum sive commatum signis utendum erat.

Puncta duo . . significant, in oratione tradenda unum verbum imprimis coniunctivum, puncta tria . . . plura verba omissa esse, id quod in priore parte non diligenter observatum est.

Linea directa | usus sum, ubicumque duo fragmenta, quae in genuino libro inter se exceperant, in Digestis alio interiecto fragmento discerpta coniungenda erant.

Typis cursivis usus sum, ubi iuris consulti ipsa verba videntur eminere (qua in re dubitationes graves ac paene inexplicabiles oriuntur), praeterea non nunquam vel in rubricis vel in notis adiciendis;

Minusculis typis in iis quae sententiis proponendis vel praemissa sunt vel adiecta.[1]

Littera P inscriptionibus fragmentorum e Digestis sumptorum cum numero adiecta significat Lenelii Palingenesiam.

1. Apud Trebatium Ciceronis epistulae errore maioribus litteris expressae, ea rursus, quae maioribus litteris proponenda erant, aliquando errore minoribus proposita sunt.

PARS ALTERA

PRIMI POST PRINCIPATUM CONSTITUTUM SAECULI IURIS CONSULTI

SECTIO ALTERA

III. GAII CLAUDII NERONIS GALBAE OTHONIS VITELLII TEMPORUM IURIS CONSULTI

Sueton. Calig. 34. De iuris . . consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus saepe iactavit, se mehercule effecturum, ne quid respondere possint praeter eum.

Seneca in apocolocyntosi 12 (Petronii sat. ed. Buecheler p. 234) de rerum post Claudii mortem statu narrat: 'Agatho et pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. iurisconsulti ex tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix animam habentes, tanquam qui tum maxime reviviscerent. ex his unus cum vidisset capita conferentes et fortunas suas deplorantes causidicos, accedit et ait: dicebam vobis: non semper Saturnalia erunt'.

1. Cartilius. — 2. Varius Lucullus. — 3. M. Cocceius Nerva M. f. — 4. C. Cassius Longinus. — 5. Pedius. — 6. Longinus. — 7. Proculus. — 8. Urseius Ferox. — 9. Atilicinus. — 10. Fufidius. — 11. Caninius Rebilus.

1. CARTILIUS

iuris consultus ignotus, nisi quod Proculus et Ulpianus eius sententias laudant, quibus sententiis responsa contineri videntur.

De heredis institutione.

1. D. 28, 5, 70. Proculus libro secundo Epistularum. — 'Cornelius et Maevius, uter eorum volet, heres esto'. uterque vult. Trebatius neutrum fore heredem, Cartilius utrumque.

De servo cum lance commodato.

2. D. 13, 6, 5, 13. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 805). — Si me rogaveris, ut servum tibi cum lance commodarem et servus lancem perdiderit, Cartilius ait periculum ad te respicere, nam et lancem videri commodatam, quare culpam in eam quoque praestandam. [plane si servus cum ea fugerit, eum qui commodatum accepit non teneri, nisi fugae praestitit culpam.]

Triboniani addidamentum agnovit Pernice.

---

2. VARIUS LUCULLUS

iuris peritus ignotus, nisi quod ab Aristone apud Pomponium laudatur, quem Mommsen 'Varronem Lucullum' (I p. 108) esse conicit. cf. Krueger p. 157. Lenel P. II col. 1208 n. 2.

De libero homine qui bona fide servit.

D. 41, 1, 19. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). — Liber homo, qui bona fide mihi servit, quod[1] ex operis suis aut ex re mea pararet, ad me pertinere sine dubio Aristo ait; quod vero quis ei donaverit aut ex negotio gesto adquisierit, ad ipsum pertinere. sed hereditatem legatumve non adquiri mihi per eum, quia neque ex re mea neque ex operis suis id sit nec ulla eius opera esset in legato [in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur], quod et

1 *Fl.* id quod.

Varium Lucullum aliquando dubitasse, sed verius esse non adquiri, etiamsi testator ad me voluisset pertinere.

---

3. M. COCCEIUS NERVA M. F.

M. Cocceii Nervae (II 1 p. 300) filius, pater praetoris designati anni 65 eiusdemque postea imperatoris (Orelli-Henzen 5433; Pernice Encycl. p. 153), iuris consultus qui et respondendo et libris scribendis operam dedit, cui a posteris 'Nerva filius' cognomen inditum est.

In sententiis quae traduntur, secutus est Ofilium (D. 41, 2, 1, 3 'Ofilius .. et Nerva filius ... aiunt'), Labeonem (D. 41, 2, 3, 14 'Labeo et Nerva filius responderunt'), ipsum secutus est Pegasus (D. 3, 2, 2, 5 'Pegasus et Nerva filius responderunt'). laudatur a Gaio libris de manumissionibus, a Venuleio libris Stipulationum, a Papiniano libris Quaestionum, a Paulo et Ulpiano, idque ab utroque libris ad edictum, ab Ulpiano praeterea libris ad Sabinum.

I. Responsa.

Iam annos decem et septem aut paulo plus natus 'fertur Nerva filius et publice de iure responsitasse'. D. 3, 1, 1, 3 Ulp.

De nuptiis.

1. D. 3, 2, 2, 5. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 279[a]). — Eos .. qui quaestus causa in certamina descendunt, et omnes propter praemium in scaenam prodeuntes famosos esse Pegasus et Nerva filius responderunt.

De possessione.

2. D. 41, 2, 3, 17. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 568[c]). — Labeo et Nerva filius responderunt desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit.

II. De usucapionibus libri.

His libris a Papiniano laudatis (D. 41, 2, 47), quorum numerum nescimus, attribuenda videntur quae de possessione Nervam dixisse tradunt. itaque eum et priorum, ex. gr. Labeonis (D. 41, 2, 1, 4. 41, 2, 47. 42. 3, 17), et sua ipsius responsa his libris inseruisse apparet (D. 41, 2, 3, 17).

1. D. 41, 2, 1, 1. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 656). — Dominium .. rerum ex naturali possessione coepisse Nerva filius ait eiusque rei vestigium remanere in his, quae terra mari caeloque capiuntur; nam haec protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum adprehenderint.

cf. Gai. 2, 66.

2. D. ibid. § 3. — .. Ofilius .. et Nerva filius etiam sine tutoris auctoritate possidere incipere posse pupillum aiunt; eam enim rem facti, non iuris esse.

3. D. ibid. § 14. — Per servum qui in fuga sit, nihil posse nos possidere Nerva filius ait, licet respondeatur, quamdiu ab alio non possideatur, a nobis eum possideri ideoque interim etiam usucapi.

4. D. ibid. § 22. — Municipes per se nihil possidere possunt, quia universi consentire non possunt. forum autem et basilicam hisque similia non possident, sed promiscue his utuntur. sed Nerva filius ait, per servum quae peculiariter adquisierint et possidere et usucapere posse.

5. D. 41, 2, 3, 13. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658°). — Nerva filius res mobiles excepto homine, quatenus sub custodia nostra sint, hactenus possideri, id est quatenus, si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus. nam pecus simul atque aberraverit aut vas ita exciderit, ut non inveniatur, protinus desinere a nobis possideri, licet a nullo possideatur, dissimiliter atque si sub custodia mea sit nec inveniatur [quia praesentia eius sit et tantum cessat interim diligens inquisitio].

Quae inclusi, Pernice eicienda merito censet.
cf. Gai. 2, 67.

6. D. ibid. § 14. — Item feras bestias, quas vivariis incluserimus, et pisces, quos in piscinas coiecerimus, a nobis possideri. sed eos pisces, qui in stagno sint, aut feras, quae in silvis circumseptis vagantur, a nobis non possideri, quoniam relictae sint in libertate naturali; alioquin etiam si quis silvam emerit, videri eum omnes feras possidere.

cf. Gai. 2, 68.

7. D. ibid. § 17 v. supra p. 5.

8. D. 41, 2, 47. — Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo sexto Quaestionum (P. 319). — Si rem mobilem apud te depositam aut ex commodato tibi ⟨permissam⟩ possidere neque reddere constitueris, confestim amisisse me possessionem vel ignorantem responsum est. cuius rei forsitan illa ratio est, quod rerum mobilium neglecta atque omissa custodia, quamvis eas nemo alius invaserit, veteris possessionis damnum adferre consuevit, idque Nerva filius libris de usucapionibus rettulit. idem scribit aliam causam esse hominis commodati omissa custodia; nam possessionem tamdiu veterem *retin*eri[1], quamdiu nemo alius eum possidere coeperit [videlicet ideo, quia potest homo proposito redeundi domino possessionem sui conservare, cuius corpore ceteras quoque res possumus possidere?]

III. . . . libri.

Alios quorum de argumento nihil patet libros Nervam composuisse reliqua fragmenta indicant.

De legatis.

1. D. 7, 1, 13, 7. Idem (sc. Ulpianus) libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2582). — .. si aedium usus

1 *Fl.* fieri.

fructus legatus sit, Nerva filius et lumina immittere eum (sc. usufructuarium) posse ait ...[1] item Nerva eum, cui aedium usus fructus legatus sit, altius tollere non posse, quamvis lumina non obscurentur, quia tectum magis turbatur. quod Labeo etiam in proprietatis domino scribit. idem Nerva nec obstruere eum posse.

2. D. 46, 4, 21. Venuleius libro undecimo Stipulationum (P. 67). — Si sub condicione legatum mihi datum novandi causa stipulatus sum et ante existentem condicionem acceptum fecero, Nerva filius ait, etiamsi condicio extiterit, neque ex testamento competituram actionem, quia novatio facta sit, neque ex stipulatu, quae acceptilatione soluta sit.

De manumissione.

3. D. 40, 2, 25. Gaius libro primo de manumissionibus (P. 477). — Si tutoris habendi causa pupillus manumittat, probationi esse causam Fufidius ait. Nerva filius contra sentit.

cf. Gai. 1, 36. 19.

De nuptiis.

4. D. 3, 2, 2, 5 v. supra p. 5.

De servi compromisso.

5. D. 15, 1, 3, 8. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 851[a]). — Si servus, cum se pro libero gereret, compromiserit, quaeritur, an de peculio actio ex poena compromissi quasi ex negotio gesto danda sit, sicuti traiecticiae pecuniae datur. sed hoc . . Nervae filio ... videtur verius ex compromisso servi non dandam de peculio actionem, quia nec si iudicio condemnetur servus, datur in eum actio.

cf. Octavenus D. 4, 8, 32, 8.

1 Quae sequuntur Ulpiani sunt.

Fortasse D. 7, 5, 3, quod fragmentum cum aliis viris doctis Nervae patri attribui (II p. 305), potius filio adscribendum est, cum in eodem Ulpiani libro XVIII ad Sabinum is quoque laudetur idque D. 7, 1, 13, 7 in fine etiam simplici Nervae nomine.

---

4. C. CASSIUS LONGINUS

filius minor L. Cassii consulis suffecti a. 11 p. Chr. et filiae Q. Aelii Tuberonis (I p. 358), quae fuit neptis Servii Sulpicii (I p. 139 Pomp. D. 1, 2, 2, 51), frater C. Cassii Longini consulis ordinarii a. 30, consul suffectus a. 30 cum L. Naevio Surdino (CIL X 1233; cum Quartino falso Pomp. § 51), anno proconsulari 40/41 proconsul Asiae ab imperatore Gaio Romam adductus, ut interficeretur, nece Gai servatus (Dio Cass. 59, 23. Suet. Cal. 57), legatus Syriae a. 47/48 (ut nummus docet), in qua legatione Vibio Marso successerat (Ioseph. Ant. 20, 1, 1), a. 49 (Tac. ann. 12, 11) iussus iuvenem Meherdatem Vononis filium Romae detentum, qui ab Armeniorum parte rex petebatur, deducere ad Euphratis ripam, ut in Armenia regnaret (Tac. 12, 12. 13. Ioseph. 15, 11, 4. 20, 1, 1, Mommsen Gesch. V, 380), anno 58 delectus est Puteolanorum seditioni componendae, sed 'quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur' (Tac. ann. 13, 48). sententiam in senatu dixit eodem a. 58 et a. 61 (v. infra p. 28 sq.). cum a. 65 Poppaea decessisset morsque eius ut palam tristis, ita recordantibus laeta esset ob inpudicitiam eius saevitiamque, princeps exequiarum novo orientis more celebrandarum officio Cassium prohibuit (Tac. ann. 16, 7), 'quod primum indicium mali'. tum missa ad senatum oratione et Cassium et L. Silanum iuvenem nobilem apud Cassium educatum (Tac. 15, 52) 'removendos a re publica disseruit'. obiectavit Cassio, quod inter imagines maiorum etiam C. Cassii effigiem coluisset ita inscriptam 'duci partium'

(Tac. 16, 7. cf. Suet. Ner. 37). tunc senatusconsulto Cassio et Silano exilia decernuntur, deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et senectus eius exspectabatur (Tac. 16, 7—9. Pomp. § 51; male a Suetonio Ner. 37 dicitur occisus. Iuvenal. sat. 10, 16). revocatus a Vespasiano, ut conicere licet, a. 70, diem suum obiit (Pomp. § 51), senex luminibus orbatus (Sueton. l. c.). Iuniam Lepidam habuit uxorem (Tac. ann. 16, 7), ipse 'opibus vetustis et gravitate morum' insignis (Tac. ann. 16, 7).

Masurii Sabini (II 1 p. 313) auditor (Paul. D. 4, 8, 19, 2) 'ceteros praeminebat peritia legum' (Tac. ann. 12, 12). erat non modo 'prudentissimus vir', 'iuris consultus' vel 'iuris auctor' (Suet. Ner. 37. Hyginus gromat. vet. p. 124 Lachm.), 'sed etiam Cassianae scholae princeps ac parens' (Plin. ep. 7, 24, 8), quem asseclae vel solo Gaii nomine designabant. Pernice I p. 25.

Scripsit et notas ad Sabini 'Vitellium' et iuris civilis libros et, ut conicere licet, libros ad edictum praetoris.

Inter Cassii auditores numerandi videntur Titius Aristo et Urseius Ferox, quorum uterque eius responsa refert.

Res inprimis notabiles in Cassii fragmentis non ita multis hae fere reperiuntur: provincia (D. 41, 2, 1, 14), vela Cilicia (D. 33, 7, 12, 17), peregrini (Gai. 3, 133), municipia (D. 43, 24, 11, 1. 1, 8. 8, 1), Padus (Gromat. p. 124), Roma (D. 5, 1, 26), publica auctoritas (D. 39, 3, 2, 3), sollemnes feriae (D. 4, 6, 26, 7), homo propter turpitudinem senatu motus nec restitutus (D. 1, 9, 2), silva (D. 13, 7, 8, 3), arbores demortuae (Vat. fr. 70), quadrupedes quae gregatim pascuntur (D. 32, 65, 4), fetus pecorum (D. 7, 1, 68, 1), caro fetus demortui (D. 7, 1, 70, 2), apes et aves (D. 33, 7, 12, 13), aucupia et venationes (D. 7, 1, 9, 5); colonus (D. 19, 2, 32. 34, 3, 18), fullo (D. 12, 7, 2), athleta (D. 3, 2, 4 pr.), medicus (D. 33, 7, 18, 10), spado (Gai. 1, 196. D. 38, 2, 6 pr.), dispensator et paedagogus liberorum (D. 40, 5, 35); armaria et scrinia (D. 32, 52, 3), membranae (D. 32, 52, 3, 4), tabulae pictae (D. 33, 7, 12, 16), murrina vasa et gemmae (D. 34, 2, 19, 19); massa (D. 7, 4,

10, 5), materia (Gai. 3, 147. D. 6, 1, 23, 5. 13, 7, 18, 3), ferruminatio (D. 6, 1, 23, 5), plumbatura (D. 6, 1, 23, 5); tantum servi delictum, ut ultio remittenda non sit (D. 40, 5, 35).

Laudantur leges Atinia (D. 50, 16, 215), Falcidia (D. 35, 2, 1, 14. 35, 2, 31 et 49), Iulia repetundarum (D. 1, 9, 2), Aelia Sentia (D. 40, 4, 57), senatus consulta quaedam, scilicet id ex quo omnium rerum ususfructus legari potest (D. 7, 5, 3), Largianum anni 41 (Gai. 3, 71), Velleianum anni 46 (D. 16, 1, 16, 1).

Idoneum videtur ea conferre, quae Cassius de civium Romanorum mancipiis existimaverit, quae haec fere sunt: possessionem etiam per eos servos adquiri, quos in provincia habemus (D. 41, 2, 1, 14); servo, cui testamento libertas data sit hac condicione, si anno servierit, illud tempus quo in fuga sit, non procedere (D. 40, 7, 4, 8); servum, cui impuberis tabulis libertas adscripta sit, vivo pupillo, post aditionem videlicet hereditatis patris, statu liberum non esse (D. 40, 7, 2, 1); duobus petentibus hominem in servitutem pro parte dimidia separatim, si uno indicio liber, altero servus iudicatus sit, neque iudices cogi possint, ut consentiant, duci servum debere ab eo qui vicerit (D. 40, 12, 30).

Itaque illum libertatis favorem atque studium, quo posteriores utebantur (D. 50, 17, 20 Pomp.: 'quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit'), non e re publica esse Cassius cum Sabino existimabat. at de servorum condicione controversias non nullas exstitisse apparet, quarum eas tantum affero, de quibus vel Sabinus vel Cassius ita dixerunt, ut sententiae eorum posteriorum assensu carerent.

De Sabini sententia aequissima quam Gaius 2, 154 rettulit, supra II 1 p. 351 vidimus. itaque quod suo iure Pernice I, 157 existimat, 'dafs die Jurisprudenz die entschiedene Tendenz verfolgte, das Kapital gegenüber der Arbeit möglichst sicher zu stellen, die Sklaven so gut wie ganz in die Hände der Kapitalisten zu geben', de Sabini vel Cassii doctrina id statui non debet.

Cassius et heredi et legatario interdum remittendam proprii servi manumittendi necessitatem existimavit, scilicet, 'si vel usus tam necessarius esset, ut eo carere non expediret, veluti dispensatoris paedagogive liberorum, vel tantum servi delictum est, ut ultio remittenda non esset' (D. 40, 5, 35). quod ille ita decrevit, quamquam iusta causa manumissionis erat, si quis paedagogum manumitteret vel servum curatoris habendi gratia (Gai. 1, 19, ubi verba 'procuratoris habendi gratia' ad dispensatorem imprimis videntur spectare), eo pertinet, quod tunc vernas, ex quorum ut fidelissimorum numero dispensatores vel paedagogos eligi consentaneum erat, peregrini servi numero longe superabant, peregrinorum autem nequitia cum severitate coërcenda erat; qua de nequitia v. Friedlaender I p. 74 sq. ipse autem Cassius, qui familiarum mores illa aetate fuerint, oratione illa in senatu habita explicat: 'postquam . . nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris' (Tac. ann. 14, 44). itaque cum manumissi poena levior esset quam servi, ab herede vel legatario testatoris voluntatem neglegi quam debitam ultionem remitti maluit eadem usus gravitate, qua a. 61, cum Pedanius Secundus ab ipsius servo interfectus esset, plebe acriter repugnante et quibusdam ipsorum patrum ad lenitatem inclinantibus severitate utendum esse censuit, cum diceret: 'habet', inquit, 'aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur' (Tac. ann. 14, 44).

Aeque atque Sabinus (II 1 p. 322) veterum morum defensor atque cultor fuit. nam ut Tacitus Cassium in senatu haec dixisse tradit: 'saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur, in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer', ita in

posteriorum quoque iuris consultorum libris veteres sententias eum tenuisse legimus (Vat. fr. 1 'ita et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt'. D. 41, 2, 3, 18 'plerique veterum et Sabinus et Cassius .. responderunt'. D. 35, 2, 31 'secundum Cassii et veterum opinionem'). nec tamen magna intercedente causa veterum opinionem interdum relinquere dubitavit (D. 2, 4, 4, 2 'quidam . . . aiunt . . . hoc veteres existimasse Pomponius refert; sed Gaius Cassius . . . dicit, quod . . honestius est . . .').

Q. Mucius, cuius apud Sabinum saepe mentio fit (II 1 p. 322), in Cassii quidem fragmentis non nominatur; Servii Sulpicii utrumque rationem habuisse apparet. atque ut Sabinus illius sententias alias probavit, alias reiecit (l. c.), ita Cassius Servium modo secutus est (D. 40, 7, 3, 2 'cum . . veram putemus sententiam Servii, videamus, an . . . proinde defendi potest . . . et ita Cassius quoque scribit'), modo cum Sabino reliquit (Gai. 2, 244 '. . . quaeritur: Servius . . . putat, . . . Sabinus et Cassius . . . putant'). Ofilii quoque uterque rationem habuit; sed Cassius in uno fragmento idque ita, ut sententiam eius improbet (D. 2, 1, 11, 2 '. . . utrum . . ., quod Ofilio . . . placet, . . . an . . ., quod Cassio . . . placet'). denique Trebatii, qui in Sabini fragmentis nusquam laudatur, responsum Cassius attulit, quod Labeoni opponeret (D. 30, 5, 1 'Labeo ait . . . Trebatium vero respondisse . . . Cassius scripsit').

Labeonem in aliis sententiis uterque secutus (D. 36, 2, 12, 1 '. . . quaestionis fuit. et Labeo et Sabinus et Celsus et Cassius et Iulianus . . .'. D. 7, 8, 12, 1 'Sabinus et Cassius et Labeo . . .'), in aliis aspernatus est (Gai. 2, 231 'nostri praeceptores . . ., sed Labeo . . .'. cf. D. 35, 1, 6, 1). tum in aliis solus Sabinus Labeonem secutus est (v. II 1 p. 323), in aliis Cassius (Gai. 3, 140 'Labeo . . ., cuius opinionem Cassius probat'. D. 28, 2, 6 pr. 'et Labeo et Cassius scribunt'). denique in aliis solus Sabinus Labeonem reliquit (l. c.), in aliis Cassius (D. 13, 6, 1 'Labeo quidem ait . . ., sed ut apparet . . ., idque et

Cassius existimat'. D. 39, 2, 15, 35 'Labeo scribit . . . Cassius autem ait').

Praeceptoris quoque responsa sententiasque rettulit Cassius (D. 1, 8, 8, 2 'Sabinum respondisse Cassius refert'. D. 8, 1, 4 pr. 'Sabinum respondisse Cassius rettulit'. D. 19, 1, 24, 1 'Cassius . . . opinionem Sabini rettulit') eiusque sententias et explicavit (D. 22, 6, 3, 1 'Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert') et excusavit (D. 4, 8, 19, 2 'Cassius sententiam magistri sui bene excusat et ait').

In quibus fragmentis Cassius Sabini sententiam probavit, quae permulta sunt, ea prout cuiusque sententiae vel Sabinianae vel Cassianae natura suasit, in genera distribuere idoneum duxi.

1) Primum enim Cassius Sabini responsum relatum probavit. D. 1, 8, 8, 2 'Sabinum recte respondisse Cassius refert'. D. 8, 1, 4 pr. 'idque et Sabinum respondisse Cassius rettulit et sibi placere'.

2) Deinde secundum Sabini responsum ipse quoque respondit. D. 3, 2, 4 pr. 24, 3, 22, 12. 41, 2, 3, 18 'Sabinus et Cassius responderunt'. D. 17, 2, 52, 18 '.. Sabinus Cassius responderunt'. D. 29, 7, 14 pr. 'Sabinum et Cassium respondisse aiunt'.

3) Tum idem quod Sabinus respondit, Cassius in iuris civilis libris scripsit. D. 7, 1, 23, 1 'Sabinus respondit et Cassius libro octavo iuris civilis scripsit'.

4) Tum id quod Sabinus dicebat, Cassius quoque dicebat. D. 24, 3, 59 'Sabinus dicebat . . . Gaius idem'. cf. D. 40, 12, 30 'Sabinum refertur existimasse . . ., cuius sententiae Cassius quoque est'.

5) Tum Cassius et Sabinus idem 'scribunt'. Vat. fr. 1 'Sabinus et Cassius scribunt'. D. 32, 52, 3 'Sabinus scribit; idem et Cassius'.

6) Denique Cassius et Sabinus idem vel aiunt vel putant vel existimant vel putaverunt quaeque eiusdem generis sunt. D. 8, 6, 2. 18, 1, 57 pr. 39, 3, 1, 8. 45, 2, 17 'Sabinus Cassius aiunt'. D. 50, 16, 215 'Sabinus et

Cassius aiunt'. Gai. 2, 144, 195. D. 9, 4, 15, 31. 22, 1, 38, 7. 28, 2, 3, 6. 41, 1, 7, 7. 'Sabinus et Cassius putant'. D. 41, 3, 4, 16 'Sabinus et Cassius non putant'. D. 26, 7, 37 pr. 33, 7, 12, 13 'Sabinus et Cassius ... putaverunt'. D. 15, 1, 42. 18, 1, 35, 5 'Sabinus et Cassius ... existimant'. D. 15, 1, 3, 9 'Sabini et Cassii sententia existimantium'. D. 30, 26, 2. 40, 4, 57 'Sabini et Cassii sententiae ..., qui existimant'. 'Sabinus .. et Cassius ... existimaverunt'. D. 16, 3, 14, 1 'Sabinus et Cassius dixerunt'. D. 36, 2, 12, 1 '. . Sabinus ... et Cassius ... probaverunt'. D. 7, 1, 68, 1 'Sabinus et Cassius opinati sunt'. Gai. 4, 79 'Sabinus et Cassius ... crediderunt'. D. 43, 16, 1, 14 'secundum Sabinum et Cassium, qui ... comparant'. Gai. 3, 133 'Sabino .. et Cassio visum est'. D. 41, 2, 1, 5 'Sabino et Cassio ... placuit'. I. 3, 26, 8 'adeo .. ut Sabino et Cassio placuerit'. Gai. 4, 114 'volgo dicitur Sabino et Cassio placere'. D. 41, 3, 10 pr. 47, 2, 43, 5 'Sabini et Cassii sententia'. D. 45, 3, 6 'quae sententia et Cassii et Sabini dicitur'.

His testimoniis ea videntur opponenda, quibus Sabinus solus aliquid respondisse vel scripsisse vel putasse dicitur.

1) 'Sabinus respondit' D. 2, 13, 4, 2. 7, 1, 35. 12, 1, 22. 30, 104, 7. 32, 63. 40, 4, 18 pr. 43, 1, 4. 41, 3, 35. 47, 2, 42, 1.

2) 'Sabinus scribit' D. 3, 5, 18, 1. 4, 8, 29. 8, 2, 19, 2. 10, 2, 12 pr. 33, 6, 9 pr. 45, 1, 137, 5. 49, 15, 12, 9. 'Sabinus scripsit' D. 18, 1, 27. 39, 2, 40, 1. omisi ea fragmenta, quibus Sabini certi libri laudantur.

3) 'Sabinus ait' D. 2, 9, 4. 36, 3, 10. 38, 10, 10, 16. 43, 24, 19. 45, 1, 138 pr. 45, 3, 32. 46, 8, 8 pr. 47, 2, 1 pr. 47, 2, 21, 8. 47, 7, 7, 5. 'Sabinus putat' D. 2, 4, 10, 1. 4, 3, 29. 7, 5, 5, 1. 32, 70, 2. 35, 2, 1, 19. 'Sabinus .. putavit' D. 4, 8, 19, 2. 'Sabinus putabat' D. 9, 2, 36, 1. 'Sabinus existimat' D. 9, 2, 27, 21. 33, 6, 13. 'Sabinus ... existimavit' D. 17, 2, 38 pr. 26, 9, 3. 'ut Sabinus existimaverit' Gai. 2, 216. 'Sabinus .. existimabat' D. 35, 1, 71, 3. 45, 1, 105. 45, 1, 115, 2. 'Sabinus dicit' D. 40,

5, 34, 2. 'dicit Sabinus' D. 47, 2, 17, 2. 'Sabinus dicebat' D. 24, 3, 59. 'negat Sabinus' D. 45, 3, 14. 'Sabinus probat' D. 30, 80. 39, 2, 40, 3. 'Sabinus consentit' D. 43, 14, 1, 7. 'Sabinus voluit' D. 39, 2, 35, 37. 'Sabinus significat' D. 30, 50, 1. 47, 2, 36, 2. 'Sabino placuit' Gai. 2, 178. D. 5, 3, 36, 5. 7, 1, 35 pr. 33, 8, 8, 3. 'Sabino .. placet' D. 4, 3, 39. 8, 6, 12. 'quamquam . . . Sabino placeat' Gai. 2, 154. 'Sabino .. videbatur' D. 8, 1, 9.

De iisdem rebus Cassium quoque dixisse non videtur putandum.

Denique ea fragmenta quibus sententiae solius Cassii, non item Sabini nomine insignes afferuntur, collocavi iis, quibus Cassii certi libri laudantur, praetermissis.

1) 'Cassius respondit' D. 5, 1, 24, 2. 12, 2, 26, 1. 16, 1, 16, 1. 30, 104, 1. 41, 6, 1, 2. 45, 3, 28, 4. 'Aristo refert Cassium respondisse' D. 17, 2, 29, 1. 'Cassius et Pegasus responderunt' D. 7, 1, 12, 2.

2) 'Cassius scribit' D. 5, 1, 26. 5, 3, 31, 5. 6, 1, 23, 5. 7, 4, 10, 5. 21, 1, 17, 2. 30, 37 pr. 32, 52 pr. 33, 7, 12, 11. 33, 7, 18, 10. 34, 2, 19, 19. 39, 2, 24, 8. 39, 2, 28. 39, 3, 1, 19. 39, 3, 2, 3. 40, 7, 3, 2. 41, 9, 1, 4. 42, 7, 2, 3. 43, 16, 1, 27. 43, 24, 3, 7 vel 'Cassius scripsit' D. 17, 2, 52, 12. 17, 2, 65, 3. 19, 2, 19, 1. 30, 5, 1. 32, 52, 4. 32, 65, 4. 45, 3, 9, 1. 47, 2, 5 pr. vel 'Labeo et Cassius scribunt' D. 28, 2, 6 pr.

3) 'Cassius ait' Gai. 3, 147. D. 10, 2, 44, 7. 12, 7, 2. 13, 3, 4. 13, 7, 18, 3. 19, 1, 11, 14. 21, 1, 65, 1. 33, 7, 18, 11. 34, 2, 8. 34, 2, 21, 2. 39, 2, 10. 39, 2, 15, 35. 41, 1, 27, 2. 34, 3, 4, 25. 41, 9, 1, 3. 44, 7, 35 pr. 46, 3, 17. 'Proculus Cassius .. aiunt' D. 35, 1, 43 pr. 'Cassius et Iulianus aiunt' D. 12, 2. 28, 1. 'Cassius putat' D. 5, 3, 13, 4. 17, 2, 29, 1. 'non putat' D. 1, 9, 2. 'existimat' D. 13, 6, 1, 1. 35, 2, 1, 14. D. 42, 7, 2, 5. 45, 3, 25. 'Gaii Cassii . . . sententia existimantis' D. 40, 5, 35. 'Cassium existimasse Urseius refert' D. 44, 5, 1, 10. 'Cassius et Proculus existimant' D. 7, 5, 3. 'quibusdam existimantibus

. . ., ut Nerva Cassio' D. 25, 2, 1. 'Cassius dicit' D. 2, 4, 4, 2. 'Cassium audisse se dicentem Aristo ait' D. 4, 8, 40. 'Cassius et Caelius Sabinus . . . dixerunt' D. 35, 1, 72, 7. 'Cassius negat' D. 40, 7, 2, 1. 'negavit' D. 19, 2, 32. 'probat' Gai. 3, 140. D. 14, 3, 5, 12. 29, 2, 21, 3. 43, 24, 11, 6. 'sensit' D. 5, 3, 40 pr. 33, 9, 5 pr. 'definit' D. 38, 16, 1, 10. 43, 12, 1, 3. 'Cassio placuit' Gai. 3, 71. 'Cassio et Pegaso placet' D. 2, 1, 11, 2. 'Cassii sententia' D. 43, 24, 11, 1. 'Cassii et Iuliani sententia' D. 41, 2, 1, 14. 'Cassius' D. 33, 7, 12, 17.

In Nervae sententiis vel accipiendis vel reiciendis Cassium nonnumquam aliter sensisse videmus atque Sabinum. at in aliis uterque Nervam reliquit (Gai. 2, 195 'Sabinus quidem et Cassius . . ., Nerva vero'; 3, 133 'Nervae placuit. Sabino autem et Cassio'. D. 41, 1, 7, 7 Gai. 'Nerva et Proculus putant . . .; Sabinus et Cassius'. D. 30, 26, 2 Pomp. 'Sabinus quidem et Cassius . . ., Proculus et Nerva'), in aliis secutus est (D. 18, 1, 57 pr. 'Nerva Sabinus Cassius'); semel Cassius eiusdem sententiam solus amplexus est (D. 25, 2, 1 'quibusdam existimantibus . . ., ut Nerva Cassio, . . . aliis, ut Sabino et Proculo').

Cassius atque Sabinus a ceteris eiusdem scholae quasi principes et auctores distinguuntur (Gai. 1, 196. 2, 195 'Sabinus .. et Cassius ceterique nostri praeceptores'). accedit, quod ambo vulgo coniunguntur (Gai. 4, 114 'vulgo dicitur Sabino et Cassio placere'). semel Cassii nomen Sabino praepositum est, scilicet a Pomponio D. 45, 3, 6 ('et Cassii et Sabini'. cf. D. 17, 2, 29, 2 Ulp. 'Cassius putat. quod ita demum valebit, ut et Sabinus scribit, si').

Cassii sententiae laudantur a Iavoleno (in libris quos ex Cassio fecit), ab Urseio (D. 7, 4, 10, 5), ab Aristone (D. 17, 2, 29, 2), a Iuliano (tam libris quos ex Urseio fecit, sc. libro I D. 30, 104, 1, II D. 24, 3, 59, IV D. 16, 1, 16, 1, V D. 40, 12, 30, quam iis quos ex Minicio fecit, certe IV D. 19, 2, 32), a Pomponio (tam libris quos ad Sabinum scripsit, scilicet libro III D. 22, 6, 3, 1; 35, 1, 6, 1, V D. 30, 26, 2, VI D. 34, 2, 21, 2, XIX D. 46, 3, 17,

XXVI D. 45, 3, 6, XXX D. 41, 1, 27, 2, quam libris Fideicommissorum D. 35, 2, 31 et Variarum Lectionum D. 4, 8, 40), a Venuleio Saturnino (libris Stipulationum D. 45, 3, 25, Actionum D. 21, 1, 65, 1, Interdictorum D. 42, 8, 11), a Maeciano (libris Fideicommissorum D. 40, 5, 35), a Gaio (libris de verborum obligationibus D. 45, 3, 28, 4, de manumissionibus D. 40, 4, 57, Rerum Cottidianarum D. 41, 1, 7, 7, ad edictum provinciale D. 16, 3, 14, 1, Institutionum 1, 196. 2, 79. 195 244. 3, 71. 133. 140. 147. 161. 4, 114), a Marcello (Digestorum libris D. 1, 9, 3), a Papiniano (Quaestionum libris D. 26, 7, 37 pr.; 35, 1, 72, 7), a Paulo (tam libris ad Sabinum, scilicet libro I D. 30, 5, 1, IV D. 33, 9, 5 pr., V D. 40, 7, 4, 8, VI D. 10, 2, 44, 7, VII D. 25, 2, 1, quam ad Vitellium D. 33, 7, 18, 10. 11, ad Plautium libro V D. 18, 1, 57 pr., VI D. 22, 1, 38, 7, VIII D. 35, 1, 43 pr.; 45, 2, 17, IX D. 34, 2, 8; 34, 3, 18, XII D. 35, 2, 49 pr., XVII D. 5, 1, 24, 2; 5, 1, 26; 9, 4, 31 pr.; 12, 1, 31, 1, ad legem Falcidiam D. 35, 2, 1, 14, ad legem Fufiam Caniniam D. 50, 16, 215, ad edictum libro XII D. 6, 1, 23, 5, XIII D. 4, 8, 19, 2, XVIII D. 12, 2, 26, 1 et 28, 1, XX D. 5, 3, 40 pr., XXI D. 8, 6, 2, XXIX D. 13, 7, 18, 3, XXXII D. 17, 2, 65, 3, XXXIII D. 18, 1, 1, 1, XLI D. 37, 6, 2, 5, XLVIII D. 39, 2, 10, XLIX D. 39, 3, 2, 3 et 11, 3, LIV D. 41, 2, 1. 5. 14; 41, 2, 3, 18; 41, 3, 4, 16. 17. 21. 28; 41, 6, 1, 2), ab Ulpiano (tam libris ad Sabinum: I D. 28, 2, 3, 6, III D. 28, 2, 6 pr., IV D. 40, 7, 2, 1, VII D. 29, 2, 21, 3, VIII D. 29, 2, 25, 4. 5, XII D. 38, 6, 1, 10, XVII D. 7, 1, 7, 3; 7, 1, 9, 5; 7, 1, 12, 2; 7, 1, 23, 1; 7, 1, 68, 1; 7, 1, 70 pr., § 2; 7, 4, 10, 5; 7, 8, 12, 1; Vat. fr. 70, XVIII D. 7, 5, 3, XX D. 33, 7, 12, 11. 13. 16. 17. 20. 27; 34, 2, 19, 19, XXI D. 30, 37 pr., XXIII D. 36, 2, 12, 1, XXIV D. 32, 52 pr., §§ 3. 4, XXVII D. 40, 7, 3, 1. 2, XXX D. 17, 2, 29, 1. 2, XXXI D. 41, 9, 1, 3. 4, XLI D. 47, 2, 5 pr.; 47, 2, 43, 5, XLVIII D. 45, 3, 9, 1, quam ad edictum praetoris libro V D. 2, 4, 4, 2; 2, 4, 10, 9, VI D. 3, 2, 4 pr., XII D. 4, 6, 26, 7; 15, 1, 42, XV D. 5, 3, 13, 4; 5, 3, 31, 5,

XVI D. 41, 3, 10pr., XVIII D. 7, 5, 3, XXVIII D. 13, 6, 1, 1; 14, 3, 5, 12, XXIX D. 15, 1, 3, 9, XXXI D. 17, 2, 52, 12. 18, XXXII D. 18, 1, 57 pr., XXXIII D. 24, 3, 22, 12, LIII D. 39, 2, 15, 35; 39, 3, 1, 8—11. 19, LVIII D. 42, 3, 4, 1, LXV D. 42, 7, 2, 3. 5, LXVIII D. 43, 12, 1, 3, LXIX D. 43, 16, 1, 14. 27; 43, 17, 3, 5, LXXI D. 43, 24, 3, 7; 43, 24, 11, 1. 6. 12, LXXVI D. 44, 5, 1, 10, LXXXI D. 39, 2, 24, 8; 39, 2, 28 et ad edictum aedilium curulium D. 21, 1, 17, 2), a Marciano (libris Regularum D. 1, 8, 8, 1 et Institutionum D. 32, 65, 4).

Probatae sunt aliae Cassii sententiae a Pegaso (D. 2, 1, 11, 2 'Cassio et Pegaso placet'. D. 7, 1, 12, 2 'Cassius et Pegasus responderunt'. D. 33, 7, 12, 16 'Pegasus ait ... quae sententia Cassii fuit'), Aristone (D. 7, 1, 7, 3 'Cassius .. scribit ... et Aristo notat haec vera esse'), Iavoleno (D. 28, 2, 6 pr. 'scribit Cassius et Iavolenus'), Celso (D. 43, 12, 1, 3 'sententia Cassii, quam et Celsus probat'), Pomponio (D. 7, 1, 12, 2 'Cassius et Pegasus responderunt et Pomponius ... probat'. D. 45, 3, 39 'non sine ratione est quod Gaius noster dixit' v. infra p. 60), Iuliano (D. 37, 6, 2, 5 'Iulianus ... Cassii sententiam sequitur'. D. 45, 3, 9, 1 'Iulianus Cassii sententiam probat'. D. 41, 2, 1, 14 'Cassii et Iuliani sententia est'. D. 12, 2, 28, 1 'Cassius et Iulianus aiunt'. D. 5, 3, 31, 5 'Cassius scribit et Iulianus'. cf. D. 5, 1, 24, 2), Gaio (D. 2, 1, 11, 2 'Cassio et Pegaso placet, et sane eorum sententia probabilis est'), Paulo (D. 10, 2, 44, 7 'Cassius ait, et verum est'. D. 30, 5, 1 'Cassius scribit, quod et verius est'. D. 33, 9, 5 pr. 'et sane vere Cassius sentit'. D. 41, 3, 4, 21 'Cassius scribit, ... quod puto rectius dici'), Ulpiano (D. 2, 4, 4, 2 'Gaius Cassius .. dicit, quod .. honestius est'. D. 17, 2, 29, 2 'Aristo refert Cassium respondisse .. ., et nos consentimus'. D. 32, 52, 4 'quod .. Cassius ... scripsit, verum est'. D. 42, 7, 2, 5 'Cassius existimat ... puto Cassii sententiam veriorem'. D. 43, 24, 11, 1 'exstat Cassii sententia ..., et haec sententia vera est'. D. 7, 5, 3 'Nerva negavit, sed est verius, quod Cassius et Pro-

culus existimant'. D. 29, 2, 25, 5 'magis placet, ut Gaius Cassius ... scribit'. D. 41, 9, 1, 4 'Cassius ait ... idem scribit ... quae sententia habet rationem'. D. 43, 12, 1, 3 'sententia Cassii, quam et Celsus probat, videtur esse probabilis'); improbatae sunt aliae vel pro incertis habitae vel cum exceptione tantum acceptae a Proculo (D. 35, 2, 1, 14 'Cassius .. existimat, Proculus contra'. cf. D. 45, 3, 28, 4. D. 5, 3, 40 pr.), Iuliano (D. 40, 7, 2, 1 'Cassius negat, Iulianus contra existimat'. D. 43, 24, 11 'inter Cassium et Iulianum ... quaestio est'), Paulo (D. 5, 3, 40 pr. 'in praedonis persona Proculus recte existimat, in bonae fidei possessoribus Cassius').

Divi Pii aetate Gaius nonnullas Cassii sententias a plerisque improbari tradit (3, 71 'Cassio placuit..., sed huius sententiam plerique inprobant'. 3, 147 'Cassius ait ..., sed plerisque placuit'). Maecianus quoque D. 40, 5, 35 ait: 'Gaii Cassii non est recepta sententia existimantis'. at Severi fere temporibus Paulus et Ulpianus alias Cassii sententias ius fecisse tradunt (Paulus D. 35, 2, 49 'Cassii sententia utimur', Ulpianus D. 45, 3, 9, 1 'Cassius ... scripsit et Iulianus Cassii sententiam probat eoque iure utimur'. cf. quae Ulpianus addit D. 2, 4, 4, 2 'Gaius Cassius ... dicit, quod ... merito optinuit' et D. 43, 24, 11, 1 'cum placeat quod Cassius probat'). at Ulpianus haec quoque tradit D. 40, 7, 2, 1 'Cassius negat, Iulianus contra existimat, quae sententia verior habetur'.

Tribonianus in Digestis componendis de Cassii sententiis vel recipiendis vel reiciendis vix debuit statuere; certe de ea re diserte nihil traditum est. tantum de eo sermo est, quod 'placuit Sabino' vel quod 'Sabinus existimabat' vel quod 'Sabiniani existimabant' C. 6, 26, 10 pr. I. 2, 20, 36. C. 6, 29, 3, 1. itaque haec res iam antea satis expedita erat.

I. Responsa.

In respondendo quoque Cassium saepissime Sabinum secutum esse ea docent quae supra p. 14 contuli.

Cassii responsa rettulerunt praeter Hyginum (gromat. p. 124) Urseius Ferox (D. 44, 5, 1, 10 'Cassium existimasse Urseius refert'), Titius Aristo (D. 17, 2, 29, 2 'Aristo refert Cassium respondisse'. D. 4, 8, 40 'Cassium audisse se dicentem Aristo ait'), Vivianus (D. 29, 7, 14 pr. 'Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum . . . quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt').

Quae responsa magis ad ius civile pertinent, primo, quae magis ad ius honorarium, secundo loco affero.

1. Ad ius civile.

De bonis libertorum.

1. Gai. 3, 71. — .. quaeritur an hoc senatusconsultum (sc. Lupo et Largo consulibus factum, ex quo bona Latinorum primum ad eum pertinent, qui eos liberaverit) ad eos patroni liberos pertineat, qui ex filia nepteve procreantur, id est ut nepos meus ex filia potior sit in bonis Latini mei quam extraneus heres; item ⟨an⟩ ad maternos Latinos hoc senatusconsultum pertineat quaeritur, id est ut in bonis Latini materni potior sit patronae filius quam heres extraneus matris. Cassio placuit utroque casu locum esse senatusconsulto.

De legatis.

De codicillis.

2. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum (P. 160). — Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huiusmodi controversiam: an legata, quae posteaquam instituti mortem obierunt codicillis adscripta vel adempta sunt, a substitutis debeantur [id est an perinde datio et ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat ac si testamento facta esset]. quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente.

Sequuntur haec: 'nimirum autem Sabini et Cassii collectio, quam et ipsi reddunt, illa est, quod codicilli pro parte testamenti habentur observationemque et legem iuris inde traditam servent. ego autem ausim sententiam Proculi verissimam dicere'.

cf. II 1 p. 356.

De usufructu legato.

3. D. 7, 1, 12, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2572). — Usufructuarius vel ipse frui ea re vel alii fruendam concedere (in iure cedere?) vel locare vel vendere potest; nam et qui locat utitur, et qui vendit utitur. sed et si alii precario concedat (in iure cedat?) vel donet, puto eum uti atque ideo retinere usum fructum, et hoc Cassius et Pegasus responderunt.

4. D. 7, 4, 10, 5. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2555). — Si massae usus fructus legetur et ex ea vasa sint facta vel contra, Cassius apud Urseium scribit interire usum fructum.

Quid verba 'Cassius apud Urseium scribit' sibi velint, viri docti valde dubitant. H. Pernice Misc. p. 57. Karlowa I, 694. Krueger p. 155 n. 64. Urseius Cassii sententiam rettulisse videtur, nimirum responsum litteris datum. de Cassii iuris civilis libris cogitari posse non puto.

De escario legato.

5. D. 34, 2, 21, 2. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 489). — .. de aquiminario Cassius ait consultum se respondisse, cum alteri argentum potorium, alteri escarium legatum esset, escario cedere.

De legato condicionali.

6. D. 30, 104, 1. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 888). — In testamento sic erat

scriptum: 'Lucio Titio, si is heredi meo tabellas, quibus ei pecuniam expromiseram, dederit, centum dato'. Titius deinde antequam tabellas heredi redderet, decesserat: quaesitum est, an heredi eius legatum deberetur. Cassius respondit, si tabulae fuissent, non deberi, quia non redditis his dies legati non cessit.

De societate.

7. D. 17, 2, 29, 2. Ulpianus libro trigensimo ad Sabinum (P. 2742). — Aristo refert Cassium respondisse societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum totum[1], alter damnum sentiret, et hanc societatem leoninam solitum appellare.

cf. Phaedr. fab. Aes. I, 5.

8. D. 17, 2, 52, 18. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922). — ... apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet. et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt, si iniuria iudicis damnatus sit, consecuturum, si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere.

De iure dotium.

9. D. 24, 3, 22, 12. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo tertio ad edictum (P. 955[a]). — .. si filio data sit (sc. dos) non iussu patris, Sabinus et Cassius responderunt nihilo minus cum patre agi oportere; videri enim ad eum pervenisse dotem, penes quem est peculium.

10. D. 24, 3, 59. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 895). — Filiae meae emancipatae et aegrae vir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius heredibus eius quam mihi redderet.

1 *Fl.* tantum.

Sabinus dicebat utile mihi eius dotis reciperandae iudicium dandum esse; Gaius idem.

De donatione inter virum et uxorem.

11. D. 41, 6, 1, 2. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 665). — .. si vir uxori rem donaverit et divortium intercesserit, cessare usucapionem Cassius respondit, quoniam non possit causam possessionis sibi ipsa mutare. alias ait post divortium ita usucapturam, si eam maritus concesserit, quasi nunc donasse intellegatur.

Cassii sententiam ad legis Cinciae praecepta respicientem a Triboniano corruptam esse Pernice iure videtur censere.

De furtis.

12. D. 41, 2, 3, 18. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658b). — Si rem apud te depositam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere. sed si eam loco non moveris et infitiandi animum habeas, plerique veterum et Sabinus et Cassius .. responderunt possessorem me manere, quia furtum sine contrectatione fieri non potest nec animo furtum admittatur.

De condictione.

13. D. 44, 5, 1, 10. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1684). — .. si patronus libertum suum delegaverit creditori, an adversus creditorem, cui delegatus promisit libertatis causa onerandae, exceptione ista uti possit, videamus. et Cassium existimasse Urseius[1] refert creditorem quidem minime esse submovendum exceptione, quia suum recepit; verumtamen libertum patrono posse condicere [si non transigendae controversiae gratia id fecit].

1 *Fl.* Cassius existimasse Urseium.

De verborum obligatione.

14. D. 45, 3, 28, 4. Gaius libro tertio de verborum obligationibus (P. 516). — Illud quaesitum est, an heredi futuro servus hereditarius stipulari possit... Cassius respondit posse, quia qui postea heres extiterit, videretur ex mortis tempore defuncto successisse.

15. D. 16, 1, 16, 1. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ad Urseium Ferocem (P. 924). — Si ab ea muliere, quae contra senatus consultum (sc. Velleianum) intercessisset, fideiussorem accepissem, Gaius Cassius respondit ita demum fideiussori exceptionem dandam, si a muliere rogatus *fideiuss*isset[1].

De adquirendo rerum dominio.

16. Hygin. de gen. controv. p. 124 (ed. Lachm.). — Circa Padum .. cum ageretur, quod flumen torrens et aliquando tam violentum decurrit, ut alveum mutet et multorum late agros trans ripam, ut ita dicam, transferat, saepe etiam insulas efficiat, Cassius Longinus ... hoc statuit, ut quidquid aqua lambiscendo abstulerit, id possessor amittat, quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet; si vero maiore vi decurrens alveum mutasset, suum quisque modum agnosceret, quoniam non possessoris neglegentia sed tempestatis violentia abreptum apparet; si vero insulam fecisset, a cuius agro fecisset, is possideret; at si ex communi, quisque suum reciperet.

cf. Frontini lib. I cum commento p. 16 in n.: '... lambiendo ..., quia non ...' et ex demonstratione artis geometricae excerpta ibid. p. 399: '.. Cassius Longinus ... hoc statuit, ut quicquid aqua lambiendo abstulerit, possessor amittat, quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet. si vero maior vis decurrerit, et in fines alterius alveum mutat suum, et fiat

1 *Fl.* rogatus fuisset.

insula in quo cucurrerit, unus quisque modum fluminis maioris agnoscere debet, et eam insulam ipse sibi vindicabit, cuius terram tempestative praeoccupavit; quoniam non possessoris neglegentia sed tempestatis violentia apparet abreptum.'

De possessione.

17. D. 41, 2, 1, 5. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657). — .. adquirimus possessionem per servum aut filium, qui in potestate est, et quidem earum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorantes, sicut Sabino et Cassio ... placuit, quia nostra voluntate intellegantur possidere, qui eis peculium habere permiserimus.

2. Ad ius honorarium.

De iure domum revocandi.

18. D. 5, 1, 24, 2. Idem (sc. Paulus) libro septimo decimo ad Plautium (P. 1231[a]). — .. si postulatur in rem actio adversus legatum, numquid danda sit, quoniam ex praesenti possessione haec actio est? Cassius respondit sic servandum, ut, si subducatur ministerium ei, non sit concedenda actio, si vero ex multis servis de uno agatur, non sit inhibenda.

Qui nisi pro certis personis ne postulent.

D. 3, 2, 1 Praetoris verba dicunt: '... qui artis ludicrae pronuntiandive causa in scaenam prodierit.'

19. D. 3, 2, 4 pr. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 279[b]). — Athletas .. Sabinus et Cassius responderunt omnino artem ludicram non facere; virtutis enim gratia hoc facere.

De recepto arbitrio.

20. D. 4, 8, 40. Pomponius libro undecimo ex Variis Lectionibus (P. 832). — Arbiter calendis Ianuariis

adesse iussit et ante eum diem decessit; alter ex litigatoribus non adfuit. procul dubio poena minime commissa est; nam et Cassium audisse se dicentem Aristo ait in eo arbitro, qui ipse non venisset, non esse commissam.

De iure iurando.

21. D. 12, 2, 26, 1. Paulus libro octavo decimo ad edictum (P. 280). — Si pater filium dare non oportere iuraverit, Cassius respondit et patri et filio dandam exceptionem iurisiurandi.

II. Edicta et decreta Cassii praetoris.

1. D. 4, 6, 26, 7. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 439). — Si feriae extra ordinem sint indictae, ob res puta prospere gestas vel in honorem principis, et propterea magistratus ius non dixerit, Gaius Cassius nominatim edicebat restituturum se, quia per praetorem videbatur factum; sollemnium enim feriarum rationem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit et debuerit actor, ne in eas incidat. quod verius est, et ita Celsus libro secundo Digestorum scribit.

cf. Pernice II² p. 199 n. 7

2. D. 29, 2, 99. Pomponius libro primo Senatus Consultorum (P. 806). — Aristo in decretis Fronti⟨ni⟩anis ita refert. Cum duae filiae patri necessariae heredes exstitissent, altera se paterna abstinuerat hereditate, altera bona paterna vindicare totumque onus suscipere parata erat. sanctum Cassium praetorem causa cognita actiones hereditarias utiles daturum recte pollicitum ei, quae ad hereditatem patris accesserat denegaturumque ei quae se abstinuerat.

Pernice II² p. 199 vix iure dubitat, an hoc edictum a Cassio nostro propositum sit.

3. D. 42, 8, 11. Venuleius Saturninus libro sexto Interdictorum (D. 29). — Cassius actionem introduxit in id quod ad heredem pervenit.

Agitur de iis quae in fraudem creditorum facta sunt. Lenel Edict. p. 399 n. 1 ait: 'Venul. will wohl nicht sagen, dafs Cassius diese, sondern dafs er überhaupt die Bereicherungsklage aus Delicten adversus heredem eingeführt habe'.

4. D. 44, 4, 4, 33. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1682). — Metus causa exceptionem Cassius non proposuerat contentus doli exceptione, quae est generalis.

Ulpianus addit: 'sed utilius visum est etiam de metu opponere exceptionem'. de Ulpiani sententia, qualis quidem traditur, valde dubia v. Pernice II² p. 199. 232, qui vir doctissimus p. 199 iterum dubitat, an de Gaio Cassio sermo sit: 'Willkürliche Änderungen am Edikte noch unter der Regierung des Tiberius haben eine Vermutung gegen sich'. at ante Hadrianum praetores magni nominis auctoritatisque probatae, cuius generis Cassium fuisse apparet, edictum more antiquo ad melius produxisse negari nequit. cf. Aquillium Gallum I p. 115.

III. Sententiae in senatu dictae.

1. Tac. ann. 13, 41 ad a. 58 postquam res contra Tiridatem bene gestas narravit, sic pergit: 'Ob haec consalutatus imperator Nero, et senatus consulto supplicationes habitae, statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit, eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.'

2. Tac. ann. 14, 42—44 ad a. 61 haec narrat: '... praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti incensus et dominum aemulum non tolerans. ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est; senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus, ex quis C. Cassius sententiae loco in hunc modum disseruit:

Saepe numero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et, quae converterentur, in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. quod hodie evenit, consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis nondum concusso ⟨more vetusto, firmato etiam novo⟩ senatusconsulto, quod supplicium toti familiae minitabatur. decernite hercule inpunitatem, ut quem dignitas sua defendat, cum praefectura urbis non profuerit? quem numerus servorum tueatur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem ferat, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? an, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector, quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri. libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est? sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum

interficiendi domini animum sumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? sane consilium occultavit, telum inter ignaros paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret omnibus nesciis? multa sceleris indicia praeveniunt: servis si pereundum sit, ni prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo non inulti inter nocentes agere. suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris. at quidam insontes peribunt. nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.

'Sententiae Cassii ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. praevaluit tamen pars, quae supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minante. tum Caesar populum edicto increpuit atque omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis saepsit. censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur; id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur'.

IV. Notae ad Vitellium.

Cassium ad Masurii Sabini opusculum, quod vulgo 'Vitellius' nominabatur (v. II, 1 p. 376), notas scripsisse Ulpianus D. 33, 7, 12, 27 (v. infra 31) videtur tradere; quod nescio an in nova praeceptoris opusculi editione notis instructa fecerit.

D. 33, 7, 12, 27. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2611). — .. si fundus non sit cum instrumento legatus, sed ita ut instructus sit, quaesitum est, an plus contineatur, quam si cum instrumento legatus esset. et Sabinus libris ad Vitellium scribit fatendum esse plus esse, cum instructus fundus legetur, quam si cum instrumento ... quanto igitur hoc legatum uberius est, videndum est. et Sabinus definit [et Cassius apud Vitellium notat]: omnia quae eo (sc. fundo) collocata sunt, ut instructior esset paterfamilias, instructo, inquit, continebuntur. id est quae ibi habuit, ut instructior esset]. ⟨et Cassius apud Vitellium notat: id sibi placere⟩.

Verborum contextum a Triboniani adiutore brevitatis causa mutatum, verba 'et Cassius apud Vitellium notat' a suo loco remota esse puto. ad rem cf. Paul. S. 3, 6, 43—52.

Iuris civilis libri.

Masurii Sabini praeceptoris exemplum secutus Cassius quoque iuris civilis libros composuit, quos cum Paulus libris ad edictum (D. 37, 6, 2, 5 'Gaius Cassius libro septimo iuris civilis ... putat') tum Ulpianus libris ad Sabinum laudat (D. 29, 2, 25, 4 'Gaius Cassius libro secundo iuris civilis scribit'. D. 7, 1, 7, 3 'Cassius quoque scribit libro octavo iuris civilis'. D. 7, 1, 9, 5 'Cassius ait libro octavo iuris civilis'. D. 7, 1, 23, 1 'Sabinus respondit et Cassius libro octavo iuris civilis scripsit'. D. 7, 1, 70 pr. 'Gaius Cassius scribit libro decimo iuris civilis'), quibus ex libris Iavolenus Priscus XV fecit, 'ex Cassio' qui nominantur (P. 1—69 et infra in hac collectione): 'commentarii Gaii' vel 'libri Gaii Cassii' ve 'libri Gaii', qui a Iavoleno in librorum illorum fragmentis laudantur (D. 35, 1, 54. 40, 7, 28. 46, 3, 78), quin Cassii iuris civilis sint, nemo dubitat. Tribonianus qui Masurii iuris civilis libros ut in auctorum indicem recepit, ita in novis Digestis componendis neglexit (II, 1

p. 401), cum Iavoleni libros ex Cassio factos adhibuisse satis duceret, Cassii illis libris non magis usus est quam Masurii; Iavoleni solos in auctorum indice nominat ('Iavolenu ex Cassio βιβλία δεκαπέντε').

Praeterquam quod Cassium plures quam Sabinum libros scripsisse inde apparet, quod laudatur liber X, de numero nihil constat; Karlowa I p. 692 Cassii libros non pauciores quam Iavoleni, at Krueger p. 154 multo plures fuisse existimat.

De rerum ordine a Cassio statuto haec monenda sunt. cum secundo libro de hereditate iussu tutoris a pupillo cernenda videatur dixisse (D. 29, 2, 25, 4. 5), libro VI, si quidem numerus integer est, de tutore ideo a pupillo petito, quod cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult (D. 26, 1, 3, 2), libro VII de bonorum possessione ab emancipatis petita (D. 37, 6, 2, 5), libris VIII et X de usufructu legato, quin primo libro de testamentis, nono autem item de usufructu legato disseruerit, dubitari nequit.

Decimo libro opus non absolutum fuisse satis apparet; imperfectum autem opus a Cassio relictum esse, id quod quis coniecerit, improbatur libris ex Cassio Iavoleni, qui certe in his libris non modo de testamentis, legatis, bonorum possessione, sed etiam de dotibus, tutelis, adoptionibus, emptione venditione et usucapione, de servitutibus, interdictis, delictis, bonorum venditione dixit. accedunt non nulla fragmenta vel integri libri, quibus quid tractatum sit, adhuc non satis cognitum est.

Lenel, qui multa in Iavoleni his libris in obscuro remanere ait, dubitari posse existimat, 'an unum fuerit Cassii opus quod Iavolenus excerpserit'; 'et equidem', inquit vir doctissimus, 'facilius inducor, ut credam post libros de iure civili etiam singulares quosdam Cassii libros in hanc epitomen esse redactos'. at neque quicquam indicii est, eiusmodi libros singulares a Cassio emissos esse neque ipsa materia Iavoleni librorum extremorum qualis quidem cognoscitur, illa coniectura satis

commendatur. certe Iavoleni liber ultimus, quo de furtis et de bonorum venditione disserit, cum Q. Mucii iuris civilis libris extremis XVI et XVIII, quibus aeque de furtis et de publicatione bonorum dictum esse vel constat vel probabile est (I p. 97 et p. 100), plane concordat. quod libro paenultimo Iavolenus de lege Aquilia et de pauperie dixit (D. 9, 2, 37), aperte ad delictorum caput pertinet libri ultimi priore parte continuatum. neque cum Lenelio huius libri fragmenta ei capiti attribuere licet, quo de legibus aetatis ratione habita collocatis disseritur. quod Iavolenus morbum sonticum eum esse ait, 'qui cuique rei nocet' (D. 50, 16, 113), non tam ad legem XII tabularum pertinere putaverim, quam ad in ius vocationem. reliqua eiusdem libri fragmenta, quae Lenel 'de lege Falcidia' et 'de lege Cincia' inscripsit, potius ad id caput quo de plus petendo agitur, referenda puto, de quo vel Gaius 4, 53 sqq. diligenter dixit. post interdicta Iavolenus de actionibus videtur dixisse.

His igitur fere rubricis Iavoleni librorum capita insignire malo:

Liber I	De testamentis.
Liber II	De legatis.
Liber III	De bonorum possessione contra tabulas.
Liber IV	De dotibus.
Liber V	De tutelis.
Liber VI	De his qui alieni iuris sunt.
Liber VII	De mancipi rerum emptione venditione. De possessione et usucapione.
Liber VIII	De mancipi rerum locatione conductione.
Liber IX	De sponsore.
Liber X	De servitutibus. De locis publicis.
Liber XI	De nec mancipi rebus adquirendis.
Liber XII	De peculio et de in rem verso.
Liber XIII	De interdictis.
Liber XIV	De actionibus. De lege Aquilia.
Liber XV	De furtis. De bonorum venditione.

Iam librorum Sabini Iavoleni Cassii ordo, quatenus cognoscitur, hoc conspectu illustrari potest:

Sabini iuris civilis libri.	Iavolenus ex Cassio.	Cassius.
(Ea tantum Sabini et Iavoleni capita apposui, quae in utroque opere reperiuntur)		
De testamentis (l. I).	De testamentis (l. I).	De aditione hereditatis (l. II).
De legatis (l. II).	De legatis (l. II), [de bonorum possessione].	De bonorum possessione (l. VII). De legatis (l. VIII et X).
De libertate relicta (l. II).		
De operis libertorum (l. II).		
De mancipatione et emptione vend. (l. II).		
De iure dotium (l. II).	De iure dotium (l. IV).	
De tutelis (l. II).	De tutelis (l. V).	
De furtis (l. II).	De manumissione (l. VI).	
De lege Aquilia (l. II).	De operis libertorum (l. VI).	
	De mancipatione (?) et empt. venditione (l. VII).	
De usucapione (l. III).	De possessione et usucapione (l. VII).	

De donationibus (l. III).	De servitutibus (l. X).
De servitutibus (l. III).	De donationibus (l. XIV).
	De furtis (l. XIV).
	De lege Aquilia (l. XIV).

Iavolenus in libris ex Cassio compositis honorarii quoque iuris videtur rationem habuisse neque in his rebus Cassii iuris civilis libris usus esse.

Earum quoque sententiarum, quas auctore non indicato Iavolenus profert, pars quidem Cassii esse potest, cui tamen sua, cum discriminis rationes nos fugiant, tribuere vix licet.

In collocandis Cassii fragmentis et Sabinum et Iavolenum duces sequi licet.

Liber I.

De testamentis.

De filio familias vel instituendo vel exheredando.

1. Gai. 2, 123. — . . qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum vel heredem instituat vel nominatim exheredet; alioquin si eum silentio praeterierit, inutiliter testabitur, adeo quidem, ut nostri praeceptores existiment, etiamsi vivo patre filius defunctus sit, neminem heredem ex eo testamento existere posse, quia scilicet statim ab initio non constiterit institutio.

2. D. 28, 2, 3, 6. Idem (sc. Ulpianus) libro primo ad Sabinum (P. 2433). — Si ita testatus sit pater familias, ut a primo quidem gradu filium praeteriret, a secundo solo exheredaret, Sabinus et Cassius . . . putant perempto primo gradu testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exheredatus est.

De heredis institutione condicionali.

3. D. 35, 1, 6, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 423). — ('Si servos certos quis manumisisset, heres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis . . . cum ita esset scriptum: 'si filia et mater mea vivent' altera iam mortua . .') Sabinus . . et Cassius quasi impossibiles eas condiciones in testamento positas pro non scriptis esse.

De substitutione pupillari.

4. D. 42, 5, 28. Iavolenus libro primo Epistularum. — Pater familias impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit heredem . . . me illud maxime movet, quod praeceptoribus tuis placet unum esse testamentum.

Verba sunt eius qui Javolenum consuluit.

De postumo herede scribendo.

5. D. 28, 2, 6 pr. Ulpianus libro tertio ad Sabinum (P. 2445). — . . est quaesitum, an is, qui generare facile non possit, postumum heredem facere possit, et scribit Cassius . . . posse; nam et uxorem ducere et adoptare potest. spadonem quoque posse postumum heredem scribere et Labeo et Cassius scribunt, quoniam nec aetas nec sterilitas ei rei impedimento est.

Liber II.

De hereditate adquirenda.

De cretione.

6. D. 22, 6, 3, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 416). — . . Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert non deperditi et nimium securi hominis.

De Sabini sententia v. II 1 p. 422, quae nescio an potius capiti de adquirenda hereditate (l. c. p. 427) inserenda fuerit.

7. D. 29, 2, 25, 4. Idem (sc. Ulpianus) libro octavo ad Sabinum (P. 2491). — Iussum eius qui in potestate habet non est simile tutoris auctoritati, quae interponitur perfecto negotio, sed praecedere debet, ut Gaius Cassius libro secundo iuris civilis scribit. et putat vel per internuntium fieri posse vel per epistulam.

8. D. ibid. § 5. — Sed utrum generaliter 'quaecumque tibi hereditas fuerit delata', an specialiter? et magis placet, ut Gaius Cassius scribit, specialiter debere mandare.

cf. Gai. 2, 87. 187 sqq. Pernice I p. 504.

De gestione pro herede.

9. D. 29,2,21,3. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo ad Sabinum (P. 2482). — Si quis partem ex qua institutus est ignoravit, Iulianus scribit nihil ei nocere, quominus pro herede gereret. quod et Cassius probat, si condicionem, sub qua heres institutus est, non ignorat [si tamen exstitit condicio, sub qua substitutus est].

Liber II vel III.

De rupto testamento.

10. C. 6, 29, 3. Imp. Iustinianus A. Iuliano pp. (a. 530). — .. cum .. is qui in ventre portabatur praeteritus fuerat, qui si ad lucem fuisset redactus, suus heres patri existeret, si non alius eum antecederet et nascendo ruptum testamentum faciebat, si postumus in hunc quidem orbus devolutus est, voce autem non emissa ab hac luce subtractus est, dubitabatur, si is postumus ruptum facere testamentum potest ... Sabiniani existimabant, si vivus natus est, etsi vocem non emisit, ruptum testamentum ...

Libri III—VI.

De rebus his libris tractatis quamquam nihil traditum videtur, cum, quod Ulpianus D. 26, 1, 3, 2 Cassium libro VI scripsisse ait, errori librarii tribuendum videatur (v. p. 58), tamen haec fere probabili coniectura assequi licet. primum Cassius non modo testamentum iure civili factum, sed illud quoque explicasse videtur, ex quo praetor bonorum possessionem secundum tabulas pollicetur, de quo Gai. 2, 119. 147; deinde intestatorum hereditates, de quibus Gai. 3, 1—17 disserit, explicare debuit. atque iterum non modo de legitimis heredibus, sed etiam de iis Cassius dixisse videtur, quos praetor ad hereditatem vocat, de quibus Gai. 3, 18—38; praeterea de libertorum libertinarumque intestato mortuorum mortuarumque bonis, de quibus Gai. 3, 39—53; de bonis Latinorum libertinorum, de quibus Gai. 3, 55—73; de bonis eorum, quos lex Aelia Sentia dediticiorum numero facit, de quibus Gai. 3, 74—76; denique de bonorum possessione, quam praetor contra tabulas promittit, de qua Gai. 2, 125. 129. 135.

Haec iura, quae Gaius in Institutionibus 'quasi per indicem tetigisse' satis habuit (3, 51), diligentius nisi pluribus libris tractari non potuisse satis apparet. quod libro VII Cassium de bonorum possessione emancipatis liberis a praetore data disputasse traditur, aliquatenus ea confirmantur, quae de rebus prioribus libris explicatis constituimus.

De legitimis heredibus.

De ingenuorum heredibus.

De consanguineis.

11. D. 38, 16, 1, 10. Ulpianus libro duodecimo ad Sabinum (P. 2513). — Consanguineos .. Cassius definit eos, qui sanguine inter se conexi sunt.

Cassii definitionis a Triboniano in breve, ut videtur, coactae Mommsen hanc fere genuinam formam fuisse conicit: 'fratres et sorores ex eodem patre quia.' cf. Ulp. fr. 26, 1 'Intestatorum ingenuorum hereditates pertinent primum ad suos heredes ... si sui heredes non sunt, ad consanguineos, id est fratres et sorores ex eodem patre; si nec hi sunt, ad reliquos agnatos proximos ...' Collat. 16, 6, 1 Idem (sc. Ulp.). 'Post suos ab intestato legitimi admittuntur, primum consanguinei . <consanguinei> sunt frater et soror, qui in eiusdem potestate patris fuerunt, etsi ex diversis matribus nati sunt. consanguineos et adoptio facit et adrogatio <et> causae probatio et in manum conventio.'

De hereditate ante cretionem in iure cessa.

Gai. 3, 85 .. si legitimam hereditatem heres, antequam cernat aut pro herede gerat, alii in iure cedat, pleno iure fit ille heres, cui cessa est hereditas, proinde ac si ipse per legem ad hereditatem vocaretur.

12. Gai. 3, 87. — Suus autem et necessarius heres an aliquid agant in iure cedendo quaeritur. nostri praeceptores nihil eos agere existimant.

De credito a mortui debitore petendo.

13. D. 5, 1, 28, 5. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1232). — Si pater familias mortuus esset relicto uno filio et uxore praegnate, non recte filius a debitoribus partem dimidiam crediti petere potest, quamvis postea unus filius natus sit [quia poterant plures nasci, cum per rerum naturam certum fuerit unum nasci]. sed Sabinus Cassius partem quartam peti debuisse, quia incertum esset, an tres nascerentur [nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cum futura utique fierent, sed nostram inscientiam aspici debere].

Quae uncis inclusi, neque veterum neque Pauli esse iure censet Pernice. cf. II 2 p. 581.

De bonis eorum qui dediticiorum numero sunt.

14? Gai. 3, 74, 75. — Eorum .. quos lex Aelia Sentia dediticiorum numero facit, bona modo quasi civium Romanorum libertorum, modo quasi Latinorum ad patronos pertinent. nam eorum bona qui, si in aliquo vitio non essent, manumissi cives Romani futuri essent, quasi civium Romanorum patronis eadem lege tribuuntur . non tamen hi habent etiam testamenti factionem; nam id plerisque placuit ...; nam incredibile videbatur pessimae condicionis hominibus voluisse legis latorem testamenti faciendi ius concedere.

Liber VII.

De bonorum possessione unde liberi.

Gai. 3, 18 .. emancipati liberi nullum ius in hereditatem parentis ex ea lege (sc. XII tabularum) habent, cum desierint sui heredes esse. Id. 3, 26 .. liberos omnes qui legitimo iure deficiuntur, vocat ad hereditatem (sc. praetor), proinde ac si in potestate parentis mortis tempore fuissent, sive soli sint sive etiam sui heredes, id est qui in potestate patris fuerunt, concurrant. Ulp. 26, 28, 4 emancipatis liberis ex edicto datur bonorum possessio, si parati sunt cavere fratribus suis, qui in potestate manserunt, bona quae moriente patre habuerunt se collaturos.

15. D. 37, 6, 2, 5. Paulus libro quadragensimo primo ad edictum (P. 586). — Si tres emancipati, duo in potestate sint, Gaius Cassius libro septimo iuris civilis tertias conferendas putat, ut emancipati, quia invicem non conferunt, unius loco sint; nec indignari eos oportere, si plus conferant et minus accipiant, quia in potestate eorum fuerit bonorum possessionem omittere.

Liber VIII.

De legatis.

Hoc libro et sequentibus IX et X Cassium de usufructu legato dixisse certum est. quam legatorum speciem

certe apud Masurium Sabinum primum locum obtinuisse vidimus (II 1 p. 449). sed cum capiti de usufructu legato generalia quaedam de legatis praemissa fuisse consentaneum sit, ea quae de codicillis et de legatorum generibus apud Cassium servata sunt, praemittenda putavi.

Quibus recte legemus.

16. Gai. 2, 244. — An ei qui in potestate sit eius quem heredem instituimus, recte legemus quaeritur. Servius recte legari putat, sed evanescere legatum, si quo tempore dies legatorum cedere solet, adhuc in potestate sit ... Sabinus et Cassius sub condicione recte legari, pure non recte, putant; licet enim vivo testatore possit desinere in potestate heredis esse, ideo tamen inutile legatum intellegi oportere, quia quod nullas vires habiturum foret, si statim post testamentum factum decessisset testator, hoc ideo valere, quia vitam longius traxerit, absurdum esset.

De legato per vindicationem.

17. Gai. 2, 195. — .. Sabinus .. et Cassius ... quod ita legatum sit (sc. per vindicationem), statim post aditam hereditatem putant fieri legatarii, etiamsi ignoret sibi legatum esse, sed posteaquam scierit et ⟨spreverit⟩ legatum, proinde esse, atque si legatum non esset.

18. Gai. 2, 200. — .. quaeritur, quod sub condicione per vindicationem legatum est, pendente condicione cuius esset. nostri praeceptores heredis esse putant exemplo statu liberi, id est eius servi, qui testamento sub aliqua condicione liber esse iussus est, quem constat interea heredis servum esse.

De legato per damnationem.

19. D. 45, 2, 17. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1158). — Sive a certis personis heredum nominatim

legatum esset, sive ab omnibus excepto aliquo, Atilicinus Sabinus Cassius pro hereditariis partibus *tantum* eos legatum debituros aiunt, quia hereditas eos obligat.

20. D. 35, 1, 54. Iavolenus libro secundo ex Cassio (P. 12). — Si quis legata, quibus dies adposita non esset, annua bima trima die dari iussit et alicui, cum pubes esset, pecuniam legavit, id quoque legatum annua bima trima die post pubertatem praestandum esse in commentariis Gaii scriptum est, quia magis condicio quam dies legato adiecta esset.

21. D. 36, 2, 12, 1. Ulpianus libro vicensimo tertio ad Sabinum (P. 2645[b]). — .. Labeo Sabinus et .. Cassius .. in omnibus, quae in annos singulos relinquuntur, hoc probaverunt, ut initio cuiusque anni huius legati dies cederet.

De legato per praeceptionem.

22. Gai. 2, 216. — Per praeceptionem hoc modo legamus: 'Lucius Titius hominem Stichum praecipito.' sed nostri .. praeceptores nulli alii eo modo legari posse putant, nisi ei qui aliqua ex parte heres scriptus esset, praecipere enim esse praecipuum sumere ...

23. Gai. 2, 219. — Item nostri praeceptores quod ita legatum est, nulla ⟨alia⟩ ratione putant posse consequi eum, cui ita fuerit legatum, quam iudicio familiae erciscundae ... officio enim iudicis id contineri, ut ei quod per praeceptionem legatum est, adiudicetur.

24. Gai. 2, 220. — Unde intellegimus nihil aliud secundum nostrorum praeceptorum opinionem per praeceptionem legari posse nisi quod testatoris sit; nulla enim alia res quam hereditaria deducitur in hoc iudicium ... aliquo tamen casu etiam alienam rem ⟨per⟩ praeceptionem legari posse fatentur; veluti si quis eam rem legaverit quam creditori fiduciae causa mancipio dederit; nam officio iudicis coheredes cogi posse existimant soluta pecunia luere eam rem, ut possit praecipere is cui ita legatum sit.

De bonorum parte legata.

25. D. 30, 26, 2. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 448). — Cum bonorum parte legata dubium sit, utrum rerum partes an aestimatio debeatur, Sabinus .. et Cassius aestimationem, Proculus et Nerva rerum partes esse legatas existimaverunt.

De iis quae sub condicione legantur.

26? D. 35, 1, 68. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — Si ita legatum esset 'cum nubserit', si nupta fuerit et hoc testator scisset, alterum matrimonium *esse* exspectandum nihilque inter*esse*, utrum vivo testatore an post mortem ea iterum nupserit.

Tribonianus scripsit: 'matrimonium erit nihilque intererit.'

27. Gai. 3, 98. — .. legatum sub inpossibili condicione relictum nostri praeceptores proinde deberi putant, ac si sine condicione relictum esset.

De lege Falcidia.

28. D. 35, 2, 1, 14. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam (P. 921°). — Si coheredis mei portio exhausta sit, mea integra, et illam vindicavero (sc. ut caducam), Cassius confundendas esse partes existimat.

De usufructu legato.

De usufructu uxori relicto.

29. D. 10, 2, 44, 7. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1740). — Usu fructu uxori legato donec ei dos solvatur, per arbitrum familiae erciscundae tam id, quod coheredis nomine ex dote solutum sit, reciperari [potest], quam ut coheres solvat effici posse Cassius ait.

De fundi usufructu.

30. D. 7, 1, 7, 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2558). — Cassius . . . scribit libro octavo iuris civilis fructuarium per arbitrum cogi reficere, quemadmodum adserere cogitur arbores.

cf. D. 7, 1, 59 Paulus libro tertio Sententiarum. Arbores vi tempestatis, non culpa fructuarii eversas ab eo substitui non placet.

31. Vat. fr. 70, 2. — Cassius .. usumfructum ——— ⟨cum constet arbores⟩ demortuas ad fruc⟨tuarium pertinere ———⟩

32. D. 7, 1, 9, 5. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2559[a]). — Aucupiorum quoque et venationum reditum Cassius ait libro octavo iuris civilis ad fructuarium pertinere [ergo et piscationum].

Paul. S. 3, 6, 22. 'venationis .. et aucupii reditus ad fructuarium pertinent.'

De mancipii usufructu.

33[a]. Vat. fr. § 71[b]. — .. videndum, si f⟨ructus servi legatus sit⟩ — ⟨quid contineatur⟩ legato. quidquid is ex opera s⟨ua adquirit vel ex re fructuarii, ad eum pertinet, sive manci⟩pio accipiat sive sti⟨puletur sive ei possessio fuerit tradita.⟩ similiter legatario adquirit et si he⟨res institutus sit vel legatum acceperit.⟩

Quoniam autem diximus quod ex operis adquiritur ad fructuarium pertinere, sciendum ⟨est etiam cogendum eum operari; etenim modicam quo⟩que castigationem fruc⟨tuario competere Sabinus respondit et Cassius lib. VIII iu⟩ris civilis scripsit, ita ut neque ⟨torqueat neque flagellis caedat.⟩

33[b]. D. 7, 1, 23, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2560[b]). — .. modicam quoque castigationem fructuario competere Sabinus respondit et Cassius libro octavo iuris civilis scripsit, ita ut neque torqueat, neque flagellis caedat.

cf. Paul. S. 3, 6, 23. Servos neque torquere neque flagellis caedere neque in eum casum facto suo perducere usufructuarius potest, quo deteriores fiant.

34. Vat. fr. 72, 1. — <iidem (sc. et Sabinus et Cassius) fructum operae> gladiatoriae eius (sc. servi cuius fructus legatus est) us<que ad praemia fructuario puta>nt competere posse, ut vero pug<net, cogi non posse.>

Liber IX.

De usufructu legato.

Hoc libro, quamquam nulla eius fragmenta extant, de usu fructu legato iterum tractatum fuisse inde efficitur, quod decimo quoque libro de eadem re tractatur. quod decimo libro Cassium de gregis usufructu dixisse traditur, conicias eum nono libro de eo legato dixisse, quo et fundus et mancipia relinquuntur, de quo Vat. fr. § 73 quaedam traduntur.

Liber X.

De usufructu legato.

De gregis usufructu.

35. D. 7, 1, 68, 2. 70pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2574[a. b]). — .. si gregis . . . sit usus fructus legatus, debebit ex adgnatis gregem supplere . . . quid .. si non faciat nec suppleat (sc. gregem fructuarius)? teneri eum proprietario Gaius Cassius scribit libro decimo iuris civilis.

Paul. S. III, 6, 20. Gregis usufructu legato grege integro manente fetus ad usufructuarium pertinent, salvo eo, ut quidquid gregi deperierit, ex fetibus impleatur.

36? D. 7, 4, 31. Pomponius libro quarto ad Quintum Mucium (P. 238). — Cum gregis usus fructus legatus est et usque eo numerus pervenit gregis, ut grex non intellegatur, perit usus fructus.

De pecorum usufructu.

37. D. 7, 1, 68, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2574[a]). — Fetus .. pecorum Sabinus et Cassius opinati sunt ad fructuarium pertinere.

38. D. 7, 1, 70, 2. Ulp. ibid. (P. 2574[b]). — .. Gaius Cassius libro octavo scribit carnem fetus demortui ad fructuarium pertinere.

De usufructu per senatus consultum concesso.

39. D. 7, 5, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2590[b]). — Post quod (sc. senatus consultum) omnium rerum usus fructus legari poterit. an et nominum? .. Cassius et Proculus existimant, posse legari.

Sententiam eidem libro attribuere licet.

Plane incertorum librorum fragmenta.

Fragmenta disposui secundum ordinem Sabinianum.

De legatis.

De usu fundi.

40. D. 7, 8, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2577). — Praeter habitationem quam habet, cui usus datus est (sc. fundi), deambulandi quoque et gestandi ius habebit. Sabinus et Cassius et lignis ad usum cottidianum et horto et pomis et holeribus et floribus et aqua usurum, non usque ad compendium, sed ad usum, scilicet non usque ad abusum. idem Nerva, et adicit ... sed neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum. sed Sabinus et Cassius ... hoc amplius etiam ex his quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi suisque sufficiat sumpturum et ex his quae Nerva negavit.

Comma 'scilicet non usque ad abusum' Ulpianus addidit. cf. II 1 p. 452.

41. D. 19, 2, 32. Iulianus libro quarto ex Minicio (P. 865). — Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit et eum fundum legavit. Cassius negavit posse cogi colonum, ut eum fundum coleret, quia nihil heredis interesset. quod si colonus vellet colere et ab eo, cui legatus esset fundus, prohiberetur, cum herede actionem colonum habere, et hoc detrimentum ad heredem pertinere, sicuti si quis rem, quam vendidisset necdum tradidisset, alii legasset, heres eius emptori et legatario esset obligatus.

De habitatione legata.

42. D. 34, 3, 18. Paulus libro nono ad Plautium (P. 1172). — Cassius . Etiam si habitatio eo (sc. sinendi) modo legata esset (ei qui fundum in quinquennium conduxerat), gratuitam habitationem heres praestare deberet. [et praeterea placuit agere posse colonum cum herede ex testamento, ut liberetur conductione, quod rectissime dicitur].

Quamquam fragmentum a Triboniano confectum totum Cassio attribuitur, tamen altera pars Pauli potius videtur esse.

De fundo legato.

43. D. 35, 2, 49 pr. Idem (sc. Paulus) libro duodecimo ad Plautium (P. 1188). — Plautius . Servo, quem tibi legaveram, fundum legavi. Atilicinus Nerva Sabinus primum in servo rationem legis Falcidiae habendam et quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis. Cassius, quod servo pars lege Falcidia decedat, incipere servum fieri communem heredis et legatarii, communi autem servo cum legatum sit, totum pertinere ad socium, quia in ea persona ⟨sola⟩[1]

1 *Fl.* in eam personam.

legatum consistere possit. qua ratione semel ex fundo partem legis Falcidiae decessuram.

Haec sequuntur: 'Paulus . Cassii sententia utimur ...' cf. Pernice I, 394.

De fundo cum instrumento legato.

44. D. 33, 7, 12, 11. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). — Ea .., quae solo continentur, instrumenti fundi non esse Cassius scribit, veluti harundineta et salicta, antequam caesa sint, quia fundus fundi instrumentum esse non potest.

45. D. 33, 7, 12, 13. Ulpianus ibid. — ... et aves instrumento (sc. fundi) exemplo apium contineri Sabinus et Cassius putaverunt.

cf. D. 33, 7, 11 Iavolenus libro secundo ex Cassio. Eadem ratio est in avibus, quae in insulis maritimis aluntur.

Num Cassii sententia, id quod Lenel pro certo habet, a Iavoleno referatur, nescio . de avibus legatis sermo esse potest, de quibus Paul. S. 3, 6, 16.

De domo legata.

46. D. 33, 7, 12, 16. Ulpianus ibid. (P. 2610). — ... sententia Cassii .. qui dicebat inter instrumentum et ornamentum (sc. domus) multum interesse; instrumenti enim ea esse, quae ad tutelam domus pertinent, ornamenti, quae ad voluptatem, sicuti tabulas pictas.

cf. Paul. S. 3, 6, 56 ... ea quibus domus munitior vel tuta ab incendio praestatur.

47. D. ibid. § 17. — Vela .. Cilicia instrumenti esse Cassius, quae ideo parantur, ne aedificia vento vel pluvia laborent.

48. D. ibid. § 20. — De velis quae in hypaethris extenduntur, item de his, quae sunt circa columnas,

Celsus scribit magis supellectili adnumeranda et ita Sabinum et Cassium putare.

De penu legata.

49. D. 33, 9, 5 pr. Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1677). — Non omne quod bib*i*tur in penu habetur: alioqui necesse est, ut omnia medicamenta quae biberentur contineantur. itaque ea demum penoris esse, quae alendi causa biberentur, quo in numero antidotum non est. et sane vere Cassius sensit.

De gemmis legatis.

50. D. 34, 2, 19, 19. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2606). — Murrina .. vasa in gemmis non esse Cassius scribit.

De veste mundo ornamentis muliebribus legatis.

51. D. 34, 2, 8. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1171). — Plautius . Mulier ita legavit: 'quisquis mihi heres erit, Titiae vestem [meam] mundum ornamentaque muliebria damnas esto dare.' Cassius ait, si non appareret quid sensisset, omnem vestem secundum verba testamenti legatam videri.

cf. Paul. S. 3, 6, 80.

De libris legatis.

52. D. 32, 52 pr. Ulpianus libro vicensimo quarto ad Sabinum (P. 2661). — ... Gaius Cassius scribit deberi et membranas libris legatis.

Paul. S. 3, 6, 87. Libris legatis ... membranae ... continentur ...

53. D. ibid. § 3. — Libris .. legatis bibliothecas non contineri Sabinus scribit. idem et Cassius; ait enim membranas quae scriptae sint, contineri, ⟨puras non

continerit⟩. deinde adiecit neque armaria neque scrinia neque cetera, in quibus libri conduntur, deberi.

Sequuntu r haec: 'quod .. Cassius de membranis puris scripsit verum est.'

De pecoribus legatis.

54. D. 32, 65, 4. Marcianus libro septimo Institutionum (P. 121). — Pecoribus legatis Cassius scripsit quadrupedes contineri, quae gregatim pascuntur.

Paul. S. III, 6, 73. Pecoribus legatis quadrupedes omnes continentur, quae gregatim pascuntur.

De mancipiis rusticis legatis.

55. D. 33, 7, 18, 11. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2070). — Cui fundum instructum legaverat, nominatim mancipia legavit; quaesitum est, an reliqua mancipia, quae non nominasset, instrumento cederent. Cassius ait responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos esse, qui nominati essent, quod appareret non intellexisse patrem familias instrumento quoque servos adnumeratos esse.

De homine legato.

56. D. 30, 5, 1. Paulus libro primo ad Sabinum (P. 1601). — Labeo ait, cum certa res aut persona legatur ita: 'qui meus erit cum moriar, heres dato' et communis sit, totum deberi. Trebatium vero respondisse partem deberi Cassius scripsit.

57. D. 30, 37 pr. Ulpianus libro vicensimo primo ad Sabinum (P. 2618). — Legato generaliter relicto, veluti hominis, Gaius Cassius scribit id esse observandum, ne optimus [vel pessimus] accipiatur.

De instrumento medici legato.

58. D. 33, 7, 18, 10. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2070). — In instrumento medici esse

collyria et emplastra et cetera eius generis Cassius scribit.

cf. Plin. n. h. 34, 108 iam .. facta emplastra et collyria mercantur. Paul. S. III, 6, 62. Instrumento medici legato collyria et emplastra et apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itemque ferramenta legato cedunt.

De peculio legato.

59. D. 40, 7, 28, 1. Iavolenus libro sexto ex Cassio (P. 22). — Statuliber, antequam condicio libertatis optigerit, si quid comparasset, peculio legato non cessurum in libris Gaii Cassii scriptum est, nisi id legatum in tempus libertatis collatum esset.

De fideicommissis.

60. D.35,1,43pr. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1156). — Plautius . Rogatus est heres a liberto testatore, ut perceptis sibi decem totam hereditatem revenderet; postea patronus defuncti bonorum possessionem contra tabulas petierat et partem hereditatis, quae debebatur, abstulerat. Proculus Cassius fideicommissarium pro rata quod solvit repetere debere aiunt.

61. D. 35, 2, 31. Pomponius libro secundo Fideicommissorum (P. 215). — .. secundum Cassii et veterum opinionem, si a pupillo fideicommissa capiuntur, propter ea, quae a substituto erunt relicta, cavere debebit is cui solvatur. nam quamvis repetitio sit eorum, quae fideicommissi nomine non debita solventur, tamen satisdato cautum debet esse ei, a quo pecunia proficisceretur, ne damnum sentiat deficiente eo, cui solutum erit.

De libertate relicta et de manumissionibus.

62. D. 40, 7, 2, 1. Ulpianus libro quarto ad Sabinum (P. 2455[a]). — .. si impuberis tabulis libertas

servo sit adscripta, an vivo pupillo, post aditionem videlicet hereditatis patris, statuliber sit? Cassius negat.

63. D. 35, 1, 72, 7. Idem (sc. Papinianus) libro octavo decimo Quaestionum (P. 272). — Falsam condicionem Cassius et Caelius Sabinus impossibilem esse dixerunt, veluti: 'Pamphilus, si quod Titio debeo solverit, liber esto', si modo nihil Titio fuit debitum; quod si post testamentum factum testator pecuniam exsolvit, defecisse condicionem intellegi.

64. D. 40, 5, 35. Maecianus libro quinto decimo Fideicommissorum (P. 51). — Gaii Cassii .. est .. sententia existimantis et heredi et legatario remittendam interdum proprii servi manumittendi necessitatem, si vel usus tam necessarius esset, ut eo carere non expediret, veluti dispensatoris paedagogive liberorum, vel tantum delictum est, ut ultio remittenda non esset.

65. D. 40, 4, 57. Gaius libro tertio de manumissionibus (P. 480). — ... Sabini et Cassii sententiae .. qui existimant consilium *cuius*que manumittentis spectar*i* debere.

De statuliberis.

66. D. 40, 7, 4, 8. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1697). — Cassius ait ei, qui servire iussus est anno, illud tempus, quo in fuga sit vel in controversia pro libertate, non procedere.

67. D. 40, 7, 3, 1. 2. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo septimo ad Sabinum (P. 2697). — ... receptum est .., ut servus peculiares quoque nummos dando perveniat ad libertatem, sive ipsi heredi sive alii dare iussus est. inde quaeritur, si forte debeatur pecunia huic servo vel ab herede, quod in domini rationem plus erogaverat, vel ab extraneo, nec velit heres debitorem convenire vel statulibero solvere pecuniam, an debeat ad libertatem pervenire, quasi moram per heredem patiatur. et aut legatum huic statulibero fuit peculium aut non. si legatum peculium

fuit, Servius scribit moram eum libertatis passum ob hoc ipsum, quod ei aliquid ex ratione dominica deberetur nec ei ab herede praestaretur, quam sententiam et Labeo probat. idem Servius probat et si in eo moram faciat heres, quod nolit exigere a debitoribus; nam perventurum ad libertatem ait ... cum .. veram putemus sententiam Servi, videamus an et si non fuerit legatum peculium servo, idem debeat dici; constat enim statuliberum de peculio posse dare vel ipsi heredi iussum vel alii, et si eum dare impediat, perveniet statuliber ad libertatem. denique etiam remedii loco hoc monstratur domino statuliberi, ut eum extraneo iussum dare prohibeat, ne et nummos perdat cum statulibero . proinde defendi potest et si non vult exigere vel ipse solvere, ut hic habeat, unde condicioni pareat, libertatem competere, et ita Cassius quoque scribit.

De mancipatione et emptione venditione.

De mancipi rebus.

68. Gai. 2, 15. — .. quod diximus ⟨ea animalia quae domari solent,⟩ mancipi esse, ⟨quomodo intellegendum sit quaeritur, quia non statim ut nata sunt, domantur. et nostrae . . scholae auctores⟩ statim ut nata sunt, mancipi esse putant.

De emptione venditione.

69[a]. D. 18, 1, 1, 1. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 502). — . . an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur, veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus et Cassius esse emptionem et venditionem putant.

69[b]. Gai. 3, 141. — . . in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti homo aut toga aut fundus alterius rei ⟨pretium esse possit⟩, valde quaeritur. nostri praeceptores putant etiam in alia re posse consistere

pretium ... argumentoque utuntur Graeco poeta Homero qui aliqua parte sic ait: ...

Sequuntur Iliad. 7, 472—475.

69°? Serv. ad Georg. 3, 306. — .. apud maiores omne mercimonium in permutatione constabat, quod et Gaius Homerico confirmat exemplo.

Utrum Cassium an posterioris aetatis Gaium designaverit Servius, in incerto relinquendum est; nam hunc quoque pro argumento usum esse Homero constat. Inst. 3, 141. cf. Pernice I p. 85.

70. Gai. 3, 140. — .. si ita inter nos convenerit, ut quanti Titius rem aestimaverit, tanti sit empta, Labeo negavit ullam vim hoc negotium habere; cuius opinionem Cassius probat.

71. D. 18, 1, 35, 5. Gaius libro decimo ad edictum provinciale (P. 238°). — In his quae pondere numero mensurave constant, veluti frumento vino oleo argento, modo ea servantur quae in ceteris, ut simul atque de pretio convenerit, videatur perfecta venditio, modo ut, etiamsi de pretio convenerit, non tamen aliter videatur perfecta venditio, quam si admensa adpensa adnumeratave sint. nam si omne vinum vel oleum vel frumentum vel argentum quantumcumque esset uno pretio venierit, idem iuris est quod in ceteris rebus. quod si vinum ita venierit, ut in singulas amphoras, item oleum, ut in singulos metretas, item frumentum, ut in singulos modios, item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur, quaeritur, quando videatur emptio perfici. quod similiter scilicet quaeritur et de his quae numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus et Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata admensa adpensave sint, quia venditio quasi sub hac condicione videtur fieri, ut ⟨in singulas amphoras contrahatur aut⟩ in singulos metretas aut in singulos modios quos quasve admensus eris, aut in singulas

libras quas adpenderis, aut in singula corpora quae adnumeraveris.

72. Vat. fr. 1. — <Qui a muliere> sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse. itaque et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt.

De fundo empto vendito.

73. D. 43, 24, 11, 12. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1597). — (Fundo in diem addicto, si quid operis vi aut clam factum sit, quaestio est inter Cassium et Iulianum, venditori an emptori hoc interdictum competat). plane si postea, quam melior condicio allata est, aliquid operis vi aut clam factum sit, nec Iulianus dubitaret interdictum venditori competere; nam inter Cassium et Iulianum de illo, quod medio tempore accidit, quaestio est, non de eo quod postea contigit.

'Compilatores hanc §um contraxisse videntur; complura enim suspicionem movent' Lenel P.

De domo empta vendita.

74. D. 18, 1, 57 pr. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1116). — Domum emi, cum eam et ego et venditor combustam ignoraremus. Nerva Sabinus Cassius nihil venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt.

De mancipio empto vendito.

75. D. 21, 1, 65, 1. Venuleius libro quinto Actionum (P. 2). — Quotiens morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat; nocere autem intellegi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur; sed morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem postquam is natus sit; sontes enim nocentes dici.

D. 50, 16, 113. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto decimo ex Cassio. 'Morbus sonticus est, qui cuique rei nocet'. an Iavolenus Cassii verba referat, nescio.

76. D. 21, 1, 17, 2. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1761[c]). — Cassius ... scribit fugitivum esse, qui certo proposito dominum relinquat.

77[a]. D. 19, 1, 24, 1. Iulianus libro quinto decimo Digestorum (P. 253). — Servum tuum imprudens a fure bona fide emi; is ex peculio, quod ad te pertinebat hominem paravit, qui mihi traditus est. posse te eum hominem mihi condicere Sabinus dixit; sed si quid mihi abesset ex negotio quod is gessisset, invicem me tecum acturum de peculio. Cassius veram opinionem Sabini rettulit.

77[b]. D. 12, 1, 31, 1. Idem (sc. Paulus) libro septimo decimo ad Plautium (P. 1235). — Servum tuum imprudens a fure bona fide emi; is ex peculio, quod ad te pertinebat hominem paravit, qui mihi traditus est. Sabinus Cassius posse te mihi hominem condicere; sed si quid mihi abesset ex negotio quod is gessisset, invicem me tecum acturum.

Quam sententiam utrum in suis ipsius libris an in Sabini nova editione ab ipso, ut videtur, parata Cassius rettulerit dubium est.

78. D. 19, 1, 11, 14. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 931). — Cassius ait eum, qui ex duplae stipulatione litis aestimationem consecutus est, aliarum rerum nomine, de quibus in venditionibus caveri solet, nihil consequi posse.

De societate.

79. D. 17, 2, 52, 12. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922[d]). — . . si in communem rivum reficiendum inpensa facta sit, pro

socio esse actionem ad reciperandum sumptum Cassius scripsit.

80. D. 17, 2, 29, 1. Ulpianus libro trigensimo ad Sabinum (P. 2742). — Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat.

81. D. 17, 2, 65, 3. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — Diximus dissensu solvi societatem; hoc ita est, si omnes dissentiunt. quid ergo, si unus renuntiet? Cassius scripsit eum qui renuntiaverit societati, a se quidem liberare socios suos, se autem ab illis non liberare.

De donationibus inter virum et uxorem.

82. D. 24, 1, 11, 3. Ulpianus libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 2768[c]). — Idem (sc. Marcellus) ait: placuisse scio Sabinianis, si filiae familias uxori maritus tradet (fundum mortis causa mancipio det?), donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si vivo adhuc marito sui iuris fuerit effecta.

Tribonianum Marcelli verba corrupisse apparet ('donationem eius . . . fieri').

De rerum amotarum iudicio.

83. D. 25, 2, 1. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1773). — Rerum amotarum iudicium singulare introductum est adversus eam quae uxor fuit, quia non placuit cum ea furti agere posse, quibusdam existimantibus ne quidem furtum eam facere, ut Nerva Cassio, quia societas vitae quodammodo dominam eam faceret.

De tutela et cura.

De tutela.

84. D. 26, 1, 3, 2. Ulpianus libro trigensimo septimo ad Sabinum (P. 2837). — Si pupillus pupillave

cum iusto tutore tutorve cum eorum quo *lege aut legitimo iudicio*[1] agere vult et *tu*tor[2] in eam rem petitur, utrum ipsis poscentibus datur an vero et adversario? et sciendum est, sive agant sive conveniantur, dari hunc *tu*torem[3] posse, sed non alias, quam si ipse petat, cui dari eum oportet. denique Cassius libro sexto (sexto decimo?) scripsit talem *tu*torem[3] neminem dari posse nisi praesentem neque cuiqu*am* nisi praesenti et postulanti, itaque infanti non potest dari. idem Cassius ait, si pupillus *tu*torem[3] poscere non vult, quo minus cum eo agatur, cogi eum a praetore debuisse.

85. D. 26, 7, 37 pr. Idem (sc. Papinianus) libro undecimo Quaestionum (P. 199). — Tutorem, qui tutelam gerit, Sabinus et Cassius, prout gerit, in singulas res per tempora velut ex pluribus causis obligari putaverunt.

86. D. 43, 24, 11, 6. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1596). — ... Cassius probat ex dolo tutoris vel curatoris pupillum vel furiosum non teneri.

87[a]. Gai. 1, 196. — ⟨Puberem ..⟩ Sabinus .. et Cassius ... eum esse putant, qui habitu corporis pubertatem ostendit, id est qui generare potest; sed in his qui pubescere non possunt, quales sunt spadones, eam aetatem esse spectandam, cuius aetatis puberes fiunt.

87[b]. Ulp. fr. 11, 28. — Liberantur tutela masculi quidem pubertate. puberem autem Cassiani .. eum dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est qui generare possit.

De cura.

88. D. 42, 7, 2, 3. Ulpianus libro sexagensimo quinto ad edictum (P. 1445). — Quaeritur, an invitus

1 *Trib.* litem. *restituit Lenel* P. Ulp. 2837. cf. Ulp. fr. 11, 24 'moribus tutor datur mulieri pupillove qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, ut auctore eo agat'.

2 *Trib.* curator.

3 *Trib.* curatorem.

curator fieri potest. et Cassius scribit neminem invitum cogendum fieri bonorum curatorem.

89. D. ibid. § 5. — Si tres curatores fuerint et unus ex his nihil attigerit, an in eum, qui nihil tetigit, actio danda est? et Cassius existimat modum actori non debere constitui posseque eum cum quo vult experiri.

De furtis.

De furto manifesto.

90. D. 47, 2, 5 pr. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2875[b]). — Sive .. in publico sive in privato deprehendatur, antequam ad locum destinatum rem perferret, in ea causa est, ut fur manifestus sit, si cum re furtiva deprehendatur; et ita Cassius scripsit.

De damno infecto.

91. D. 39, 2, 10. Paulus libro quadragensimo octavo ad edictum (P. 62). — Quamvis alienus usus fructus sit, dominum *re*promittere[1] oportere (sc. de damno infecto) Cassius ait.

De condictione.

92. D. 13, 3, 4. Gaius libro nono ad edictum provinciale (P. 205). — Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum oleum frumentum, tanti litem aestimandam Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit; si de die nihil convenit, quanti tunc, cum iudicium acciperetur. idemque iuris in loco esse, ut primum aestimatio sumatur eius loci, quo dari debuit; si de loco nihil convenit, is locus spectetur, quo peteretur.

93. D. 45, 3, 39. Idem (sc. Pomponius) libro vicensimo secundo ad Quintum Mucium (P. 285). —

1 *Flor.* promittere.

Cum servus, in quo usum fructum habemus, proprietatis domino ex re fructuarii vel ex operis eius nominatim stipuletur, adquiritur domino proprietatis. sed qua actione fructuarius reciperare possit a domino proprietatis, requirendum est. item si servus bona fide nobis serviat et id quod nobis adquirere poterit, nominatim domino suo stipulatus fuerit, ei adquiret. sed qua actione id reciperare possumus, quaeremus. et non sine ratione est, quod Gaius noster dixit, condici id in utroque casu posse domino.

'Gaius noster' non Pomponii ille aequalis habendus est, quod vulgo viri docti existimant (cf. Lenel P. apud Gaium 482), quippe cuius sententiae nusquam laudentur, sed Cassius. v. supra p. 19.

De litterarum obligatione.

94. Gai. 3, 133. — Transscripticiis .. nominibus an obligentur peregrini, merito quaeritur ... Sabino .. et Cassio visum est, si a re in personam fiat nomen transscripticium, etiam peregrinos obligari, si vero a persona in personam, non obligari.

De verborum obligatione.

95. D. 22, 1, 38, 7. Paulus libro sexto ad Plautium (P. 1132). — Si actionem habeam ad id consequendum quod meum non fuit, veluti ex stipulatu, fructus non consequar, etiamsi mora facta sit; quod si acceptum est iudicium, tunc Sabinus et Cassius ex aequitate fructus quoque post acceptum iudicium ⟨perceptos⟩ praestandos putant, ut causa restituatur.

96. D. 12, 2, 28, 1. Paulus libro octavo decimo ad edictum (P. 281). — Quod reus iuravit, etiam fideiussori proficit. a fideiussore exactum iusiurandum prodesse etiam reo Cassius et Iulianus aiunt [nam quia in locum solutionis succedit, hic quoque eodem loco habendum est], si modo ideo interpositum est

iusiurandum, ut de ipso contractu et de re, non de persona iurantis ageretur.

Quae inclusi, Pernice eicienda monuit. cf. Z. d. Sav.-St. XII 128 n.

De stipulationibus servorum filiorumque familias.

97. Gai. 3, 103. — .. inutilis est stipulatio, si ei dari stipulemur, cuius iuri subiecti non sumus. unde illud quaesitum est, si quis sibi et ei cuius iuri subiectus non est, dari stipuletur, in quantum valeat stipulatio. nostri praeceptores putant in universum valere et proinde ei soli qui stipulatus sit, solidum deberi, atque si extranei nomen non adiecisset.

98. D. 45, 3, 9, 1. Ulpianus libro quadragensimo octavo ad Sabinum (P. 2592^{c}). — Si, cum duos dominos servus haberet, stipulatus fuerit illi aut illi ⟨ex⟩ dominis suis, quaesitum est, an consistat stipulatio. Cassius inutilem esse stipulationem scripsit.

99. D. 45, 3, 25. Venuleius libro duodecimo Stipulationum (P. 69). — Si servus hereditarius stipulatus fuerit et *spon*sores[1] acceperit posteaque adita fuerit hereditas, dubitatur, utrum ex die interpositae stipulationis tempus cedat an ex adita hereditate; item si servus eius, qui apud hostes sit, *spon*sores[1] acceperit. et Cassius existimat tempus ex eo computandum, ex quo agi cum eis potuerit, id est ex quo adeatur hereditas aut postliminio dominus revertatur.

100. D. 45, 3, 6. Pomponius libro vicensimo sexto ad Sabinum (P. 726). — Ofilius recte dicebat et *fiduciae causa mancipio*[2] accipiendo vel *cum creditore vel cum amico contractae*[2] posse soli ei adquiri (sc. per servum communem), qui iussit; quae sententia et Cassii et Sabini dicitur.

1 *Trib.* fideiussores.
2 *Trib.* per traditionem accipiendo vel deponendo commodandoque. *Pomponii verba a Lenelio restituta videntur.*

De novatione.

101. Gai. 3, 177. — .. si eadem persona sit, a qua postea stipuler, ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit, forte si condicio aut dies aut sponsor adiciatur aut detrahatur.

Gai. 3, 178. Sed quod de sponsore diximus, non constat; nam diversae scholae auctoribus placuit et q. s.

De solutione.

102. Gai. 3, 168. — Tollitur .. obligatio praecipue solutione eius quod debetur. unde quaeritur, si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso iure liberetur, quod nostris praeceptoribus placuit, an et q. s.

103. D. 46, 3, 78. Iavolenus libro undecimo ex Cassio (P. 49). — Si alieni nummi inscio vel invito domino soluti sunt, manent eius cuius fuerunt; si mixti essent, ita ut discerni non possent, eius fieri qui accepit in libris Gaii scriptum est, ita ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.

104. D. 46, 3, 17. Idem (sc. Pomponius) libro nono decimo ad Sabinum (P. 671). — Cassius ait, si cui pecuniam dedi, ut eam creditori meo solveret, ⟨cui et ipse deberet⟩, si suo nomine dederit, neutrum liberari, me, quia non meo nomine data sit, illum, quia alienam dederit; ceterum mandati eum teneri. sed si creditor eos nummos sine dolo malo consumpsisset, is, qui suo nomine eos solvisset, liberatur, ne, si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur.

De iudiciis privatis.

105. D. 1, 9, 2. Marcellus libro tertio Digestorum (P. 20). — Cassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem senatu motus nec restitutus est, iudicare vel testimonium dicere, quia lex Iulia repetundarum hoc fieri vetat.

106. Gai. 4, 114. — Superest ut dispiciamus, si ante rem iudicatam is cum quo agitur, post acceptum iudicium satisfaciat actori, quid officio iudicis conveniat, utrum absolvere an ideo potius damnare, quia iudicii accipiendi tempore in ea causa fuerit, ut damnari debeat. nostri praeceptores absolvere eum debere existimant, nec interesse cuius generis sit iudicium; et hoc est quod vulgo dicitur Sabino et Cassio placere omnia iudicia absolutoria esse.

De in rem actionibus.

107. D. 44, 7, 35 pr. Idem (sc. Paulus) libro primo ad edictum praetoris (P. 84). — In honorariis actionibus sic esse definiendum Cassius ait, ut quae rei persecutionem habeant, hae etiam post annum darentur, ceterae intra annum. honorariae autem, quae post annum non dantur, nec in heredem dandae sunt, ut tamen lucrum ei extorqueatur, sicut fit in actione doli mali et interdicto unde vi et similibus.

Gai. 4, 110. . . . admonendi sumus eas quidem actiones quae ex lege senatusve consultis proficiscuntur, perpetuo solere praetorem accommodare, eas vero quae ex propria ipsius iurisdictione pendent, plerumque intra annum dare, aliquando tamen ⟨et perpetuo eas dat, scilicet cum⟩ imitatur ius legitimum, quales sunt eae quas bonorum possessoribus ceterisque qui heredis loco sunt accommodat.

De hereditatis petitione.

108. D. 5, 3, 13, 4. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto decimo ad edictum (P. 512). — Quid si quis hereditatem emerit, an utilis in eum petitio hereditatis deberet dari, ne singulis iudiciis vexaretur? venditorem enim teneri certum est; sed finge non extare venditorem vel modico vendidisse et bonae fidei possessorem fuisse: an porrigi manus ad emp-

torem debeant? et putat Gaius Cassius dandam utilem actionem.

cf. D. 5, 3, 48. Iavolenus libro tertio ex Cassio.

109. D. 5, 1, 26. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1231[b]). — De eo .. qui adiit hereditatem, Cassius scribit, quamvis Romae adierit hereditatem, non competere in eum actionem, ne impediatur legatio.

110. D. 5, 3, 40 pr. Paulus libro vicensimo ad edictum (P. 322). — Illud .. quod in oratione divi Hadriani est, ut post acceptum iudicium id actori praestetur, quod habiturus esset, si eo tempore quo petit restituta esset hereditas, interdum durum est. quid enim, si post litem contestatam mancipia aut iumenta aut pecora deperierint? damnari debebit secundum verba orationis, quia potuit petitor restituta hereditate distraxisse ea. et hoc iustum esse in specialibus petitionibus Proculo placet; Cassius contra sensit.

Paulus addit: 'in praedonis persona Proculus recte existimat, in bonae fidei possessoribus Cassius ..'

111. D. 5, 3, 31, 5. Ulpianus libro quinto decimo ad edictum (P. 533). — Quod .. possessori solutum est an restituere debeat, videamus. et *sive* bonae fidei possessor fuit sive non, debere restituere placet, et quidem si restituerit, ut Cassius scribit ... liberari ipso iure debitores.

De causa liberali.

112. D. 40, 12, 30. Iulianus libro quinto ex Minicio (P. 875). — Duobus petentibus hominem in servitutem pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero servus iudicatus est, commodissimum est eo usque cogi iudices, donec consentiant; si id non ocntinget, Sabinum refertur existimasse duci servum debere ab eo qui vicisset; cuius sententiae Cassius quoque est ...

De adquirendo rerum nec mancipi dominio.

De ferruminatione.

113. D. 6, 1, 23, 5. Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 328[a]). — .. quaecumque aliis iuncta sive adiecta accessionis loco cedunt, ea quamdiu cohaerent dominus vindicare non potest, sed ad exhibendum agere potest, ut separentur et tunc vindicentur, scilicet excepto eo, quod Cassius de ferruminatione scribit. dicit enim, si statuae suae ferruminatione iunctum bracchium sit, unitate maioris partis consumi et quod semel alienum factum sit, etiamsi inde abruptum sit, redire ad priorem dominum non posse. non idem in eo quod adplumbatum sit, quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura non idem efficit. [ideoque in omnibus his casibus, in quibus neque ad exhibendum neque in rem locum habet, in factum actio necessaria est.] at in his corporibus, quae ex distantibus corporibus essent, constat singulas partes retinere suam propriam speciem, ut singuli homines, singulae oves, ideoque posse me gregem vindicare, quamvis aries tuus sit immixtus, sed et te arietem vindicare posse. quod non idem in cohaerentibus corporibus eveniret; nam si statuae meae bracchium alienae statuae addideris, non posse dici bracchium tuum esse quia tota statua uno spiritu continetur.

114. D. 41, 1, 27, 2. Pomponius libro trigensimo ad Sabinum (P. 750). — Cum partes duorum dominorum ferrumine cohaereant, hae cum quaereretur utri cedant, Cassius ait pro portione rei aestimandum vel pro pretio cuiusque partis.

De nova specie ex aliena materia facta.

115. D. 41, 1, 7, 7. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum (P. 491[d]). — Cum quis

ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit..., Sabinus et Cassius magis naturalem rationem efficere putant, ut qui materiae dominus fuerit, idem eius quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset, quia sine materia nulla species effici possit, veluti si ex auro vel argento vel aere <tuo> vas aliquod fecero, vel ex tabulis tuis navem aut armarium aut subsellia fecero, vel ex lana tua vestimentum, vel ex vino et melle tuo mulsum, vel ex medicamentis tuis emplastrum aut collyrium, vel ex uvis aut olivis aut spicis tuis vinum vel oleum vel frumentum.

cf. Gai. 2, 79 et Sabinum II 1 p. 556.

De possessione.

116. D. 41, 2, 1, 5. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657). — ... adquirimus possessionem per servum aut filium, qui in potestate est, et quidem earum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorantes, sicut Sabino et Cassio .. placuit, quia nostra voluntate intellegantur possidere, qui eis peculium habere permiserimus.

117. D. 41, 2, 1, 14. Paulus ibid. — Per servum qui in fuga sit, nihil posse nos possidere Nerva filius ait... possessionem autem per eum adquiri, sicut per eos quos in provincia habemus. Cassii ... sententia est.

118. D. 41, 1, 11. Marcianus libro tertio Institutionum (P. 79). — Pupillus quantum ad adquirendum non indiget tutoris auctoritate, alienare vero nullam rem potest nisi praesente tutore auctore, et ne quidem possessionem, quae est naturalis, ut Sabinianis visum est.

119. D. 47, 2, 43, 5. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2870). — ... Sabini et Cassii sententia existimantium statim nostram esse desinere rem quam derelinquimus.

De usucapione.

120. D. 41, 3, 10 pr. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 570[b]). — Si aliena res bona fide empta sit, quaeritur, ut usucapio currat, utrum emptionis initium ut bonam fidem habeat exigimus, an traditionis . et optinuit Sabini et Cassii sententia traditionis initium spectandum.

121. D. 41, 3, 4, 16. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 673). — . . . quaeritur, si servus meus ancillam, quam subripuit, pro libertate sua mihi dederit, an partum apud me conceptum usucapere possim. Sabinus et Cassius non putant, quia possessio, quam servus vitiose nanctus sit, domino noceret.

122? D. ibid. § 17. — . . si, ut servum meum manumitterem, alius mihi furtivam ancillam dederit eaque apud me conceperit et pepererit, usu me non capturum. idemque fore etiam, si quis eam ancillam mecum permutasset aut in solutum dedisset, item si donasset.

123. D. 41, 9, 1, 3. Ulpianus libro trigensimo primo ad Sabinum (P. 2758). — Constante . . matrimonio pro dote usucapio inter eos locum habet, inter quos est matrimonium. ceterum si cesset matrimonium, Cassius ait cessare usucapionem, quia et dos nulla sit.

124. D. ibid. § 4. — Idem scribit et si putavit maritus esse sibi matrimonium, cum non esset, usucapere eum non posse, quia nulla dos sit.

125? D. 41, 6, 1, 1. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 665). — Si pater filio quem in potestate habet donet, deinde decedat, filius pro donato non capiet usu, quoniam nulla donatio fuit.

126. D. ibid. § 2. — . . si vir uxori rem donaverit et divortium intercesserit, cessare usucapionem Cassius respondit, quoniam non possit causam possessionis sibi ipsa mutare; alias ait post divortium ita

usucapturam, si *iam* maritus concesserit, quasi nunc donasse intellegatur.

Sententiam supra p. 24 relatam hoc loco repetere idoneum duxi. Pernice II, 2 p. 419 existimat, 'dafs Paulus wohl nach Cassius die Schenkung unter Ehegatten mit der Schenkung an den Haussohn zusammenstellt'.

127. Vat. fr. 266 (Ulp.). — .. si quis contra legem Cinciam obligatus non excepto solverit, deb*ebit*[1] dici repetere eum posse; nam semper exceptione Cinciae uti potuit, nec solum ipse, verum, ut Proculeiani contra Sabinianos putant, etiam quivis, quasi popularis sit haec exceptio.

128. D. 39, 6, 35, 2. 3. Paulus libro sexto ad legem Iuliam et Papiam (P. 962). — .. is qui mortis causa donat, se cogitat atque amore vitae recepisse potius quam dedisse mavult; et hoc est, quare vulgo dicatur: se potius habere vult quam eum cui donat, illum deinde potius quam heredem suum. ergo qui mortis causa donat, qua parte se cogitat, negotium gerit, scilicet ut, cum convaluerit, reddatur sibi. nec dubitaverunt Cassiani, quin condictione repeti possit quasi re non secuta propter hanc rationem, quod ea quae [dantur] aut ita dantur, ut aliquid facias, aut ut ego aliquid capiam, aut ut Lucius Titius, aut ut aliquid optingat, [et in istis] condictio sequitur.

Quamquam Cassium inter Cassianos numerare non licet, tamen fragmentum, quod Lenel vel in Sabini fragmenta (P. 171) recepit, hoc loco proferre idoneum duxi.

129. D. 41, 3, 4, 21. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 673). — Si rem pignori datam debitor subripuerit et vendiderit, usucapi eam posse Cassius scribit, quia in potestatem domini videtur pervenisse, qui pignori dederit, quamvis cum eo furti agi potest.

1 *V* debuit

130. D. 50, 16, 215. Paulus libro singulari ad legem Fufiam Caniniam (P. 926). — ... in lege Atinia in potestatem domini rem furtivam venisse videri, et si eius vindicandae potestatem habuerit, Sabinus et Cassius aiunt.

De servitutibus.

131. D. 8, 1, 4 pr. Papinianus libro septimo Quaestionum (P. 129). — Servitutes ipso quidem iure neque ex tempore neque ad tempus neque sub condicione neque ad certam condicionem, verbi gratia 'quamdiu volam', constitui possunt; sed tamen si haec adiciantur, pacti vel per doli exceptionem occurretur contra placita servitutem vindicanti, idque et Sabinum respondisse Cassius rettulit et sibi placere.

De itinere et actu.

132? D. 8, 3, 13, 1. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — Si totus ager itineri aut actui servit, dominus in eo agro nihil facere potest, quo servitus impediatur, quae ita diffusa est, ut omnes glebae serviant.

Lenel notat: 'Cassii fortasse verba.'

133. D. 8, 6, 2. Paulus libro vicensimo primo ad edictum. (P. 355). — Qui iter et actum habet, si *biennio*[1] tantum ierit, non perisse actum, sed manere Sabinus Cassius .. aiunt; nam ire quoque per se eum posse qui actum haberet.

De aqua pluvia arcenda.

134. D. 39, 3, 1, 8. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). — .. Sabinus Cassius opus manu factum in hanc actionem venire aiunt, nisi si quid agri colendi causa fiat.

135. D. 39, 3, 2, 3. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 632). — Cassius .. scribit, si

1 *Fl.* statuto tempore.

qua opera aquae mittendae causa publica auctoritate facta sint, in aquae pluviae arcendae actionem non venire in eademque causa esse ea, quorum memoriam vetustas excedit.

136. D. 39, 3, 1, 11. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). — Idem (sc. Sabinus Cassius) aiunt aquam pluviam in suo retinere vel superficientem (superfluentem?) ex vicini in suum derivare, dum opus in alieno non fiat, omnibus ius esse; prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur, nec quemquam hoc nomine teneri.

137. D. 39, 3, 1, 10. Ulpianus ibid. — Idem aiunt, si aqua naturaliter decurrat, aquae pluviae arcendae actionem cessare; quod si opere facto aqua aut in superiorem partem repellitur aut in inferiorem derivatur, aquae pluviae arcendae actionem competere.

138? D. 39, 3, 1, 9. Ulpianus ibid. — Sulcos .. aquarios, qui ἕλικες appellantur, si quis faciat, aquae pluviae actione eum teneri ait.

139. D. 39, 3, 11, 1. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 634). — Cassius ait, sive ex communi fundo sive communi aqua noceat, vel unum cum uno agere posse vel unum separatim cum singulis vel separatim singulos cum uno vel singulos cum singulis. si unus egerit et restitutio operis litisque aestimatio facta sit, ceterorum actionem evanescere; item si cum uno actum sit et si ⟨non⟩ praestiterit, ceteros liberari idque, quod sociorum nomine datum sit, per arbitrum communi dividundo reciperari posse.

De fluminibus et stillicidiis.

140. D. 39, 3, 1, 19. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). — Cassius .. scribit, si aqua ex aedificio urbano noceat vel agro vel aedificio rustico, agendum de fluminibus et stillicidiis.

De fluminibus publicis.

141. D. 43, 12, 1, 3. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1510). — Fluminum quaedam publica sunt, quaedam non. publicum flumen esse Cassius definit, quod perenne sit.

De bonorum cessione.

142. D. 42, 3, 4, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 1380). — Sabinus et Cassius putabant eum qui bonis cessit (sc. ex lege Iulia) ne quidem ab aliis, quibus debet, posse inquietari.

VI. Ad edictum praetoris libri.

Quamquam hoc opus a nullo laudatur, tamen Cassium eiusmodi libros scripsisse fragmentis quibusdam, quae iuris civilis libris nullo modo attribui possunt, videtur probari; quae fragmenta collocavi secundum ordinem, quem Iulianus in edicto componendo statuit.

De vadimonio Romam faciendo.

1. D. 2, 1, 11 pr. Gaius libro primo ad edictum provinciale (P. 56). — Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quantitas intra iurisdictionem iudicantis sit, coacervatio vero omnium excedat modum iurisdictionis eius, apud eum agi posse Sabino Cassio Proculo placuit.

Pro 'iudicantis' Lenel Gaium 'duumviri' (potius duumvirorum) scripsisse conicit.

2. D. ibid. § 2. — Si una actio communis sit plurium personarum, veluti familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, utrum singulae partes spectandae sunt circa iurisdictionem eius qui cognoscit ..., an potius tota res, quia et tota res in iudicium venit et vel uni adiudicari potest, quod Cassio ... placet.

De in ius vocando.

D. 2, 4, 4, 1 Ulp. — Praetor ait: 'parentem, patronum patronam, liberos parentes patroni patronae in ius sine permissu meo ne quis vocet.'

3. D. 2, 4, 4, 2. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 260[a]). — Quidam parentem usque ad tritavum appellari aiunt, superiores maiores dici. hoc veteres existimasse Pomponius refert; sed Gaius Cassius omnes in infinitum parentes dicit.

cf. D. 38, 10, 10, 7 Paul. 'Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur, ulteriores qui non habent speciale nomen maiores appellantur.'

4. D. 2, 4, 10, 9. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 262). — Liberos .. secundum Cassium, ut in parentibus, et ultra trinepotem accipimus.

cf. Vat. fr. 321 (Ulp.?) 'Liberos .. accipere debemus et nepotes et deinceps ulteriores exemplo parentium'. D. 38, 10, 10, 7 Paul. (v. supra) 'item liberi usque ad trinepotem; ultra hos posteriores vocantur'.

Qui arbitrium receperint.

5. D. 4, 8, 19, 2. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 245). — .. videndum erit, an mutare sententiam possit (sc. arbiter). et alias quidem est agitatum, si arbiter iussit dari, mox vetuit, utrum eo quod iussit an eo quod vetuit stari debeat . et Sabinus quidem putavit posse. Cassius sententiam magistri sui .. excusat et ait Sabinum non de ea sensisse sententia, quae arbitrium finiat, sed de praeparatione causae, ut puta si iussit litigatores calendis adesse, mox idibus iubeat; nam mutare eum diem posse . ceterum si condemnavit vel absolvit, dum arbiter esse desierit, mutare sententiam non posse.

D. 4, 8, 39 pr. Iavolenus libro undecimo ex Cassio. 'Idem . Contumaciam litigatoris arbiter punire poterit pecu-

niam eum adversario dare iubendo, quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententia arbitri exhibita non sunt'.

Quamvis in Iavoleni fragmentis his praeter Gaium vel Gaium Cassium alius iuris consultus nullus laudetur, immo afferantur tantum 'plerique' D. 17, 1, 36 pr., num 'idem' Cassius sit, valde dubium est.

De noxalibus actionibus.

6. D. 9, 4, 15. Gaius libro sexto ad edictum provinciale (P. 130). — (Si statuliber est is, cuius nomine noxali iudicio actum est, et ante deditionem extitit condicio,) praetor decernere debet translationem iudicii in statuliberum fieri; si vero rei iudicandae tempore adhuc in suspenso sit statuta libertas, Sabinus et Cassius liberari heredem putant *mancipando*[1] servum, quia toto suo iure cederet.

Commodati vel contra.

7. D. 13, 6, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 798). — Labeo ... ait ... commodari .. rem mobilem, non etiam soli, utendam dari etiam soli. sed ut apparet, proprie commodata res dicitur et quae soli est, idque et Cassius existimat.

De institoria actione.

8. D. 14, 3, 5, 12. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 825). — .. si praeposui ad mercium distractionem, tenebor nomine eius ex empto actione; item si forte ad emendum eum praeposuero, tenebor dumtaxat ex vendito; sed neque si ad emendum, et ille vendiderit, neque si ad vendendum, et ille emerit, debebit teneri, idque Cassius probat.

9? D. 14, 3, 5, 14. Ulpianus ibid. — Si ei quem ad vendendum emendumve oleum praeposui, mutuum

1 *Trib.* tradendo.

oleum datum sit, dicendum erit institoriam locum habere.

Pernice II p. 263: 'doch wohl aus Cassius'.

De peculio.

10. D. 15, 1, 42. Idem (sc. Ulpianus) libro duodecimo ad edictum (P. 418). — In adrogatorem de peculio actionem dandam quidam .. putant, quamvis Sabinus et Cassius ex ante gesto de peculio actionem non esse dandam existimant.

11. D. 15, 1, 3, 9. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 851[a]). — .. si filius fideiussor vel quasi interventor acceptus sit, an de peculio patrem obligat, quaeritur. et est .. Sabini et Cassii sententia existimantium semper obligari patrem de peculio et distare in hoc a servo.

Depositi vel contra.

12. D. 12, 7, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951[b]). — Si fullo vestimenta lavanda conduxerit, deinde amissis eis domino pretium ex locato conventus praestiterit posteaque dominus invenerit vestimenta, qua actione debeat consequi pretium quod dedit? et ait Cassius eum non solum ex conducto agere, verum condicere domino posse.

13. D. 16, 3, 14, 1. Gaius libro nono ad edictum provinciale (P. 230). — Sive .. cum ipso apud quem deposita est (sc. res) actum fuerit sive cum herede eius et sua natura res ante rem iudicatam interciderit, veluti si homo mortuus fuerit, Sabinus et Cassius absolvi debere eum cum quo actum est dixerunt, quia aequum esset naturalem interitum ad actorem pertinere [utique cum interitura esset ea res et si restituta esset actori].

v. II 1 p. 573.

Mandati vel contra.

De mandato.

14. Gai. 3, 161. — Cum .. is cui recte mandaverim, egressus fuerit mandatum, ego quidem eatenus cum eo habeo mandati actionem, quatenus mea interest inplesse eum mandatum, si modo inplere potuerit; at ille mecum agere non potest. itaque si mandaverim tibi, ut verbi gratia fundum mihi sestertiis C emeres, tu sestertiis CL emeris, non habebis mecum mandati actionem, etiamsi tanti velis mihi dare fundum, quanti emendum tibi mandassem, idque maxime Sabino et Cassio placuit.

De ratihabitione.

15. D. 43, 16, 1, 14. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1524). — ... secundum Sabinum et Cassium, qui ratihabitionem mandato comparant ...

Empti venditi.

16. Gai. 3, 147. — .. quaeritur, si cum aurifice mihi convenerit, ut is ex auro suo certi ponderis certaeque formae anulos mihi faceret, et acceperit verbi gratia denarios CC, utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahatur. Cassius ait materiae quidem emptionem venditionemque contrahi, operarum autem locationem et conductionem.

Locati conducti.

17. D. 19, 2, 19, 1. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951). — Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest nec ignorantia eius erit excusata; et ita Cassius scripsit.

Fragmenta de mandato et ratihabitione, item de emptione et locatione fortasse iuris civilis libris attri-

buenda sunt atque illa quidem capiti de emptione venditione additamenti loco.

Si familia furtum fecisse dicetur.

18. D. 9, 4, 31 pr. Paulus libro septimo ad Plautium (P. 1142). — Quod ait praetor, cum familia furtum faciat, ad eum modum se actionem daturum, ut tantum actor consequatur, quantum si liber fecisset consequeretur, quaeritur, utrum ad pecuniae praestationem respiciat an etiam ad noxae deditionem, ut si ex pretiis noxae deditorum duplum colligatur, sequentes actiones inhibeantur. Sabinus et Cassius putant pretium quoque noxae deditorum imputari debere.

Ne quid in loco sacro religioso sancto fiat.

19. D. 1, 8, 8, 1. Marcianus libro quarto Regularum (P. 256). — In municipiis quoque muros esse sanctos Sabinum recte respondisse Cassius refert, prohiberique oportere ne quid in his immitteretur.

Ne quid in loco publico vel itinere fiat.

20. D. 43, 24, 11, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1295^{c}). — Quaesitum est, si statuam in municipio ex loco publico quis sustulerit vel vi vel clam, an hoc interdicto teneatur. et exstat Cassii sententia eum, cuius statua in loco publico in municipio posita sit, quod vi aut clam agere posse, quia interfuerit eius eam non tolli, municipes autem etiam furti acturos, quia res eorum sit quasi publicata; ⟨nam ipsi eam reficiunt⟩, si *vetustate*[1] deciderit, ipsi eam detrahunt.

Unde vi.

21. D. 43, 16, 1, 27. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1526). — Vim vi repellere licere

1 *Fl.* tamen.

'assius scribit idque ius natura comparatur. *apparet utem*, inquit, *ex eo ⟨quod in interdicto de vi armata eceptum est,⟩ arma armis repellere licere.*

22. D. 41, 3, 4, 25. Paulus libro quinquagensimo uarto ad edictum (P. 674[c]). — Si dominus fundi ossessorem vi deiecerit, Cassius ait non videri in otestatem eius redisse, quando interdicto unde vi restituturus sit possessionem.

23. D. 43, 24, 3, 7. Ulpianus libro septuagensimo rimo ad edictum (P. 1592[b]). — Clam facere videri 'assius scribit eum qui celavit adversarium neque ei enuntiavit, si modo timuit eius controversiam aut ebuit timere.

Quod vi aut clam?

Cum Ulpiani verbis D. 43, 24, 11, 6 'Si tutoris iussu ut curatoris factum sit (sc. vi aut clam), cum placeat, uod Cassius probat, ex dolo tutoris vel curatoris pupillum el furiosum non teneri, eveniet ut' probari videatur, Cassii ententiam in iuris civilis libris propositam (v. supra p. 60) ostea in hoc quoque interdicto adhibitam esse ('cum laceat'), Cassium de eodem non dixisse apparet neque is, quae Iavolenus libro tertio decimo ex Cassio ait D. 50, 17, 198): 'Neque in interdicto neque in ceteris ausis pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo st sive non est', Cassii sententia referri videtur. aliter udicat Lenel P. II col. 277 n. 3.

Uti possidetis.

24. D. 43, 17, 3, 5. Ulpianus libro sexagensimo ono ad edictum (P. 1540). — .. videamus, si proectio supra vicini solum non iure haberi dicatur, an nterdictum uti possidetis sit utile alteri adversus lterum. et est apud Cassium relatum utrique esse *d* utile[1], quia alter solum possidet, alter cum aedibus uperficiem.

1 *Fl.* inutile.

De interdicto Salviano.

25. D. 13, 7, 18, 3. Paulus libro vicensimo nono ad edictum (P. 449). — Si quis caverit, ut silva sibi pignori esset ⟨...⟩, navem ex ea materia factam non esse pignori Cassius ait, quia aliud sit materia, aliud navis. et ideo [nominatim in dando pignore] adiciendum esse [ait]: 'quaeque ex ⟨ea⟩ silva facta natave sint'.

Czyhlarz-Glück 'Serie der Bücher 41 u. 42' I (1887) 282 sq. Eisele Z. d. Savigny-St. XIII 144 sq.

Damni infecti.

26. D. 39, 2, 28. Ulpianus libro octogensimo primo ad edictum (P. 1755). — In hac stipulatione venit, quanti ea res erit. et ideo Cassius scribit eum, qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinae ea aedificia, quorum nomine sibi cavit, fulsit, impensas eius rei ex stipulatu consequi posse. idemque iuris esse, cum propter vitium communis parietis qui cavit sibi damni infecti, onerum eorum relevandorum gratia, quae in parietem incumbunt, aedificia sua fulsit.

27. D. 39, 2, 15, 35. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1278). — Si quis metu ruinae decesserit possessione [si quidem, cum adiuvare rem non posset, id fecit], Labeo scribit integrum ius eum habere, perinde ac si in possessione perseverasset; quod si, cum posset succurrere, maluit relinquere, amisisse eum praetoris beneficium, neque si postea succurri sibi velit, audiendum eum. Cassius autem ait, si metu ruinae recesserit, non hoc animo, ut aedificia derelinqueret, restituendum in possessionem. eum tamen, qui missus in possessionem non accesserit, si aedificia ruerint, beneficium praetoris amisisse scribit.

Quae uncis inclusi, Pernice eicienda censet.

28. D. 39, 2, 24, 8. Idem (sc. Ulpianus) libro octogensimo primo ad edictum (P. 1753). — Cassius

.. scribit, quod contra ea (quacumque causa?) damnum datum est, cui nulla ope occurri poterit, stipulationem non tenere.

Pro 'quod contra' *Mommsen potius scribi iubet:* quando violentia. *quod proposui, Lenelio debetur.*

29. D. 39, 2, 32. Gaius libro vicensimo octavo ad edictum provinciale (P. 371). — ... si unas aedes communes tecum habui eaeque vitium faciant et circa refectionem earum cessare videaris, nostri praeceptores negant cavere te debere, quia ipse reficere possim recepturus pro parte, quod impenderim, iudicio societatis aut communi dividundo ... et est plane nostrorum praeceptorum haec sententia, ut credamus inutilem esse damni infecti stipulationem, quo casu damnum alia actione sarciri possit.

---

5. SEXTUS PEDIUS

iuris peritus Sabino natu minor (D. 50, 16, 13, 1), Pomponio maior (D. 4, 3, 1, 4), idem fortasse atque Sex. Pedius Hirrutus (cf. Borghesi 8, 326. 6, 488. Prosopogr. III p. 20), a Valerio quoque Probo, ut videtur, laudatus (in cod. enim Einsidlensi Coll. libr. iur. II, 148 haec leguntur: 'S · P · M. Sext*i* Pedii Medivani', quod Huschke 'Medmani' emendat, i. e. Medma s. Medama, ex oppido olim Locrensium in Bruttiis sito oriundi[1]), qui non respondendo, sed libris scribendis et quidem iuri honorario tractando operam dedit.

1 Probante Karlowa I, 695. 633, non probante Kruegero p. 173 n. 81, qui vir doctissimus sine ratione idonea (v. infra p. 87. 88) Pedium Hadriani aetate fuisse arbitratus iudicat: 'da Einsiedler Probus-Excerpt ... zu erklären wird kaum gelingen'. de litteris illis Karlowa I, 633 monet: 'diese Buchstaben können natürlich nicht im Edict selbst gestanden haben, sondern nur in einem Werk über dasselbe, am wahrscheinlichsten in dem Werk des Pedius selbst, etwa am Rand zur kurzen Bezeichnung des Autors desselben'.

Rationem eius habuerunt Pomponius, ut videtur (D. 4, 8, 7 pr. 'Pedius . . et Pomponius scribunt'. D. 43, 24, 1, 6 'Pedius et Pomponius scribunt'), Paulus libris ad legem Iuliam et Papiam (D. 35, 2, 63 pr.), ad Vitellium (D. 33, 7, 18, 3), ad Plautium (D. 9, 2, 33 pr.), libris ad edictum praetoris et ad edictum aedilium curulium, Ulpianus libris ad eadem edicta, incertus denique auctor libro de interdictis (Vat. 93).

Iam videndum est de illo 'Sexto', quem et Gaius 2, 218 ('Iuliano et Sexto placuit') et Ulpianus tam libris ad edictum D. 29, 5, 1, 27 ('et ait Sextus'. D. 42, 4, 7, 16 'Celsus autem Sexto respondit') quam ad Sabinum laudat D. 30, 32 pr. ('tam Sextus quam Pomponius putant'), num forte Pedius habendus sit. sed Gaius neque Pomponium vel Africanum neque Pedium praeterea diserte quidem unquam laudat. quod autem de legato agitur, a Pedio, quem de instrumento legato dixisse Paulus ad Vitellium tradit (D. 33, 7, 18, 3), non plane alienum est. Ulpianus, qui in libris ad edictum vel 'Sextum Pedium' vel, id quod ab aliis plerumque fit, 'Pedium' nominat (D. 39, 1, 5, 9), eundem nonnunquam cum Sexto Pomponio coniungit (D. 4, 8, 7 pr. 'Pedius libro nono et Pomponius libro trigensimo tertio scribunt'. D. 43, 24, 1, 6 'Pedius et Pomponius scribunt'), ita ut vel hunc vel illum in iisdem libris Sexti nomine designatum fuisse vix liceat putare. 'Sextus' vero quem libris ad Sabinum cum Pomponio coniunctum laudat, ideo non Pedius habendus videtur, quod is neque in Pomponii neque in Pauli neque in Ulpiani libris ad Sabinum unquam laudatur.

Pedius primus iuris peritorum notarum mentionem facit (D. 37, 1, 6, 2), de quibus eadem fere aetate Valerius Probus opusculum composuit. idem primus de dignitate 'hominum' ait (D. 21, 1, 44 pr.), nec minus de meticuloso, qui rem nullam frustra timuit (D. 4, 2, 7 pr.), de patrono ex causa famosa a liberto in ius vocando (D. 2, 4, 10, 12), de servo mulieris qui iussu dominae divortii

causa res amovit (D. 25, 2, 21, 1), de servo qui pigritia surgendi in lecto urinam facit (D. 21, 1, 14, 4).

I. De stipulationibus libri.

Laudantur a Paulo libris XXVIII et LXXII ad edictum. partem librorum ad edictum (v. infra II) eos effecisse coniecit Ferrini (S. Pedio: Rivista ital. per le scienze giuridiche I p. 37 sq.); sed 'hoc citandi genus', ut ait Lenel II col. 8 n. 1, 'quod in posteriorum temporum codicibus occurrit, iam Pauli aetate in usu fuisse non constat: in ipsis autem fragmentis . . nil est quod ad edicti interpretationem spectare videatur'. primus igitur Pedius huius argumenti proprios libros videtur composuisse; qua in re eum secuti sunt Pomponius (D. 7, 5, 5, 2) et Gaius libris 'de verborum obligationibus' (P. 510—519). ceterum cum his comparandi sunt Actionum libri, quos et Manilius (I, 26) et Ofilius (I, 349) ediderunt.

Liber I.

1. D. 12, 1, 6. Paulus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 431). — Certum est, cuius species vel quantitas, quae in obligatione versatur, aut nomine suo aut ea demonstratione quae nominis vice fungitur qualis quantaque sit ostenditur. nam et Pedius libro primo de stipulationibus nihil referre ait, proprio nomine res appelletur an digito ostendatur an vocabulis quibusdam demonstretur; quatenus mutua vice fungantur, quae tantundem praestent.

Ex incerto libro.

2. D. 45, 1, 83, 5. Paulus libro septuagensimo secundo ad edictum (P. 798). — Sacram vel religiosam rem vel usibus publicis in perpetuum relictam, ut forum aut basilicam, aut hominem liberum inutiliter stipulor, quamvis <res> sacra profana fieri et usibus

publicis relicta in privatos usus reverti et ex libero servus fieri potest. nam et cum quis rem profanam aut Stichum dari promisit, liberatur, si sine facto eius res sacra esse coeperit aut Stichus ad libertatem pervenerit, nec revocantur in obligationem, si rursus lege aliqua et res sacra profana esse coeperit et Stichus ex libero servus effectus sit. ⟨Celso tamen contra visum est,⟩ quoniam una atque eadem causa et liberandi et obligandi esset, quod aut dari non possit aut dari possit; nam et si navem, quam spopondit, dominus dissolvit et isdem tabulis compegerit, quia eadem navis esset, inciperet obligari. pro quo et illud dici posse Pedius scribit: si stipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, exspectare debeo, donec nascatur, et si natum sine culpa promissoris consumptum sit, rursum exspectare debeam, donec iterum nascatur et dari possit, et per has vices aut cessaturam aut valituram stipulationem.

II. Ad edictum praetoris ⟨urbani?⟩ libri.

Laudantur libri a Paulo D. 37, 1, 6, 2 ('Pedius libro vicensimo quinto ad edictum scribit'). eiusdem aperte operis sunt Pedii libri, qui ab Ulpiano libris ad edictum afferuntur, scilicet liber VII (D. 3, 5, 5, 11 'quaeritur apud Pedium libro septimo'. D. 4, 2, 7 pr. 'Pedius dicit libro septimo'), VIII (D. 4, 2, 14, 5 'Pedius . . libro octavo scribit'. D. 4, 3, 1, 4 'Pedius libro octavo scribit'), IX (D. 4, 7, 4, 2 'Pedius libro nono . . . ait'. D. 4, 8, 7 pr. 'Pedius libro nono et Pomponius libro trigensimo tertio scribunt'. D. 4, 8, 13, 2 'Pedius libro nono dicit'), XV (D. 14, 4, 1, 1 'Pedius libro quinto decimo scribit'. D. 15, 1, 7, 3 'Pedius libro quinto decimo scribit'). iisdem libris Pedii sententiae attribuendae sunt a Paulo libris ad edictum allatae.

Cum non minus XXV libros continuerit, Pedii opus longe amplissimum eorum est, quae ad edictum praetoris

urbani composita esse traduntur, si quidem ad huius praetoris edictum compositum est, ita ut cum illo conferri possit, quod Labeo ad peregrini praetoris edictum scripsisse traditur, cuius liber XXX laudatur (II p. 93).

Libris ad edictum praetoris antea ab aliis confectis Pedium usum esse docent ea quae de Ofilio, Labeone, Sabino eum dixisse traditur, quos iurisconsultos et ipsos ad edictum praetoris libros composuisse constat (I, 340. II, 1 p. 83 et 566). haec enim leguntur: D. 14, 1, 1, 9 Ulp. ad ed. 'quaerit Ofilius . . . quam distinctionem Pedius probat'. D. 13, 5, 3, 2 Ulp. ad ed. 'et Labeo ait . . ., quam sententiam et Pedius probat'. D. 50, 16, 13, 1 Ulp. ad ed.: 'ut Sabinus ait et Pedius probat'.

Krueger, qui Pedium Iuliani fere aequalem fuisse existimat, libros hos post Iuliani Digesta, sed ante Pomponii libros ad edictum compositos esse quamvis dubitanter ideo conicit (p. 173), quod haec leguntur: D. 4, 8, 32, 16 Paul. ad ed. 'nam et Iulianus . . . idem Pedius probat'. at priorum iuris consultorum sententias non ubique historico, ut ita dicam, librorum ordine coniunctas proferri satis constat.

De rerum ordine haec habemus: libro VII dictum fuit de negotiis gestis, VIII de eo quod metus causa gestum erit, IX de alienatione iudicii mutandi causa et de his qui arbitrium receperint, XV de tributoria actione et de peculio, denique XXV, si tabulae testamenti extabunt, quae quidem res in edicto a Iuliano composito eodem ordine tractantur. cf. Lenel Edict. p. 83. 90. 101. 103. 215. 272.

Pedii libris usi sunt qui postea ad edictum praetoris scripserunt, inprimis Pomponius (P. 44. 61. 158), Paulus (P. 213[b]. 232. 251[c] §§ 16. 18. 282. 502[b]. 541. 552. 577. 678. 686. 792. 798), Ulpianus (P. 240. 244. 245. 263. 269[b]. 350. 377[a]. 453[c]. 455. 788[c]. 816. 836. 845. 851[b]. 852[b.c]. 1073. 1133. 1266. 1536. 1556. 1557[b]. 1592[a]). Pomponius et Ulpianus, ubicumque Pedium laudant, cum eo consentiunt, Paulus interdum dissentit (D. 4, 8, 32, 20 'Sextus Pedius putat, quod nullam rationem habet').

Libri I—VI.

De pactis et conventionibus.

1. D. 2, 14, 1, 3. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 240). — Conventionis verbum generale est ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt qui inter se agunt; nam sicuti convenire dicuntur qui ex diversis locis in unum locum colliguntur et veniunt, ita et qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est in unam sententiam decurrunt. adeo autem conventionis nomen generale est, ut .. dicat Pedius nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat in se conventionem, sive re sive verbis <sive litteris> fiat; nam et stipulatio quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.

Pernice Z. d. Sav.-St. IX, 199 n. 1 ad verba 'nam et stipulatio ..' notat: 'Es wäre möglich, dass Pedius vom Litteralvertrage sprach, in dessen Form sich die Zustimmung des Schuldners nicht ausprägt'.

2. D. 2, 14, 7, 8. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 244). — Pactorum quaedam in rem sunt, quaedam in personam. in rem sunt, quotiens generaliter paciscor ne petam; in personam, quotiens ne a persona petam, id est ne a Lucio Titio petam. utrum autem in rem an in personam pactum factum est, [non] minus ex verbis quam ex mente convenientium aestimandum est; plerumque enim, ut Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est.

3. Ibid. § 9. — Dolo malo ait praetor pactum se non servaturum. dolus malus fit calliditate et fallacia. et ut ait Pedius, dolo malo pactum fit, quotiens circumscribendi alterius causa aliud agitur et aliud agi simulatur.

In ius vocati ut eant.

4. D. 2, 4, 10, 12. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 263). — Praetor ait: 'in ius nisi permissu meo ne quis vocet'. permissurus enim est, si famosa actio non sit vel pudorem non sugillat, qua patronus convenitur vel parentes. et totum hoc causa cognita debet facere; nam interdum etiam ex causa famosa, ut Pedius putat, permittere debet patronum in ius vocari a liberto; si eum gravissima iniuria adfecit, flagellis forte cecidit.

Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat.

5. D. 2, 7, 3 pr. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 269[b]). — Quod si servum quis exemit in ius vocatum, Pedius putat cessare edictum, quoniam non fuit persona, quae in ius vocari potuit.

De vadimoniis?

6. D. 50, 16, 13, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo ad edictum (P. 300). — Res abesse videntur, ut Sabinus ait et Pedius probat, etiam hae, quarum corpus manet, forma mutata est; et ideo, si corruptae redditae sint vel transfiguratae, videri abesse, quoniam plerumque plus est in manus pretio, quam in re.

cf. Lenelii Edict. p. 69. idem vir doctissimus notat P.: 'videntur haec pertinere ad talia fere edicti verba: Si res furto abesse dicentur'.

Liber VII.

De negotiis gestis.

7. D. 3, 5, 5, 11. Idem (sc. Ulpianus) libro decimo ad edictum (P. 350). — . . quaeritur apud Pedium libro septimo, si Titium quasi debitorem tuum extra iudicium admonuero et is mihi solverit, cum debitor non esset, tuque postea cognoveris et ratum habueris, an negotiorum gestorum actione me possis convenire.

et ait dubitari posse, quia nullum negotium tuum gestum est, cum debitor tuus non fuerit. *sed ratihabitio*, inquit, *fecit tuum negotium*, *et sicut ei a quo exactum est adversus eum datur repetitio qui ratum habuit*, *ita et ipsi debebit post ratihabitionem adversus me competere actio. sic ratihabitio constituet tuum negotium*, *quod ab initio tuum non erat*, *sed tua contemplatione gestum.*

8. Ibid. § 12. — Idem ait, si Titii debitorem, cui te heredem putabam, cum esset Seius heres, convenero similiter et exegero, mox tu ratum habueris, esse mihi adversus te et tibi mutuam negotiorum gestorum actionem. atquin alienum negotium gestum est; sed ratihabitio hoc conciliat, quae res efficit, ut tuum negotium gestum videatur et a te hereditas peti possit.

9. Ibid. § 13. — *Quid ergo*, inquit Pedius, *si*, *cum te heredem putarem*, *insulam fulsero hereditariam tuque ratum habueris*, *an sit mihi adversus te actio?* sed non fore ait, cum hoc facto meo alter sit locupletatus et alterius re ipsa gestum negotium sit, nec possit, quod alii adquisitum est ipso gestu, hoc tuum negotium videri.

Liber VIII.

Quod metus causa gestum erit.

10. D. 4, 2, 7 pr. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 371[b]). — Nec timorem infamiae hoc edicto contineri Pedius dicit libro septimo (immo: octavo), neque alicuius vexationis timorem per hoc edictum restitui. [proinde si quis meticulosus rem nullam frustra timuerit, per hoc edictum non restituitur, quoniam neque vi neque metus causa factum est.]

11. D. 4, 2, 14, 5. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 377). — Pedius . . libro octavo scribit arbitrium iudicis in restituenda re tale esse, ut eum quidem qui vim admisit iubeat restituere, etiamsi ad alium res pervenit; eum autem ad quem pervenit,

etiamsi alius metum fecit; nam in alterius praemium verti alienum metum non oportet.

De dolo malo.

12. D. 4, 3, 1, 4. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 385[a]). — Ait praetor: 'si de his rebus alia actio non erit'. merito praetor ita demum hanc actionem pollicetur, si alia non sit, quoniam famosa actio non temere debuit a praetore decerni, si sit civilis vel honoraria, qua possit experiri, usque adeo, ut Pedius libro octavo scrib*at*[1], etiam si interdictum sit quo quis experiri, vel exceptio qua se tueri possit, cessare hoc edictum.

13. D. 6, 1, 7. Idem (sc. Paulus) libro undecimo ad edictum (P. 214). — Si is, qui optulit se fundi vindicationi, damnatus est, nihilo minus a possessore recte petitur, sicut Pedius ait.

Ex quibus causis maiores.

14. D.41,3,8,1. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 232). — .. eum, qui suo nomine nihil usucapere potest, ne per servum quidem posse Pedius scribit.

Num haec duo fragmenta libri VIII fuerint, non satis constat.

Liber IX—XIV?

De alienatione iudicii mutandi causa facta.

15. D. 4, 7, 4, 2. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 447). — Pedius libro nono non solum ad dominii translationem hoc edictum pertinere ait, verum ad possessionis quoque: *alioquin cum quo in rem agebatur*, inquit, *si possessione cessit, non tenebitur.*

Qui arbitrium receperint.

16. D. 4, 8, 7 pr. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 453[c]). — Pedius libro nono et Pomponius

1 *Fl.* ut et . . . scribit.

libro trigensimo tertio scribunt parvi referre, ingenuus quis an libertinus sit, integrae famae quis sit arbiter an ignominiosus.

17. D. 4, 8, 13, 2. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 455). — Recepisse .. arbitrium videtur, ut Pedius libro nono dicit, qui iudicis partes suscepit finemque se sua sententia controversiis impositurum pollicetur. *quod si*, inquit, *hactenus intervenit, ut experiretur, an consilio suo vel auctoritate discuti litem paterentur, non videtur arbitrium recepisse.*

18. D. 4, 8, 32, 16. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 251ᶜ). — Quaesitum est de sententia dicenda, et dictum non quamlibet, licet de quibusdam variatum sit, <valere>; et puto[1] non committi, si dicat ad iudicem de hoc eundum vel in se vel in alium compromittendum. nam et Iulianus impune non pareri, si iubeat ad alium arbitrum ire, ne finis non sit. [quod si hoc modo dixerit, ut arbitrio Publii Maevii fundus traderetur aut satisdatio detur, parendum esse sententiae.] idem Pedius probat[2]: ne propagentur arbitria, aut in alios interdum inimicos agentium transferantur, sua sententia finem controversiae eum imponere oport*ere*; non autem finiri controversiam, cum aut differatur arbitrium aut in alium transferatur; partemque sententiae esse, quemadmodum satisdetur, quibus fideiussoribus, idque delegari non posse [nisi ad hoc compromissum sit, ut arbiter statueret, cuius arbitratu satisdaretur?].

19. Ibid. § 20. — Arbitri officio continetur et quemadmodum *tra*d*a*tur[3] vacua possessio. an et satis <ut detur> ratam rem habiturum? Sextus Pedius putat, quod nullam rationem habet; nam si ratum non habeat dominus, committetur stipulatio.

1 *Fl.* sit et puto vere.
2 *Mommsen scribi iubet*: Pedius id improbat.
3 *Fl.* detur.

De satisdando.

20. D. 2, 8, 8 pr. Paulus libro quarto decimo ad edictum (P. 259). — De die ponenda in stipulatione solet inter litigatores convenire. si non conveniat, Pedius <diem> putat in potestate stipulatoris esse [moderato spatio, de hoc a iudice statuendum].

Huschke Z. d. Sav.-St. IX, 342. verba 'moderato ... statuendum' *neque Pedii neque Pauli esse videri iure notat Lenel.*

De iure iurando.

21. D. 12, 2, 30 pr. Paulus libro octavo decimo ad edictum (P. 282). — Eum, qui iuravit ex ea actione quae infitiando crescit aliquid sibi deberi, simpli, non dupli persecutionem sibi adquirere Pedius ait; abunde enim sufficere exonerare petitorem probandi necessitate, cum omissa hac parte edicti dupli actio integra maneat. et potest dici hoc iudicio non principalem causam exerceri, sed iusiurandum actoris conservari.

Ad legem Aquiliam.

22. D. 9, 2, 33 pr. Paulus libro secundo ad Plautium (P. 1084). — Sextus .. Pedius ait pretia rerum non ex affectione nec utilitate singulorum, sed communiter fungi; itaque eum, qui filium naturalem possidet, non eo locupletiorem esse, quod eum plurimo, si alius possideret, redempturus fuit, nec illum, qui filium alienum possideat, tantum habere, quanti eum patri vendere posset.

De pecunia constituta.

23. D. 13, 5, 3, 2. Ulpianus libro vicensimo septimo ad edictum (P. 788[c]). — Si is, qui et iure civili et praetorio debebat, in diem sit obligatus, an constituendo teneatur? et Labeo ait teneri [constitutum], quam sententiam et Pedius probat.

Liber XV—XXIV?

De exercitoria actione.

24. D. 14, 1, 1, 9. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 816). — . . quaerit Ofilius, si ad reficiendam navem mutuatus nummos in suos usus converterit (sc. magister), an in exercitorem detur actio. et ait, si hac lege accepit quasi in navem impensurus, mox mutavit voluntatem, teneri exercitorem [imputaturum sibi, cur talem praeposuerit]; quod si ab initio consilium cepit fraudandi creditoris [et hoc specialiter non expresserit, quod ad navis causam accipit], contra esse, quam distinctionem Pedius probat.

Eisele Z. d. Sav.-St. XVIII, 20.

De tributoria actione.

25. D. 14, 4, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 836). — Licet mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos fullones vel sarcinatores vel textores vel venaliciarios pertineat, tamen Pedius libro quinto decimo scribit ad omnes negotiationes porrigendum edictum.

26. D. 14, 4, 7, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 845). — Quid . . si dominus tribuere nolit nec hanc molestiam suscipere, sed peculio vel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert audiendum eum.

De peculio.

27. D. 15, 1, 3, 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 850[b]). — Pedius etiam impuberes dominos de peculio obligari ait; non enim cum ipsis impuberibus contrahitur, ut tutoris auctoritatem spectes. idem adicit pupillum non posse servo peculium constituere nec tutoris auctoritate.

28. D. 15, 1, 7, 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[b]). — Pupillum . . tam filium quam servum peculium habere posse Pedius libro quinto

decimo scribit, *cum in hoc*, inquit, *totum ex domini constitutione pendeat.*

29. D. 15, 1, 9, 4. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[c]). — .. id etiam deducetur, quod his personis debetur, quae sunt in tutela vel cura domini vel patris vel quorum negotia administrant, dummodo dolo careant, quoniam et si per dolum peculium vel ademerint vel minuerint, tenentur; nam si semper praevenire dominus et agere videtur, cur non dicatur etiam hoc nomine eum secum egisse, quo nomine vel tutelae vel negotiorum gestorum vel utili actione tenebitur? nam ut .. Pedius ait, ideo hoc minus in peculio est, quod domino vel patri debetur, quoniam non est verisimile dominum id concedere servo in peculium habere, quod sibi debetur.

Empti venditi.

30. D. 19, 4, 1, 2. 3. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 502[b]). — .. emptio ac venditio nuda consentientium voluntate contrahitur, permutatio autem ex re tradita initium obligationi praebet. alioquin si res nondum tradita sit, nudo consensu constitui obligationem dicemus, quod in his dumtaxat receptum est, quae nomen suum habent, ut in emptione venditione, conductione, mandato. ideoque Pedius ait alienam rem dantem nullam contrahere permutationem.

Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.

31. D. 24, 1, 36 pr. Paulus libro trigensimo sexto ad edictum (P. 541). — Si donatae res exstant, etiam vindicari poterunt; sed quia causam possidendi donatio praestitit, nisi reddatur res, aestimatio facienda est iusto pretio caverique possidenti debebit de evictione simpli, quanti ea res sit, idque etiam Pedio videtur.

De rebus amotis.

32. D. 25, 2, 21, 1. Paulus libro trigensimo septimo ad edictum (P. 552). — Si servus mulieris iussu

dominae divortii causa res amoverit, Pedius putat nec furtum eum facere, quamvis servus in facinoribus domino dicto audiens esse non debeat, sed rerum amotarum actio erit, quoniam nihil lucri sui causa contrectet nec videri furtum facienti opem ferre, cum mulier furtum non faciat.

In Fl. comma quamvis ... debeat *legitur post verba* furtum non faciat.

Furti nec manifesti.

33. D. 47, 2, 50, 2. Ulpianus libro trigensimo septimo ad edictum (P. 1041[a]). — .. Pedius ait, sicut nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium vel opem ferre sine dolo malo posse.

Arborum furtim caesarum.

34. D. 47, 7, 7 pr. Ulpianus libro trigensimo octavo ad edictum (P. 1073). — Furtim caesae arbores videntur, quae ignorante domino celandique eius causa caeduntur. nec esse hanc furti actionem scribit Pedius, cum et sine furto fieri possit, ut quis arbores furtim caedat.

Libri XXV—?

Si tabulae testamenti extabunt.

35. D. 37, 1, 6, 2. Paulus libro quadragensimo primo ad edictum (P. 577). — Notis scriptae tabulae non continentur edicto, quia notas litteras non esse Pedius libro vicensimo quinto ad edictum scribit.

De ventre in possessionem mittendo.

36. D. 37, 9, 1, 5. Ulpianus libro quadragensimo primo ad edictum (P. 1133). — .. si sub condicione postumus sit exheredatus, pendente condicione Pedii sententiam admittimus existimantis posse ventrem in possessionem mitti [quia sub incerto utilius est ventrem ali].

Quae inclusi, Pernice merito eicienda censet.

De legatis.

37. D. 33, 7, 18, 3. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2070). — Quod si aenum instrumento continetur, urcei quoque, quibus aqua in aenum infunditur, in idem genus rediguntur, ac deinceps in infinitum primis quibusque proxima copulata procedunt. optimum ergo esse Pedius ait non propriam verborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare voluerit [deinde in qua praesumptione sunt qui in quaque regione commorantur].

Inclusa verba a Triboniano addita videri docet Gradenwitz Z. d. Sav.-St. VII, 73.

De operis novi nuntiatione.

38. D. 39, 1, 5, 9. Ulpianus libro quinquagensimo secundo ad edictum (P. 1266). — . . Sextus Pedius definiit triplicem esse causam operis novi nuntiationis, aut naturalem aut publicam aut impositiciam: naturalem, cum in nostras aedes quid immittitur aut aedificatur in nostro; publicam causam, quotiens leges aut senatus consulta constitutionesque principum per operis novi nuntiationem tuemur; impositiciam, cum quis postea, quam ius suum deminuit, alterius auxit, hoc est postea, quam servitutem aedibus suis imposuit, contra servitutem fecit.

De incendio ruina naufragio.

39. D. 47, 9, 4 pr. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 678). — Pedius posse etiam dici ex naufragio rapere, qui, dum naufragium fiat, in illa trepidatione rapiat.

De iniuriis quae servis fiunt.

40. D. 47, 10, 16. Paulus libro *quinqua*gensimo[1] quinto ad edictum (P. 686). — (Si servum complurium

1 *Fl.* quadragensimo.

cecidero, competere iniuriarum actionem omnibus;) se non esse aequum pro maiore parte, quam pro qu dominus est, damnationem fieri Pedius ait [et ide officio iudicis portiones aestimandae erunt].

Uti possidetis.

41. D. 43, 17, 1, 4. Ulpianus libro sexagensim nono ad edictum (P. 1536). — Est .. hoc interdictum quod volgo uti possidetis appellatur, retinendae pos sessionis; nam huius rei causa redditur, ne vis fia ei qui possidet, et consequenter proponitur post inter dictum unde vi. illud enim restituit vi amissam pos sessionem, hoc interdicto, ne amittatur possessio praetor[1] possidenti vim fieri vetat. et illud quiden interdictum obpugnat possessorem, hoc tuetur. et u Pedius ait, omnis de possessione controversia aut e pertinet, ut, quod non possidemus, nobis restituatur aut ad hoc, ut retinere nobis liceat quod possidemus

Quem fundum.

42. Vat. fr. 93. Incert. auct. de interd. — Re stitutus ex hoc interdicto usus fructus intellegitur, cum petitor in fundum admissus sine periculo interdict unde vi ad eam rem propositi depelli non potest idem Pedius . ali diversam causam esse possessionis cum ille, qui posses ——

De itinere actuque privato.

43. D. 43, 19, 1, 7. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1556). — Is, cuius colonus aut hospes aut quis alius iter ad fundum fecit, usus videtur itinere vel actu vel via, et idcirco interdictum habebit; et haec ita Pedius scribit et adicit, etiamsi ignoravit, cuius fundus esset, per quem iret, retinere eum servitutem.

1 *Fl.* hoc interdictum tuetur, ne am. p., denique praetor.

44. D. 43, 19, 3, 2. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1557[b]). — Si quis ab auctore meo vi aut clam aut precario usus est, recte a me via uti prohibetur et interdictum ei inutile est, quia a me videtur vi vel clam vel precario possidere, qui ab auctore meo vitiose possidet. nam et Pedius scribit, si vi aut clam aut precario ab eo sit usus, in cuius locum hereditate vel ⟨bonorum⟩ emptione aliove quo iure successi, idem esse dicendum [cum enim successerit quis in locum eorum, aequum non est nos noceri hoc, quod adversus eum non nocuit, in cuius locum successimus].

Quae uncis quadratis inclusi, Pernice eicienda censet. cf. Lenel P. ad h. l.

Quod vi aut clam.

45. D. 43, 24, 1, 6. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592). — .. si quis iactu vel minimi lapilli prohibitus facere perseveravit facere, hunc quoque vi fecisse videri Pedius et Pomponius scribunt.

De doli mali exceptione?

46. D. 44, 4, 5, 4. Paulus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 792). — Si servus veniit ab eo, cui hoc dominus permisit, et redhibitus sit domino, agenti venditori de pretio exceptio opponitur redhibitionis, licet iam is qui vendidit domino pretium solverit; *nam* etiam mercis non traditae exceptione summovetur et qui pecuniam domino iam solvit, et ideo is qui vendidit agit adversus dominum. eandem causam esse Pedius ait eius, qui negotium nostrum gerens vendidit.

Si cui plus quam per legem Falcidiam.

47. D. 35, 3, 3, 2. Ulpianus libro septuagensimo nono ad edictum (P. 1715[b]). — Si in plures dies pecunia

legata est, cum certum sit legem Falcidiam locum habere, non stipulationi, sed computationi locum esse Pedius ait, ut aestimetur, quanti sit quod in diem legatum est et tantum credatur esse legatum, quantum efficit aestimatio, ut pro modo eius ex omnibus legatis statim legis Falcidiae ratio habeatur.

De decimis computandis?

48. D. 35, 2, 63 pr. Paulus libro secundo ad legem Iuliam et Papiam (P. 937). — .. nec post mortem testatoris heredem institutum[1] servum tanto pluris esse, quo pluris venire potest, Pedius scribit; est enim absurdum ipsum me heredem institutum non esse locupletiorem, antequam adeam, si autem servus heres institutus sit, statim me locupletiorem effectum, cum multis causis accidere possit, ne iussu nostro adeat. adquirit nobis certe cum adierit, esset autem praeposterum ante nos locupletes dici, quam adquisierimus.

III. Ad edictum aedilium curulium.

Huius opusculi quae traduntur fragmenta tantummodo de mancipiis vendundis sunt, neque in eo priorum iurisconsultorum mentio fit. laudatur autem a Paulo et Ulpiano libris ad edictum aedilium.

De mancipiis vendundis.

1. D. 1, 3, 13. Ulpianus libro I ad edictum aedilium curulium (P. 1757). — ..., ut ait Pedius, quotiens lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est cetera, quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certe iurisdictione suppleri.

Huschke Z. d. Sav.-St. XXII, 337 ita scribendum putat: '.. est ⟨si⟩ ... ⟨oportet⟩ suppleri.'

1 *Fl.* nec heredem post m. test. institutum.

2. D. 21, 1, 12, 1. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[f]). — Eum, qui alterum oculum aut alteram maxillam maiorem habet, si recte iis utatur, sanum videri Pedius scribit; ait enim inaequalitatem maxillarum oculorum brachiorum, si nihil ex ministerio praestando subtrahit, extra redhibitionem esse.

3. D. 21, 1, 14, 4. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[g]). — .. de eo qui urinam facit quaeritur. et Pedius ait non ob eam rem sanum non esse, quod in lecto somno vinoque pressus aut etiam pigritia surgendi urinam faciat; sin autem vitio vesicae collectum umorem continere non potest, non quia urinam in lecto facit, sed quia vitiosam vesicam habet, redhiberi posse.

4. Ibid. § 5. — Idem ait, si uva alicuius praecisa sit, tollere magis quam praestare redhibitionem, quod morbus minuitur.

De dictis promissis.

5. D. 21, 1, 19 pr. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1764[b]). — ... ut .. Pedius scribit, multum interest, commendandi servi causa quid dixerit, an vero praestaturum se promiserit quod dixit.

6. D. 21, 1, 23, 9. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1772). — Cum redhibetur mancipium, si quid ad emptorem pervenit vel culpa eius non pervenit, restitui oportet, non solum si ipse fructus percepit mercedesve a servo vel conductore servi accepit, sed etiam si a venditore fuerit idcirco consecutus, quod tardius ei hominem restituit. sed et si a quovis alio possessore fructus accepit emptor, restituere eos debebit. sed et si quid fructuum nomine consecutus est, id praestet; item si legatum vel hereditas servo obvenerit. neque refert, potuerit haec consequi venditor an non potuerit, si servum non vendidisset; ponamus enim talem esse, qui capere ali-

quid ex testamento non potuerat: nihil haec res no cebit. Pedius quidem etiam illud non putat ess spectandum, cuius contemplatione testator servun heredem scripserit vel ei legaverit [quia et si venditori mansisset[1], nihil haec res emptori proderat]. *et pe contrarium,* inquit, *si contemplatione venditoris institutu proponeretur, tamen diceremus restituere emptorem no debere venditori, si nollet eum redhibere.*

Quae uncis inclusi, Pernice eicienda censet.

7. D. 21, 1, 25, 4. Ulpianus libro primo ad edictun aedilium curulium (P. 1773). — Pedius ait aequun fuisse id dumtaxat imputari emptori ex facto pro curatoris et familiae, quod non fuit passurus servus nisi venisset; quod autem passurus erat etiam, si no venisset, in eo concedi emptori servi sui noxae de ditionem et ex eo, inquit, quod procurator commisit solum actionum praestandarum necessitatem ei iniungi

8. D. 21, 1, 30, 1. Paulus libro primo ad edictun aedilium curulium (P. 836). — Quas impensas ne cessario in curandum servum post litem contestatan emptor fecerit, imputabit; praecedentes impensas no minatim comprehendendas Pedius.

9. D.21,1,31,11. Ulpianus libro primo ad edictun aedilium curulium (P. 1779). — Si mancipium quo redhiberi oportet mortuum erit, hoc quaeretur, num quid culpa emptoris vel familiae eius vel procuratori homo demortuus sit; nam si culpa eius decessit, pr vivo habendus est, et praestentur ea omnia, qua praestarentur, si viveret.

10. D. ibid. § 13. — ... si post iudicium acceptun decessisse proponatur, tunc in arbitrium iudicis veniet qualiter mortuus sit; ut enim et Pedio videtur, ea quaecumque post litis contestationem contingunt, ar bitrium iudicis desiderant.

1 *Fl.* venditio remansisset.

11. D. ibid. § 14. — Quod in procuratore diximus, ›m et in tutore et curatore dicendum erit ceterisque, i ex officio pro aliis interveniunt, et ita Pedius ait, adicit, quibus administratio rerum ⟨permittitur, :um⟩ culpam abesse praestare non inique domi- m cogi.

12. D. ibid. § 15. — Idem Pedius ait familiae pellatione et filios familias demonstrari; facta enim mesticorum redhibitoria agentem praestare (praestari?) luit.

De re cui homo accedere praedicitur.

13. D. 21, 1, 44 pr. Idem (sc. Paulus) libro secundo edictum aedilium curulium (P. 840). — Iustissime diles noluerunt hominem ei rei quae minoris esset cedere, ne qua fraus aut edicto aut iuri civili fieret; ait Pedius, propter dignitatem hominum, alioquin ndem rationem fuisse et in ceteris rebus; ridiculum ›mque esse tunicae fundum accedere.

---

6. LONGINUS.

Pomponius § 52: 'Nervae successit Proculus . fuit ›dem tempore et Nerva filius. fuit et alius Longinus : equestri quidem ordine, qui postea ad praeturam usque ›rvenit.'

Praeterea nihil quod sciam de hoc iuris consulto roculi assecla traditum est.

---

7. PROCULUS

quem multi viri docti iniuria, ut videntur (v. infra), mpronium nominant (arg. D. 31, 47), de cuius vita et is nihil fere certi traditur; non tam rei publicae admini- andae, quam iuris doctrinae deditus, Labeonis, ut icere licet, auditor Nervaeque amicus, cui scholae

princeps successit (Pomp. § 52). plurimum eum potuisse fautoresque eius Proculianos appellatos esse Pomponius tradit. ipsum Pegasus secutus est, qui temporibus Vespasiani praefectus urbi fuit (Pomp. § 53), qua re quamquam Proculum illa aetate decessisse non probatur, tamen illum iuris consultum, cui Dasumius in testamento a. 108 facto legatum reliquit (Bruns font. p. 271), pro nostro habere vix licet (Karlowa I, 690).

Proculus novo more similiter atque Masurius Sabinus videtur ius docuisse. quos auditores habuerit, nescimus; licet tamen conicere inter eos Sempronium Nepotem, Licinnium Lucustam, Atilicinum fuisse. cf. Krueger p. 154 et infra p. 105.

Proculus et veteres leges interpretatus est, scil. XII tabularum (Gai. 4, 79. D. 22, 1, 19), legem Aquiliam (D. 9, 2, 27. 9, 2, 29, 1—3. Coll. 12, 7, 8—10), Cinciam (Vat. fr. 266), Falcidiam (D. 35, 2, 45, 1. cf. D. 35, 2, 1, 14) et novas, scil. legem Iuliam de iudiciis privatis (D. 50, 16, 4. cf. Lenel Edict. p. 45), Papiam Poppaeam (D. 35, 2, 1, 137), Aeliam Sentiam (D. 40, 9, 7, 1), nec minus senatusconsulta, ex. gr. et id quod de usufructu (D. 7, 5, 3) et quod Pomponio et Rufo consulibus a. p. Chr. 17 factum est (Collat. 15, 2, 1. D. 49, 15, 7 pr.).

Indicat praeterea, quid 'maiores' statuerint (D. 24, 1, 31, 7). sed Q. Mucii in fragmentis quae servata sunt nusquam mentio fit, quamvis in Pomponii libris ad Q. Mucium scriptis ipse nonnunquam laudetur. at affert Servii probatam sententiam (D. 41, 1, 26 pr.) atque Ofilium nonnunquam secutus est (Gai. 3, 140. D. 2, 1, 11, 2); item Trebatium (D. 11, 7, 14, 11. 35, 1, 40, 5), quem in aliis reliquit (D. 30, 200, 3. 33, 6, 15. cf. D. 28, 5, 70).

Labeonis quoque sententias alias probavit (D. 32, 86. 7, 8, 12, 1. Gai. 2, 231. D. 9, 2, 29, 3. 37, 14, 10), alias reiecit (D. 29, 2, 60. 8, 3, 34. 50, 16, 116. 41, 1, 28. Vat. fr. 1. D. 12, 4, 15) vel tantum cum exceptione admisit (D. 17, 2, 65, 5. 3, 5, 9, 1. 35, 1, 69. cf. D. 7, 8, 2, 1. 4 pr. 29, 2, 62 pr. 32, 100, 3); item Nervae sen-

tentias multas probavit (Gai. 2, 15. 195. D. 41, 1, 7, 7. 20, 4, 13. 18, 1, 1, 1. 30, 26, 2), alias improbavit (D. 16, 3, 32. 39, 2, 1. 7, 5, 3).

Diversae scholae principum, Sabini et Cassii, multas sententias Proculo displicuisse satis constat (D. 7, 29, 14 pr. Gai. 2, 195. D. 30, 26, 2. 14, 1, 7, 7; 45, 1, 138 pr. 46, 3, 93, 3. 35, 2, 1, 14. 41, 1, 27, 2. 5, 3, 40 pr. 25, 2, 1. 41, 1, 27, 2); at non raro utriusque sententias communes (D. 2, 1, 11 pr. 7, 8, 12, 1) vel etiam solius Sabini (D. 35, 1, 14. 45, 1, 8. 25, 2, 1) vel Cassii (D. 7, 5, 3. 35, 1, 43 pr.) probavit.

Apud posteriores Proculus vel Sabino (D. 46, 3, 93, 6. 45, 1, 138 pr.), vel Sabino et Cassio (D. 29, 7, 14 pr.), saepius vero iisdem una cum Nerva (Gai. 2, 195. D. 41, 1, 7, 7. 30, 26, 2), nonnunquam solus soli Cassio opponitur (D. 45, 3, 28, 4. 35, 2, 1, 14). quo fit, ut Proculiani modo Sabinianis (Vat. fr. 266), modo Cassianis (Ulp. 11, 28) opponantur.

Proculum de iisdem atque Cassium rebus multis disputasse quamquam mirum non est, tamen nonnulla significare non ab re esse iudico. dixit autem cum Cassio de senatore eiusque filio (D. 1, 9, 7, 1. cf. 1, 9, 2), de milite (D. 4, 6, 35, 9. cf. D. 4, 6, 34), de servo quem in provincia habemus (D. 30, 12, 1. cf. D. 41, 2, 1, 14), de castrato vel spadone (D. 28, 2, 6, 1. cf. D. 28, 2, 6), de aucupio et venatione (D. 41, 1, 35. cf. D. 7, 1, 9, 5), de apibus (Coll. 12, 7, 10. cf. D. 33, 7, 12, 13), de lacu (D. 18, 1, 69. cf. D. 50, 16, 112), de rutis caesis (D. 19, 1, 38, 2. cf. D. 19, 1, 18), de ferrumine vel ferruminatione (D. 41, 1, 27, 2. cf. D. 6, 1, 23, 5).

Ceterum res inprimis notabiles in Proculi fragmentis hae reperiuntur: orbis terrarum (D. 28, 1, 20, 1), foederati et liberi populi (D. 49, 15, 7), provincia (D. 38, 1, 20, 1), qui provinciae praeest (D. 1, 18, 12), Gades (D. 30, 12, 1), Roma (D. 1, 8, 12. 38, 1, 20), lacus Sabatenis (D. 18, 1, 69); saltus (D. 41, 2, 27), saltus aestivi hibernique (D. 43, 16, 1, 25), fundus, cuius commercium heres non

habet (D. 31, 49, 3), rustici senes (D. 32, 79, 1), coloni (Coll. 12, 7, 9. D. 19, 2, 3), aper qui in laqueum venandi causa positum incidit (D. 41, 1, 55), nundinae (D. 45, 1, 138 pr.); triclinium et cubiculum (D. 8, 2, 19 pr.), balineum (D. ibid.), balnearia et tubuli (D. 8, 2, 13), castellum plumbeum et fistulae sub terram missae (D. 19, 1, 38, 2), furnus (Coll. 12, 7, 8); argentum replumbatum (D. 34, 2, 19, 3), aurum, gemmae, margaritae (D. 34, 2, 11), electrum et electrina vasa (D. 34, 2, 32, 5); tonsor (D. 9, 2, 11 pr.), medicus (D. 9, 2, 7, 8), argentarii (D. 2, 14, 27 pr), testamentarius (D. 28, 5, 9, 3); horreum (D. 8, 2, 13), insula (D. 7, 1, 19 pr. 8, 2, 13. 20; 4, 13), insula hereditaria (D. 7, 1, 19 pr.), inquilini (D. 7, 8, 4 pr. 20, 4, 13. Coll. 12, 7, 9); qui te conduxit, ut iniuriam facias (D. 27, 10, 11, 4), canis ita irritatus, ut aliquem morderet (D. 9, 2, 11, 5), vir qui uxorem suam occidit (D. 24, 3, 10, 1).

Ut insularum et inquilinorum, ita servorum quoque libertorumque saepe mentio fit. nominantur autem servus hereditarius (D. 45, 3, 28, 4), venales novicii (D. 3, 5, 10), ordinarii et vicarii (D. 15, 1, 17), servus a me praepositus (D. 14, 3, 17, 4), servi quos quis Gadibus habet (D. 30, 12, 1); servus quem medicus imperite secuit (D. 9, 2, 7, 8); ancilla quae nupsit (D. 23, 3, 67. 45, 1, 58), familia, cui quis persuasit, ut de possessione decedat (D. 4, 3, 31); coloni servi, qui villam exusserunt (Coll. 12, 7, 9); servus qui alicui pecuniam dedit, ne furtum ab eo factum indicaret (D. 12, 5, 5); servus communis[, id est meus et tuus], qui servum meum occidit (D. 9, 2, 27, 1), servus qui cum dominum animadverteret verberibus se adficere velle, praeripuit se ad amicum, quem ad precandum perduceret (D. 21, 1, 17, 4), servus qui domi latuit, ut fugae nactus occasionem se subtraheret (D. 21, 1, 17, 4), mulier quae post alienationem fraudulosam concepit et antequam fraudatorio interdicto agitur, peperit (D. 42, 8, 25, 2); avitus libertus (D. 37, 14, 17), libertus ex provincia Romam venire iussus ad reddendas operas (D. 38, 1, 20, 1), libertus

a patrono vel a patroni filio vel a nepote capitis accusatus (D. 37, 14, 10, 17), libertus testator (D. 35, 1, 43 pr.).

Referuntur Proculi sententiae inprimis tam libris ad Sabinum (sc. Pomponii l. III D. 30, 12, 1; V D. 7, 1, 19 pr. 30, 26, 2; VIII D. 35, 1, 14; IX D. 18, 6, 6. 19, 2, 3. 21, 2, 16, 2; XI D. 41, 1, 21 pr.; XIV D. 24, 1, 31, 7; XV D. 24, 3, 10, 1. 45, 1, 21; XXII D. 12, 4, 15; XXXII D. 41, 3, 31 pr.; XXXIII D. 8, 3, 24. 41, 1, 28; Pauli l. II D. 45, 1, 8; III D. 30, 15 pr.; VI D. 8, 2, 19 pr. 17, 2, 38, 1; VII D. 24, 3, 17 pr. § 1. 25, 2, 1. 25, 2, 3, 4; VIII(?) Vat. fr. 1; Ulpiani l. III D. 28, 2, 6, 1; V D. 28, 5, 9, 3; XVII D. 7, 8, 2, 1. 4 pr. 7, 8, 10, 2. 7, 8, 12, 1; XVIII D. 7, 5, 3; XXII D. 33, 9, 3, 2; XXXVI D. 26, 2, 10, 3), Pomponii ad Q. Mucium (l. XV D. 45, 1, 112, 1; XXI D. 3, 5, 10), Gai ad leges XII tabularum (D. 22, 1, 19 pr.), ad legem Iuliam et Papiam (sc. Gai D. 35, 1, 69, Terentii Clementis D. 37, 14, 10, Pauli l. III D. 4, 6, 35, 9, V D. 31, 49, 3, Ulpiani l. I D. 1, 9, 7, 1; XI D. 37, 14, 17), Pauli ad l. Falcidiam (D. 35, 2, 1, 14), quam ad edictum provinciale Gai (D. 2, 1, 11 pr. § 2) vel praetoris Pauli (l. III D. 2, 14, 21, 2; IX D. 3, 5, 17; XX D. 5, 3, 36 pr. 5, 3, 40 pr.; XXI D. 6, 1, 27, 1. 5; XXX D. 14, 3, 17, 4; XXXII D. 17, 1, 22, 7. 17, 2, 65 pr. § 5. 17, 2, 67 pr.; XXXIII D. 18, 1, 1, 1. 18, 6, 8 pr.; XL D. 38, 1, 20, 1; XLIX D. 39, 3, 11, 2; LIV D. 41, 2, 3, 3. 41, 3, 4, 10. 41, 7, 2; LXII D. 42, 8, 7) et Ulpiani (l. X D. 3, 5, 9, 1; XIII D. 4, 8, 21, 9. 4, 8, 23, 1; XV D. 5, 3, 11 pr.; XVII D. 8, 3, 5, 1; XVIII D. 9, 2, 7, 3. 8. 9, 2, 11 pr. § 5. 9, 2, 27, 1. Coll. 12, 7, 8—10. D. 9, 2, 29, 1—3; XXVI Vat. fr. 266; XXIX D. 14, 5, 4, 5. 15, 1, 17. 15, 1, 30 pr.; XXXII D. 19, 2, 15, 8; LVII D. 47, 10, 11, 4. 5; LXVI D. 42, 8, 6, 13; LXIX D. 43, 16, 1, 25; LXXIX D. 7, 9, 7 pr.; LXXXI D. 39, 2, 26), praeterea Celsi libris Digestorum (l. VIII D. 19, 1, 38, 2; IX(?) D. 32, 79, 1; XI D. 16, 3, 32; XVI D. 28, 5, 60, 2; XVIII D. 8, 1, 10; XIX D. 31, 20. 34, 2, 3), de verborum obligationibus Gai (D. 45, 3, 28, 4) vel Stipulationum Venulei (l. II D. 45,

2, 12 pr.; l. IV D. 45, 1, 138 pr.), Rerum cottid. Gai (D. 17, 1, 4. 41, 1, 7, 7), Quaestionum Scaevolae (D. 29, 7, 14 pr. 46, 3, 93, 3), Epistolarum Iavoleni (D. 28, 5, 11. 50, 16, 116), Interdictorum Venuleii (D. 42, 8, 25, 5).

Proculum secuti sunt Atilicinus (D. 4, 8, 21, 9. 15, 1, 17. 8, 3, 5, 1. 2, 14, 27 pr.), Pegasus (D. 1, 9, 7, 1. 3, 5, 17. 15, 1, 30 pr. 41, 1, 27, 2), Octavenus (D. 18, 6, 8 pr.), Iavolenus (D. 32, 100, 2. 3. 35, 1, 40, 5. 29, 2, 60), Neratius (D. 7, 8, 10, 2. 24, 3, 17 pr. 41, 2, 3, 3. 12, 14, 27 pr. 3, 5, 7), Celsus pater (Vat. fr. 1. D. 31, 20. 28, 5, 9, 3. 24, 2, 19, 3), Celsus filius (D. 28, 5, 60, 2), Iulianus (D. 5, 3, 36 pr.), Pomponius (D. 41, 1, 28. 8, 3, 24. 18, 6, 8 pr. cf. D. 41, 3, 31 pr.), qui vel nomine omisso ipsa Proculi verba refert (D. 17, 2, 6 collatis D. 17, 2, 76—80), Paulus (D. 21, 2, 13. 30, 15 pr. 41, 3, 4, 10. cf. D. 24, 1, 37, 1), Ulpianus (D. 47, 10, 11, 4. 1, 9, 7, 1. 42, 8, 6, 13. 7, 8, 10, 2. 34, 2, 19, 3. 9, 2, 27, 1. Coll. 12, 7, 9. D. 19, 2, 15, 8), incertus quidam auctor (Vat. fr. 1).

Proculum reliquerunt nonnunquam Celsus filius (Collat. 12, 7, 10. D. 16, 3, 32), Iulianus (D. 37, 14, 17, 1), Scaevola (D. 46, 3, 93, 3), incertus auctor apud Dositheum 10.

Proculi sententias in scholis vel posteris temporibus explicatas esse Ulpianus videtur indicare, cum D. 43, 16, 1, 25 ait: 'Quod volgo dicitur aestivorum hibernorumque saltuum nos possessiones animo retinere, id exempli causa didici Proculum dicere'.

Inde ex divi Pii temporibus Proculi sententiae quaedam a principibus probatae sunt. nam in legatis per vindicationem, ut Gaius 2, 195 refert, 'hodie ex divi Pii Antonini constitutione hoc magis iure uti videmur quod Proculo placuit'. divi autem Fratres rescribentes ad libellum Caesidiae Longinae Proculi de iure patronatus sententiam secuti sunt (D. 37, 14, 17). Paulo denique teste incertus quidam princeps, cum quaereretur, an, si debitor in fraudem creditorum minore pretio fundum scienti emptori vendidisset, fundus restitui deberet, etiamsi

pretium non solveretur, secundum Proculi sententiam rescripsit (D. 42, 8, 7). addo Ulpianum (D. 9, 2, 29, 1) Proculi sententiam cum Severi rescripto quodam conferre non dubitasse.

Alias Proculi sententias vel ius fecisse tradunt et Paulus (D. 15, 1, 47, 3) et Ulpianus (D. 28, 2, 6, 1), aliam praevaluisse auctor ille narrat, quo Tribonianus in novis Institutionibus componendis usus est (3, 23, 2). rursus quandam Proculi sententiam iam illa aetate inprobatam fuisse Gaius 4, 163 tradit.

Quamquam quin Proculus libros ediderit dubium non est, tamen praeter Epistularum libros, ex quibus Tribonianus quaedam in nova Digesta recepit, de aliis nihil certi constat, nisi quod ad Labeonem notas eum scripsisse satis indicatur.

I. Responsa.

Proculum multis consulentibus respondisse apparet, inter quos vel hodie nominantur Licinnius Lucusta (D. 31, 48), Atilicinus (D. 23, 4, 17), Nepos (D. 50, 16, 125. 31, 47), Firmus (D. 19, 1, 38, 2), qui et ipsi iuris periti habendi sunt vel iuris studiosi. cf. Krueger p. 154. 156. Atilicinus idem videtur esse atque notus ille iuris consultus, de quo infra videndum. fortasse, id quod Neronis aetate fieri potuit, de eodem facto consultus est atque Sabinus et Cassius (D. 29, 7, 14 pr. 'quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente').

Sicuti consultationes, ita responsa pleraque litteris data sunt.

Responsorum partem Proculus proposuit in Epistularum libris, de quibus infra videndum est; alia prolata sunt a Viviano (D. 4, 6, 35, 9 'Vivianus scribit Proculum respondisse'. D. 21, 1, 17, 4 'Idem' sc. Vivianus 'ait: interrogatus Proculus de eo qui . . ., ait'. cf. D 29, 7, 14 pr.), Urseio Feroce (D. 9, 2, 27, 1 'Proculum existimasse Urseius refert'. D. 39, 3, 11, 2 'apud Ferocem Proculus ait'), Servilio (D. 37, 14, 10 'Proculo placuisse

Servilius refert'), Neratio (D. 34, 2, 32, 5 'Neratius Proculum refert respondisse'), Celso (D. 19, 1, 38, 2 'Firmus a Proculo quaesiit . . . ille rescripsit'), Iuliano, qui maxime libris IV 'ad Urseium Ferocem' (P. 883—928) Proculi responsa posteris videtur tradidisse (cf. D. 10, 2, 52 pr. 10, 3, 5. 23, 3, 48. 40, 9, 7, 1. 12, 5, 5. 11, 1, 18), Paulo (D. 5, 3, 36, 2) et Ulpiano (D. 19, 2, 15, 8. Coll. 12, 7, 9).

Huc ea tantum responsa congessi, quae Epistularum libris Proculus non videtur inseruisse.

De testamentis.

De adquirenda hereditate.

1. D. 4, 6, 35, 9. Paulus libro tertio ad legem Iuliam et Papiam (P. 939). — Vivianus scribit Proculum respondisse militem, qui commeatu absit, dum domum vadit aut redit, rei publicae causa abesse; dum domi sit, non abesse.

cf. Ulp. 16, 1. 'Aliquando vir et uxor inter se solidum capere possunt, velut . . . si vir <rei publicae causa> absit et donec abest et intra annum, postquam abesse desierit'.

2. D. 11, 1, 18. Iulianus libro quarto ad Urseium Ferocem (P. 923). — Qui ex parte dimidia heres erat cum absentem coheredem suum defendere vellet, ut satisdationis onus evitare possit, respondit se solum heredem esse et condemnatus est. quaerebat actor, cum ipse solvendo non esset, an rescisso superiore iudicio in eum, qui re vera heres erat, actio dari deberet. Proculus respondit rescisso iudicio posse agi.

De hereditate liberti.

3. D. 37, 14, 10. Terentius Clemens libro nono ad legem Iuliam et Papiam (P. 22). — Eum qui capitis paternum libertum accusasset, excludi a bonorum possessione contra tabulas placuit. Labeo existimabat capitis accusationem eam esse, cuius poena

mors aut exilium esset. qui nomen detulit, accusasse intellegendus est, nisi abolitionem petit, idque etiam Proculo placuisse Servilius refert.

Hoc fragmentum, cum Servilius testis laudetur, non nota ad Labeonem scripta, sed responsum habendum est. ceterum cf. incertae sedis fragmenta infra p. 141.

De legatis.

4. D. 23, 3, 48, 1. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 892). — Socer genero suo sic legaverat: 'Lucio Titio filiae meae nomine centum heres meus damnas esto dare'. hanc pecuniam generum petere debere, exactam acceptam legatis referri, sed ⟨nihilo minus dotis esse factam et⟩ divortio facto *rei uxoriae*[1] actione mulieri reddendam Proculus respondit [et nihilo minus dotis esse factam].

5. D. 34, 2, 32, 5. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2074[b]). — Neratius Proculum refert ita respondisse: vasis electrinis legatis nihil interesse, quantum ea vasa, de quibus quaeritur, argenti aut electri habeant, sed utrum argentum electro an electrum argento cedat. id ex aspectu vasorum facilius intellegi posse; quod si in obscuro sit, inspiciendum est, in utro numero ea vasa is, qui testamentum fecit, habuerit.

6. D. 31, 20. Idem (sc. Celsus) libro nono decimo Digestorum (P. 158). — .. Proculo placebat . . ., quod servo communi legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non adcrescere; non enim coniunctim, sed partes legatas; nam ambo si vindicarent, eam quemque legati partem habiturum, quam in servo haberet.

De manumissionibus.

7. D. 40, 9, 7, 1. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 903). — Minor annis viginti cum

1 *Trib.* de dote.

servum manumittere vellet nec iustam causam ad consilium manumittendi haberet, tibi eum ut manumitteres ⟨fiduciae causa mancipio⟩ dedit: negavit eum Proculus liberum esse, quoniam fraus legi facta esset.

Gai. 1, 38. '.. eadem lege' sc. Aelia Sentia 'minori XX annorum domino non aliter manumittere permittitur, quam vindicta apud consilium iusta causa manumissionis adprobata'. cf. Pernice III, 301 n. 3.

De emptione venditione.

8. D. 21, 1, 17, 4. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium. — Idem (sc. Vivianus) ait: interrogatus Proculus de eo qui domi latuisset in hoc scilicet, ut fugae nactus occasionem se subtraheret, ait, tametsi fugere non posset videri, qui domi mansisset, tamen eum fugitivum fuisse; sin autem in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domini effervesceret, fugitivum non esse, sicuti ne eum quidem, qui cum dominum animadverteret verberibus se adficere velle, praeripuisset se ad amicum, quem ad precandum perduceret. ne eum quidem fugitivum esse, qui in hoc progressus est, ut se praecipitaret, ceterum etiam eum quis fugitivum diceret, qui domi in altum locum ad praecipitandum se ascendisset, magisque hunc mortem sibi consciscere voluisse. illud enim, quod plerumque ab imprudentibus, inquit, dici solet, eum esse fugitivum, qui nocte aliqua sine voluntate domini emansisset, non esse verum, sed ab affectu animi cuiusque aestimandum.

Hanc Proculi sententiam Epistularum libris adtribuere ideo prohibemur, quod Vivianus testis laudatur.

De mandato?

9. D. 19, 2, 15, 8. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 949) — .. si forte dominus frui non patiatur (sc. colonum), vel cum ipse locasset vel cum alius alienum vel quasi procurator

vel quasi suum, quod interest praestabitur, et ita Proculus in procuratore respondit.

10. D. 10, 3, 4, 3. 4 et 10, 3, 5. Idem (sc. Ulpianus) libro nono decimo ad edictum (P. 639) et Iulianus libro secundo ad Urseium (P. 494). — Sicut .. ipsius rei divisio venit in communi dividundo iudicio, ita etiam praestationes veniunt ... plane fructus ante percepti, quam res communis esset, vel sumptus ante facti in communi dividundo iudicium non veniunt. eapropter scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti simus et ante, quam possidere iuberemur, ego insulam fulsero, sumptum istum communi dividundo iudicio consequi me non posse. | sed si res non defenderetur et ideo iussi sumus a praetore eas aedes possidere et ex hoc dominium earum nancisceremur, respondit Proculus communi dividundo iudicio partem eius impensae me servaturum esse.

Lenel notat: 'verisimile est Iulianum interdicti Quem fundum mentionem fecisse'.

De lege Aquilia.

11. D. 9, 2, 27, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 621). — Si servus communis [id est meus et tuus] servum meum occiderit, legi Aquiliae locus est adversus te, si tua voluntate fecit, et ita Proculum existimasse Urseius refert. quod si non voluntate tua fecit, cessare noxalem actionem, ne sit in potestate servi, *utri*[1] soli serviat.

12ª. Collat. 12, 7, 9. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623). — Proculus .. respondit, cum coloni servi villam exusserint, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus servos posset noxae dedere et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum.

12ᵇ. D. 9, 2, 27, 11. Ulpianus libro octavo decimo

1 *Fl.* ut tibi.

ad edictum. — Proculus ait, cum coloni servi villam exussissent, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus possit servos noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum. [sed haec ita, si culpa colonus careret; ceterum si noxios servos habuit, damni eum iniuria teneri, cur tales habuit.] idem servandum et circa inquilinorum insulae personas scribit.

cf. Eisele Z. d. Sav.-St. XIII p. 122 sq.

Quod Proculum ita 'scribere' Ulpianus tradit, ad responsum litteris datum videtur spectare. cf. D. 19, 1, 38, 2 'rescripsit'.

13. D. 9, 2, 11, 5. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[c]). — .. cum eo, qui canem irritaverat et effecerat, ut aliquem morderet, quamvis eum non tenuit, Proculus respondit Aquiliae actionem esse.

Proculus non utilem, sed directam actionem dari videtur putasse, quae sententia reprobata est. cf. Gai. 3, 219.

De condictione.

14. D. 12, 5, 5. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 915). — Si a servo meo pecuniam quis accepisset, ne furtum ab eo factum indicaret, sive indicasset sive non, repetitionem fore eius pecuniae Proculus respondit.

De hereditatis petitione.

15. D. 5, 3, 36 pr. Paulus libro vicensimo ad edictum (P. 319[b]). — Si a domino vel a patre, qui pretia possidet (sc. rerum hereditariarum a filio vel servo venditarum), hereditas petatur, an filio vel servo mortuo vel servo manumisso vel emancipato filio intra annum agi debeat? et an debitum sibi dominus vel pater deducere potest? ... Proculus .. respondit, perpetuo actionem dandam nec deduci oportere id quod ipsi debetur, quia non de peculio agatur, sed hereditas petatur.

De adquirendo rerum dominio.

16. D. 19, 1, 38, 2. Celsus libro octavo Digestorum (P. 79). — Firmus a Proculo quaesiit, si de plumbeo castello fistulae sub terram missae aquam ducerent in aenum lateribus circumstructum, an hae aedium essent an ut ruta caesa vincta fixaque quae aedium non essent. ille rescripsit referre, quid acti esset.

Fragmentum fortasse Epistularum libris attribuendum est.

De calumniae iudicio.

17. Gai. 4, 163. — <Si> .. restitutorium vel exhibitorium interdictum redditur, ... modo sine periculo res ad exitum perducitur, modo cum periculo. namque si arbitrum postulaverit is cum quo agitur, accipit formulam quae appellatur arbitraria ... sed et actor sine poena experitur cum eo quem neque exhibere neque restituere quicquam oportet, praeterquam si calumniae iudicium ei oppositum fuerit decimae partis; quamquam Proculo placuit denegandum calumniae iudicium ei qui arbitrum postulaverit, quasi hoc ipso confessus videatur restituere se vel exhibere debere.

II. Epistularum libri.

In Iustiniani Digestis afferuntur fragmenta, si inscriptionibus fides habenda est, ex libris I, II, IV, V, VI, VII, VIII, XI. quod in auctorum indice haec leguntur 'Προκούλου ἐπιστολῶν βιβλία ὀκτώ', errori tribuendum videtur.

Proculus in hos libros responsa sua selecta additis iis, quae consulentes de re ad eum scripserant, congessit. quorum ex numero recepta sunt inprimis ea, quae Licinnius Lucusta et Atilicinus et Nepos consuluerant, quo factum est, ut et partium nomina afferrentur et res, de quibus agitur, accurate designarentur (D. 8, 2, 13 'Quidam Hiberus nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundum parietem communem'. D. 18, 1, 60 'Rutilia Polla

emit lacum Sabatenem Angularium et circa eum lacum pedes decem'). qui Proculum consulebant, vel priorum iurisconsultorum sententias afferebant (D. 28, 5, 70 'Cornelius et Maevius, uter eorum volet, heres esto.' uterque vult. Trebatius neutrum fore heredem, Cartilius utrumque: tu cui adsentiaris'?) vel quid ipsi de re proposita sentirent, dicebant (D. 8, 2, 13, ubi verba supra allata sequuntur haec: 'non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, sicuti ne parietem quidem super parietem communem; de tubulis eo amplius hoc iuris est, quod per eos flamma torretur paries'). per litteras consultus Proculus litteris respondebat (D. 31. 48 'Licinnius Lucusta Proculo suo salutem. ... Proculus Lucustae suo salutem').

Triboniani vero adiutor plerasque epistulas non integras expressit, sed tantum partem, inprimis ipsa responsa. exemplum habes D. 23, 3, 67 'Proculus Nepoti suo salutem'. cum responsum tantum redditur, salutatio quoque plerumque deleta est. exempla habes D. 49, 15, 7 pr. 'Non dubito quin ...' D. 32, 86 'Si ita legatum est ... non puto ...'; D. 31, 46 'Si scripsisset qui legabat ... non dubitarem ...'

In aliis multis fragmentis genuina epistulae forma adeo deleta est, ut et consultatio et responsum in breve coactum sit, cuius rei exemplum praebet D. 4, 3, 31 'Cum quis persuaserit familiae meae, ut de possessione decedat, possessio quidem non amittitur, sed de dolo malo iudicium in eum competit, si quid damni mihi accesserit'. eiusmodi fragmentorum condicio Triboniani adiutoris neglegentia nonnunquam miserrima est, veluti D. 34, 2, 11 'Si quis legaverit aurum gemmas margaritas quae in eo auro essent, etiam id aurum, cui neque gemmae neque margaritae inessent, legasse videtur', et cum quid ipse Proculus dicat, plerumque ne divinari quidem possit, in his fragmentis repetendis acquiescendum est.

Certum rerum ordinem in Epistularum libris non inveniri viri docti monent. Krueger p. 153. Lenel II col. 159 n. 2. singulos igitur libros seorsum et deinceps

a Proculo editos esse licet conicere. certe de legatis non modo libro II, sed etiam V et VI, de dote non modo libro V, sed etiam VII, VIII, IX, de bonorum possessione non modo libro II, sed etiam III et XI agitur. itaque singulorum librorum fragmenta secundum ordinem Sabinianum collocare idoneum videtur.

De iis videndum est, quae singulis fragmentis coniuncta proponuntur. atque Proculo nonnunquam ab eodem consultore plures quaestiones ad rem pertinentes propositas esse illumque ad singulas respondisse D. 4, 1, 56 docet: 'quaero .. Proculus respondit. item quaero ... Proculus respondit.' rursus Triboniani adiutorem genuina consultationis et responsi forma mutata nonnunquam diversas res in unum velut corpus confudisse docent D. 31, 48 et D. 45, 1, 113. eiusmodi fragmentorum partes discerpere separatimque proponere non dubitavi.

Aeque ac Proculus Iavolenus Epistularum libros composuit. quem qui consulebant, nonnunquam Proculi sententias laudabant (D. 28, 5, 11. 50, 16, 116) fortasse in Epistularum libris prolatas.

Liber I.

De aquae ductu.

1. D. 8, 6, 16. Proculus libro primo Epistularum. — Aquam, quae oriebatur in fundo vicini, plures per eundem rivum iure ducere soliti sunt, ita ut suo quisque die a capite duceret, primo per eundem rivum eumque communem, deinde ut quisque inferior erat, suo quisque proprio rivo, et unus *biennio*[1] non duxit.

Existimo eum ius ducendae aquae amisisse nec per ceteros qui duxerunt eius ius usurpatum esse; proprium enim cuiusque eorum ius fuit neque per alium usurpari potuit. quod si plurium fundo iter aquae debitum esset, per unum eorum omnibus his, inter quos is fundus com-

1 *Trib.* statuto tempore, quo servitus amittitur.

munis fuisset, usurpari potuisset. item si quis eorum, quibus aquae ductus servitus debebatur et per eundem rivum aquam ducebant, ius aquae ducendae non ducendo eam amisit, nihil iuris eo nomine ceteris, qui rivo utebantur, adcrevit idque commodum eius est, per cuius fundum id iter aquae est, quod non utendo pro parte unius amissum est; libertate enim huius partis servitutis fruitur.

Liber II.

De testamentis.

2. D.28,5,70. Proculus libro secundo Epistularum. — 'Cornelius et Maevius, uter eorum volet, heres esto'. uterque vult. Trebatius neutrum fore heredem, Cartilius utrumque: tu cui adsentiaris?

Proculus: *Cartilio adsentio et illam adiectionem 'uter eorum volet' supervacuam puto; id enim etiam ea non adiecta futurum fuit, ut, uter vellet, heres esset, uter nollet, heres non esset. quod si hi ex numero necessariorum heredum essent, tum id non frustra adiectum esse et non solum figuram, sed vim quoque condicionis continere. dicerem tamen, si uterque heres esse vellet, utrumque heredem esse.*

De legatis.

3. D.33,6,15. Proculus libro secundo Epistularum. — Vinum cum vasis legavit. negat Trebatius quod in doliis sit deberi et sensum testatoris alium putat esse, verborum alium; ceterum dolia in vasis vinariis non esse[1].

Ego etsi dolia in vasis vinariis non sunt, tamen non concederem Trebatio vinum quod in doliis esset [id est quod in vasis non esset,?] non esse legatum. illud verum esse puto, cui vinum cum vasis legatum erit, ei amphoras cados, in quibus vina diffusa servamus, legatos esse. vinum enim in amphoras et cados hac mente

1 *Fl.* essent.

diffundimus, ut in his sit, donec usus causa promatur[1], *et scilicet id vendimus cum his amphoris et cadis; in dolia autem alia mente coicimus, scilicet ut ex his postea vel in amphoras et cados diffundamus vel sine ipsis doliis veneat.*

Quamquam dubitari potest, uter ille 'ego' sit, consultorne an Proculus, tamen huius verba esse crediderim. Quominus eiusdem responsi partem iis quae D. 33, 6, 6 leguntur effici putemus, per solam vocem 'quinto' stat quam librarii errori eo facilius imputes, quod V et II per neglegentiam saepe inter se commutantur.

4. D. 33, 6, 6. Proculus libro quinto (secundo?) Epistularum. — *Cui vinum heres dare damnatus est,* ⟨*etiam*⟩ *quod in amphoris et cadis diffusum est dari debet, etiamsi vasorum mentio facta non est. item quamvis cum vasis cadis legatum est, tamen id quoque, quod in doliis, legatum esse videtur, sicuti, si servos omnes cum peculio cuiusque eorum legasset, etiam eos, quibus peculii nihil esset, legasse videretur.*

5. D. 50, 16, 124. Proculus libro secundo Epistularum. — *Haec verba 'ille aut ille' non solum disiunctiva, sed etiam subdisiunctivae orationis sunt. disiunctivum est, veluti cum dicimus 'aut dies aut nox est', quorum posito altero necesse est tolli alterum, item sublato altero poni alterum. [ita simili figuratione verbum potest esse subdisiunctivum.?] subdisiunctivi autem genera sunt duo: unum, cum ex propositis finibus ita non potest uterque esse, ut possit neuter esse, veluti cum dicimus 'aut sedet aut ambulat'; nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neuter esse, ut possit uterque*[2] *esse, veluti cum dicimus 'omne animal aut facit aut patitur'; nullum est enim quod nec faciat nec patiatur. at potest simul et facere et pati.*

1 *Fl.* probetur. *emend. Cuiacius.* 2 *F.* utrumque.

Responsi hanc partem ad legata pertinere etsi potest dubitari, tamen verisimile est. cf. C. 6, 38, 4. Idem (sc. Imp. Iustinianus) A. Johanni pp. Cum quidam sic vel institutionem vel legatum vel fideicommissum vel libertatem vel tutelam scripsisset: 'ille vel ille heres mihi esto' vel 'illi aut illi do lego' vel 'dari volo' vel 'illum aut illum liberum' vel 'tutorem esse volo' vel 'iubeo', dubitabatur, utrumne inutilis sit huiusmodi institutio et legatum et fideicommissum et libertas et tutoris datio, an occupantis melior condicio sit, an ambo in huiusmodi lucra vel munia vocentur et an secundum aliquem ordinem admittantur, an uterque omni modo, cum alii primum in institutionibus quasi institutum admitti, secundum quasi substitutum, alii in fideicommissis posteriorem solum accepturum fideicommissum existimaverunt, quasi recentiore voluntate testatoris utentem.

De communione.

6. D. 8, 2, 13 pr. § 1. Proculus libro secundo Epistularum.

1. Quidam Hiberus nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundum parietem communem. non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, sicuti ne parietem quidem suum per parietem communem. de tubulis eo amplius hoc iuris est, quod per eos flamma torretur paries. qua de re volo cum Hibero loquaris, ne rem illicitam faciat.

Proculus respondit: *nec Hiberum pro ea re dubitare puto, quod rem non permissam facit tubulos secundum communem parietem extruendo.*

2. *Parietem communem incrustare licet secundum Capitonis sententiam, sicut licet mihi pretiosissimas picturas habere in pariete communi. ceterum si demolitus sit vicinus et ex stipulata actione damni infecti agatur, non pluris quam vulgaria tectoria aestimari debent, quod observari et in incrustatione oportet.*

De verborum obligatione.

7. D. 45, 1, 113. Proculus libro secundo Epistularum. — Cum stipulatus sim mihi, Procule, si opus arbitratu meo ante kalendas Iunias effectum non sit, poenam, et protuli diem: putasne vere me posse dicere arbitratu meo opus effectum non esse ante kalendas Iunias, cum ipse arbitrio meo aliam diem operi laxiorem dederim?

Proculus respondit: *non sine causa distinguendum est interesse, utrum per promissorem mora non fuisset, quo minus opus ante kalendas Iunias ita, uti stipulatione comprehensum erat, perficeretur, an, cum iam opus effici non posset ante kalendas Iunias, stipulator diem in kalendas Augustas*[1] *protulisset. nam si tum diem stipulator protulit, cum iam opus ante kalendas Iunias effici non poterat, puto poenam esse commissam nec ad rem pertinere, quod aliquod tempus ante kalendas Iunias fuit, quo stipulator non desideravit id ante kalendas Iunias effici, id est quo non est arbitratus ut fieret quod fieri non poterat. aut si hoc falsum est, etiam si stiputlator pridie kalendas Iunias mortuus esset, poena commissa non esset, quoniam mortuus arbitrari non potuissc-et aliquod tempus post mortem eius operi perficiendo superfuisset. et propemodum etiam si ante kalendas Iunias certum*[2] *esse coepit opus ante eam diem effici non posse, poena commissa est.*

De emptione venditione.

8. Ibid. § 1. — Cum venderet aliquis, promisit emptori fideiussores praestari et rem venditam liberari. quae ut liberetur, nunc desiderat emptor. in mora est is, qui ea stipulatione id futurum promisit. quaero quid iuris sit.

Proculus respondit: *tanti litem aestimari oportet, quanti actoris interest.*

1 *Fl.* kalendis Augustis.
2 *Fl.* futurum.

De adquirenda et amittenda possessione.

9. D. 41, 1, 55. Proculus libro secundo Epistularum. — In laqueum, quem venandi causa posueras aper incidit. cum eo haereret, exemptum eum abstuli num tibi videor tuum aprum abstulisse? et si tuum putas fuisse, si solutum eum in silvam dimisissem, eo casu tuus esse desisset an maneret? et quam actionem mecum haberes, si desisset tuus esse, num in factum dari oporteret, quaero.

Respondit: *laqueum videamus ne intersit in publico an in privato posuerim et, si in privato posui, utrum in meo an in alieno, et, si in alieno, utrum permissu eius cuius fundus erat an non permissu eius posuerim. praeterea utrum in eo ita haeserit aper, ut expedire se non possit ipse, an diutius luctando expediturus se fuerit. summam tamen hanc puto esse, ut, si in meam potestatem pervenit, meus factus sit. sin autem aprum meum factum*[1] *in suam naturalem laxitatem dimisisses et eo facto meus esse desisset, actionem mihi in factum dari oportere, veluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex nave eiecisset.*

Pomponius Ulpiano teste D. 41, 1, 44 in simili quaestione Proculi verbis utitur: 'cogitabat . . quem admodum terra marique capta, cum in suam naturalem laxitatem pervenerant, desinerent eorum esse qui ceperunt ita' e. q. s.

Paul. S. 3, 6, 45 'retia apraria' fundo contineri ait.

10. D. 4, 3, 31. Proculus libro secundo Epistularum. — *Cum quis persuaserit familiae meae, ut a possessione decedat, possessio quidem non amittitur, sed de dolo malo iudicium in eum competit, si quid damni mihi accesserit.*

Pernice II², 229 n. 5: 'der Schlufssatz verwechselt anscheinend accedere und accidere . . .'

1 *Fl.* ferum.

Liber III.

Nihil superest.

Liber IV.

De provinciae praesidis officio.

11. D. 1, 18, 12. Proculus libro quarto Epistularum. — *Sed licet is, qui provinciae praeest, omnium Romae magistratuum vice et officio fungi debeat, non tam ei*[1] *spectandum est quid Romae factum est, quam quid fieri debeat.*

Liber V.

De legatis.

12. D. 32, 86. Proculus libro quinto Epistularum. — Si ita legatum est 'domum quaeque mea ibi erunt, cum moriar', nummos ad diem exactos a debitoribus, ut aliis nominibus collocarentur, *non puto legatos esse et Labeonis distinctionem valde probo, qui scripsit nec quod casu abesset, minus esse legatum nec quod casu ibi sit, magis esse legatum.*

13. D.34,2,11. Proculus libro quinto Epistularum. — Si quis legaverit aurum gemmas margaritas quae in eo auro essent, *etiam id aurum, cui neque gemmae neque margaritae inessent, legasse videtur.*

14. D. 31, 46. Proculus libro quinto Epistularum. — Si scripsisset qui legabat: 'quidquid mihi Lucium Titium dare facere oportet, Sempronio lego' nec adiecit 'praesens in diemve', *non dubitarem, quantum ad verborum significationem attineret, quin ea pecunia comprehensa non esset, cuius dies moriente eo, qui testamentum fecisset, nondum venisset. adiciendo autem haec verba 'praesens in diemve' aperte mihi videtur ostendisse eam quoque pecuniam legare voluisse.*

1 *Fl.* tamen.

De societate.

15. D. 17, 2, 76. 78. 80. Proculus libro quint Epistularum. — *Societatem mecum coisti ea condicion ut Nerva amicus communis partes societatis constituere Nerva constituit, ut tu ex triente socius esses, ego ex bess quaeris, utrum ratum id iure societatis sit an nihil minus ex aequis partibus socii simus. existimo auten melius te quaesiturum fuisse, utrum ex his partibus soci essemus quas is constituisset, an ex his quas virum bonun constituere oportuisset. arbitrorum enim genera sun duo. unum eiusmodi, ut sive aequum sit sive iniquum parere debeamus, quod observatur, cum ex compromiss ad arbitrum itum est, alterum eiusmodi, ut ad boni vir arbitrium redigi debeat, etsi nominatim persona sit com prehensa, cuius arbitratu fiat. | in proposita autem quae stione arbitrium viri boni existimo sequendum esse [e magis quod iudicium pro socio bonae fidei est?]. | qui enim si Nerva constituisset, ut alter ex millesima part alter ex duo millesimis partibus socius esset? illu potest conveniens esse viri boni arbitrio, ut non utiqu ex aequis partibus socii simus, veluti si alter plus opera industriae gratiae pecuniae in societatem collaturus era*

cf. D. 17, 2, 6 Pomponius libro nono ad Sabinun (P. 532). Si societatem mecum coieris ea condicione ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitriun ea res redigenda est . et conveniens est viri boni arbitrio ut non utique ex aequis partibus socii simus, veluti s alter plus operae industriae pecuniae in societatem colla turus sit.

De iure dotium.

16. D. 50, 16, 125. Idem (sc. Proculus) libro quint Epistularum. — Nepos Proculo suo salutem. Ab e qui ita dotem *dixit*[1]: 'cum commodum erit, dotis filia meae tibi erunt HSC', putasne protinus nuptiis fact

1 *Trib.* promisit.

dotem peti posse? quid si ita *dixisset*[1]: 'cum potuero, doti erunt'? quod si aliquam vim habeat posterior obligatio, 'possit' verbum quomodo interpretaris, utrum aere alieno deducto an extante?

Proculus: *cum dotem quis ita dixit*[2]: *'cum potuero, doti tibi erunt centum', existimo ad id quod actum est interpretationem redigendam esse; nam qui ambigue loquitur, id loquitur, quod ex his quae significantur sensit. propius est tamen, ut hoc eum sensisse existimem '⟨cum⟩ deducto aere alieno potero'. potest etiam illa accipi significatio 'cum salva dignitate mea potero', quae interpretatio eo magis accipienda est, si ita dictum*[3] *est 'cum commodum erit', hoc est 'cum sine incommodo meo potero'.*

17. D.46,3,82. Proculus libro quinto Epistularum. — Si, cum Cornelius fundum suum nomine Seiae viro eius doti dedisset nec de eo reddendo quicquam cavisset, fecit, ut inter se vir et Seia pacisceerentur, ut divortio facto is fundus Cornelio redderetur, *non puto divortio facto virum vetante Seia eum fundum Cornelio tuto redditurum esse, sicuti si, cum pactum conventum nullum intercessisset, divortio facto mulier iussit eum fundum Cornelio reddi, deinde antequam redderetur, vetuisset, non tuto redderetur. sed si antequam Seia vetaret, Cornelio eum fundum reddidisset nec causam habuisset existimandi id invita Seia facturum esse, nec melius nec aequius esse existimarem eum fundum Seiae reddi.*

18. D.23,3,82. Proculus libro quinto Epistularum. — Cum uxor virum suum quam pecuniam sibi deberet in dotem filiae communis dare iusserit et ⟨is⟩ id fecisse dicatur, *puto animadvertendum esse, utrum eam dotem suo an uxoris nomine dedit: si suo, nihilo minus uxori eum debere pecuniam, si uxoris nomine dederit, ipsum ab uxore liberatum esse.*

19. D.24,3,60. Proculus libro quinto Epistularum.

1 *Trib.* promisisset.
2 *Trib.* promisit.
3 *Trib.* promissum est.

— Si filia familias nupta decesserit et pater fı fecerit, tametsi ei dotem *annua bima trima die*[1] reddere deberet, tamen continuo socer agendo quetur, ut impensam funeris praesentem recipiat, dotis statuto tempore solvantur.

De possessione.

20. D.41,2,27. Proculus libro quinto Epistu — Si is, qui animo possessionem saltus retineret, coepisset, non potest, dum fureret, eius saltu sessionem amittere, quia furiosus non potest de animo possidere.

21. D.2,14,36. Proculus libro quinto Epistu — Si cum fundum meum possides, convenisse tecum, ut eius possessionem Attio traderes, vindic eum fundum a te non aliter me conventionis exce excludi debere, quam si aut iam tradidisses, tua causa id inter nos convenisset et per te non quo minus traderes.

De aqua.

22. D. 8, 5, 13. Proculus libro quinto Epistu — Fistulas, quibus aquam duco, in via publica et hae ruptae inundant parietem tuum: *puto p mecum recte agere ius mihi non esse flumina ex tuum parietem fluere.*

Liber VI.

De legatis.

23. D. 31, 47. Idem (sc. Proculus) libro Epistularum. — Sempronius Nepos Proculo salutem. Binae tabulae testamenti eodem te exemplarii causa scriptae, ut volgo fieri solet, ei patris familias proferuntur; in alteris centum, in

1 *Trib.* post aliquod tempus.
2 *Fl.* Sempronius Proculus Nepoti, *quam lectionem E I, 690 non recte tuetur.*

quinquaginta *sestertiorum milia*[1] legata sunt Titio. quaer*o*[2], utrum et quinquaginta *sestertiorum milia*[3] an centum dumtaxat habiturus sit.[4]

Proculus respondit: *in hoc casu magis heredi parcendum est, ideoque utrumque legatum nullo modo debetur, sed tantummodo sestertiorum milia.*

De mancipatione et emptione venditione.

24. D. 50, 16, 126. Idem (sc. Proculus) libro sexto Epistularum. — Si, cum fundum tibi *mancipio* darem, legem ita dixi 'uti optimus maximusque esset' et adieci 'ius fundi deterius factum non esse per dominum praestabitur', *amplius eo praestabitur nihil, etiamsi prior pars, qua scriptum est 'ut optimus maximusque sit' liberum esse significat eoque, si posterior pars adiecta non esset, liberum praestare deberem. tamen inferiore parte satis me liberatum puto, quod ad iura attinet, ne quid aliud praestare debeam, quam ius fundi per dominum deterius factum non esse.*

25. D. 18, 1, 68 pr. §§ 1. 2. Proculus libro sexto Epistularum.

1. Si, cum fundum venderes, in lege dixisses, quod mercedis nomine a conductore exegisses, id emptori accessurum esse, *existimo te in exigendo non solum bonam fidem, sed etiam diligentiam praestare debere* [id est non solum ut a te dolus malus absit, sed etiam ut culpa].

2. *Fere nequiquam*[5] *solent haec verba adicere: 'dolus malus a venditore aberit', qui etiam si adiectum non est, abesse debet.*

1 *Trib.* quinquaginta aurei.
2 *Fl.* quaeris.
3 *Trib.* quinquaginta aureos.
4 *Mommsen sic legendum putat:* quaeritur, utrum centum et quinquaginta aureos an quinquaginta dumtaxat . *Lenelium sequi malui.*
5 *F.* aliqui.

3. *Nec videtur abesse, si per eum factum est aut fiet, quo minus fundum emptor possideat. erit ergo ex empto actio, [non] ut venditor vacuam possessionem tradat*[, cum multis modis accidere poterit, ne tradere possit, sed ut, si quid dolo malo fecit aut facit, dolus malus eius aestimaretur].

cf. Eisele Z. d. Sav.-St. XI p. 7. Pernice II² 178.

Liber VII.

De libertate relicta.

26. D. 12, 6, 53. Proculus libro septimo Epistularum. — Dominus testamento servo suo libertatem dedit, si decem det. servo ignorante id testamentum non valere data sunt mihi decem. quaeritur, quis repetere potest.

Proculus respondit: *si ipse servus peculiares nummos dedit, cum ei a domino id permissum non esset, manent nummi domini eosque non per condictionem, sed in rem actione petere debet. si autem alius rogatu servi suos nummos dedit, facti sunt mei eosque dominus servi, cuius nomine dati sunt, per condictionem petere potest. [sed tam benignius quam utilius est, recta via ipsum qui nummos dedit suum recipere.]*

Extremum comma Pernice spurium existimat.

De iure dotium.

27. D. 23, 3, 67. Proculus libro septimo Epistularum. — *Proculus Nepoti suo salutem. Ancilla quae nupsit dotisque nomine pecuniam viro tradidit, sive sciat se ancillam esse sive ignoret, non poterit eam pecuniam viri facere eaque nihilo minus mansit eius cuius fuerat, antequam eo nomine viro traderetur* [nisi forte usucapta est]. *nec postea, quod*[1] *apud eundem virum libera facta est, eius pecuniae causam mutare potuit. itaque nec*

1 *F.* quam.

facto quidem divortio aut dotis iure aut per condictionem repetere recte potest, sed is cuius pecunia est recte vindicat eam. [quod si vir eam pecuniam pro suo possidendo usucepit, scilicet quia existimavit mulierem liberam esse, propius est, ut existimem eum lucrifecisse, utique si, antequam matrimonium esse inciperet, usucepit]. *et in eadem opinione sum, si quid ex ea pecunia paravit, antequam ea dos fieret, ita, ut nec possideat eam nec dolo fecerit, quo minus eam possideret.*

Pernice II² 392 n. 1 et 398 sqq.

Gai. 1, 85 legem quandam, cuius nomen periit, affert, qua de eo cavetur, qui 'cum aliena ancilla quam credebat liberam esse coierit'.

De verborum obligatione.

28. D. 46, 3, 84. Proculus libro septimo Epistularum. — Egisti de peculio servi nomine cum domino: non esse liberatos fideiussores eius respondit. at si idem servus ex peculio suo permissa administratione peculii nummos solvisset, liberatos esse fideiussores eius recte legisti.

Liber VIII.

De legatis.

29. D. 31, 48. Idem (sc. Proculus) libro octavo Epistularum. — Licinnius Lucusta Proculo suo salutem. Cum ⟨quis⟩ faciat condicionem in releganda dote, ut, si mallet uxor mancipia quae in dotem dederit quam pecuniam numeratam, reciperet: si ea mancipia uxor malit, numquid etiam ea mancipia, quae postea ex his mancipiis nata sunt, uxori debeantur, quaero.

Proculus Lucustae suo salutem. Si uxor mallet mancipia quam dotem accipere, ipsa mancipia, quae aestimata in dotem dedit, non etiam partus mancipiorum ei debebuntur.

30. Ibid. § 1. — *Bonorum possessione dementis curatori data legata a curatore, qui furiosum defendit,*

peti poterunt; sed qui petent, cavere debebunt, si heredit evicta fuerit, quod legatorum nomine datum sit redditu ir

De his qui alieni iuris sunt.

31. D. 1, 7, 44. Proculus libro octavo Epistularum — Si is, qui nepotem ex filio habet, in nepotis loc aliquem adoptavit, *non puto mortuo avo iura con sanguinitatis inter nepotes futura esse. sed si sic adop tavit, uti tam iure lege nepos suus esset, quam si*[1] *e Lucio puta filio suo et ex matre familias eius natu esset, contra puto.*

Gell. 5, 19, 9. Eius rogationis verba haec sunt velitis iubeatis, ut L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias eius natus esset et q. s.

De adquirendo rerum dominio.

32. D. 41, 1, 56 pr. § 1. Idem (sc. Proculus) libro octavo Epistularum.

1. Insula est enata in flumine contra frontem agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem praedii mei; postea aucta est paulatim et processit contra frontes et superioris vicini et inferioris. quaero, quod adcrevit utrum meum sit, quoniam meo adiunctum est, an eius iuris sit, cuius esset, si initio ea nata eius longitudinis fuisset.

Proculus respondit: *flumen istud, in quo insulam contra frontem agri tui enatam esse scripsisti ita, ut non excederet longitudinem agri tui, si alluvionis* ⟨*is*⟩ *ius habet et insula initio propior fundo tuo fuit quam eius, qui trans flumen habebat, tota tua facta est, et quod postea ei insulae alluvione accessit, id tuum est, etiamsi ita accessit, ut procederet insula contra frontes vicinorum superioris atque inferioris, vel etiam ut propior esset fundo eius, qui trans flumen habet.*

1 *F.* ut etiam iure legis . . . esset quasi.

2. Item quaero, si, cum propior ripae meae enata est insula et postea totum flumen fluere inter me et insulam coepit relicto suo alveo, quo maior amnis fluerat, numquid dubites, quin etiam insula mea maneat et nihilo minus eius soli, quod flumen reliquit, pars fiat mea? rogo, quid sentias scribas mihi.

Proculus respondit: *si, cum propior fundo tuo initio fuisset insula, flumen relicto alveo maiore, qui inter eam insulam fuerat et eum fundum vicini, qui trans flumen erat, fluere coepit inter eam insulam et fundum tuum, nihilo minus insula tua manet. set alveus, qui fuit inter eam insulam et fundum vicini, medius dividi debet, ita ut pars propior insulae tuae tua, pars autem propior agro vicini eius esse intellegatur. intellego, ut et cum ex altera parte insulae alveus fluminis exaruerit, desisse insulam esse, sed quo facilius res intellegeretur, agrum, qui insula fuerat, insulam appellavi.*[1]

De postliminio.

33. D. 49, 15, 7 pr. §§ 1. 2. Proculus libro octavo Epistularum.

1. *Non dubito, quamvis*[2] *foederati et liberi nobis externi sint, nec inter nos atque eos postliminium esse. etenim quid inter nos atque eos postliminio opus est, cum et illi apud nos et libertatem suam et dominium rerum suarum aeque atque apud se retineant et eadem nobis apud eos contingant?*

2. *Liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subiectus, is*[3] *foederatus est item, sive aequo foedere in amicitiam venit sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservaret. hoc enim adicitur, ut intellegatur alterum populum superiorem esse, non ut intellegatur alterum non esse liberum; et quemadmodum clientes*

1 *F.* appellant.
2 *F.* quin.
3 *F.* sive is.

nostros intellegimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate neque dignitate neque viribus nobis pares sunt[1], *sic eos, qui maiestatem nostram comiter conservare debent, liberos esse intellegendum est.*

3. *At fiunt apud nos rei ex civitatibus foederatis et in eos damnatos animadvertimus.*

Proculus respicit fortasse ad senatusconsultum Pomponio et Rufo coss. (a. 17) factum, quo cavetur, ut mathematicis Chaldaeis ariolis et ceteris, qui simile inceptum fecerunt, aqua et igni interdicatur omniaque bona eorum publicentur, et si externarum gentium quis id fecerit, ut in eum animadvertatur. Collat. 15, 2, 1. cf. Sueton. Tib. 36 'Externas caerimonias . . . compescuit'.

Liber IX.

Fragmenta nulla tradita sunt.

Liber X.

Fragmenta item nulla tradita sunt.

Liber XI.

De emptione venditione.

34. D. 18, 1, 69. Idem (sc. Proculus) libro undecimo Epistularum. — Rutilia Polla emit lacum Sabatenem Angularium et circa eum lacum pedes decem. quaero, numquid et decem pedes, qui tunc accesserunt, sub aqua sint, quia lacus crevit, an proximi pedes decem ab aqua Rutiliae Pollae iuris sint.

Proculus respondit: *ego existimo eatenus lacum, quem emit Rutilia Polla, venisse, quatenus tunc fuit, et circa eum decem pedes qui tunc fuerunt, nec ob eam rem, quod lacus postea crevit, latius eum possidere debet quam emit.*

Cf. D. 41, 1, 12 Callist. 'Lacus et stagna licet inter-

1 *F.* viri boni nobis praesunt. *em. Haloander.*

dum crescant, interdum exarescant, suos tamen terminos retinent ideoque in his ius alluvionis non adgnoscitur'.

De iure dotium.

35. D. 23, 4, 17. Proculus libro undecimo Epistularum. — Atilicinus Proculo suo salutem. Cum inter virum et uxorem pactum conventum ante nuptias factum sit, ut quibus diebus dos data esset, isdem divortio facto redderetur, post quinquennium quam nuptiae factae sunt uxor viro dotem dedit. divortio facto quaero, utrum quinquennii die vir uxori dotem redderet an statuto legibus tempore.

Proculus respondit: *quod ad diem reddendae dotis attinet, pacto existimo meliorem condicionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse. itaque si cautum est, ut propiore tempore, quam legibus constitutum est, reddatur, stari eo debere, si ut longiore, nec valere id pactum conventum. cuius sententiae conveniens est dicere, si pacto convento cautum est, ut quanto serius quaeque res*[1] *post nuptias data fuerit, tanto post divortium reddatur, si propiore, quam in reddenda dote constitutum est data sit, valere pactum conventum, si longiore, non valere.*

36. D. 19, 5, 12. Proculus libro undecimo Epistularum. — Si vir uxori suae fundos vendidit et in venditione comprehensum est convenisse inter eos, si ea nupta ei esse desisset, ut eos fundos, si ipse vellet, eodem pretio mulier transcriberet viro, *in factum existimo iudicium esse reddendum idque et in aliis personis observandum.*

Incertorum librorum fragmenta.

Quae subieci fragmenta iisdem fortasse libris attribuenda sunt.

De testamentis.

37. D. 50, 16, 116. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — 'Quisquis mihi alius filii filiusve

1 *Fl.* et.

heres sit': Labeo non videri filiam contineri, Proculus contra.

38. D. 28, 5, 11. Iavolenus libro septimo Epistularum. — 'Attius fundi Corneliani heres esto mihi, duo Titii illius insulae heredes sunto'. habebunt duo Titii semissem, Attius semissem idque Proculo placet.

III. Notae ad Labeonem.

Proculum ad Labeonem notas scripsisse cum diserte tradunt et Gaius (D. 35, 1, 68 'apud Labeonem Proculus notat') et Ulpianus secundum Celsum (D. 3, 5, 9, 1 'Labeo probat. sed et Celsus refert, Proculus apud eum notat') tum eo comprobatur, quod pluribus Pomponii, Gai, Pauli, Ulpiani locis Labeo et Proculus inter se opponuntur, in primis his: D. 12, 4, 15 Pomp. 'Labeo ait . . . sed Proculus . . . ait'. D. 41, 1, 28 Pomp. 'Labeo et Sabinus aiunt; sed Proculus'. Gai. 3, 140 'Labeo negavit . . . at Ofilius . . ., cuius opinionem Proculus secutus est'. Vat. fr. 1 Paul. 'Labeo quidem putabat . . Proculus et Celsus'. Vat. fr. 71 Ulp. '— apud Labeonem agitat pertinere, quamvis Proculus non —'.

Laudantur autem diserte nonnunquam Labeonis libri posteriores, ad quos Proculus notas adiecerit: D. 17, 2, 65, 5 Paul. 'Labeo . . posteriorum libris scripsit . . . Proculus hoc ita verum esse ait, si'. D. 7, 8, 2, 1. 4 pr. Ulp. 'apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum, et ait Labeo . . . Proculus autem . . . notat'. D. 29, 2, 60 Iavolenus ex post. Labeonis. 'Labeo ait . . . Paulus: et Proculus Labeonis sententiam improbat'. D. 33, 9, 3, 2 Ulp. 'Labeo libro nono posteriorum scribit . . . sed Proculus . . . scribit'. accedit quod D. 33, 6, 15, 16 haec leguntur: 'Proculus libro secundo Epistularum'. 'Idem libro tertio ex po[illegible]ribus Labeonis', ita ut Proculus aeque atque Iavole[illegible]abeonis libros videri possit epitomasse. at inde e[illegible]ii aetate viri docti 'Idem' pro 'Iavolenus' [illegible] esse statuunt: 'das fol[illegible]

aus dem Fehlen einer derartigen Schrift im Index auct., sondern auch aus der Stellung der Fragmente am Schlufs des Titels'. Krueger p. 154 n. 48. Lenel vero ait (P. II col. 166 n. 2): 'Cum .. Proculum Labeonis libros adnotasse ex multis fragmentis constet, inscriptionem equidem mutare non ausim' nec dubitavit alia fragmenta (P. 35—43) iisdem Proculi libris adscribere.

At quod Proculus Labeonis libros adnotavit, inde minime efficitur eundem 'ex posterioribus Labeonis' novos libros fecisse in hisque, id quod Iavolenum fecisse II, 1, p. 168 vidimus, Labeonis sententias vel probasse vel improbasse. immo mihi videtur Proculus potius ad Labeonis quaedam capita ex universis eius libris selecta notas composuisse ac tamquam novum opus et quasi quoddam corollarium operum Labeonis quae tunc in plurimorum iuris studiosorum usu erant, edidisse. itaque cum fragmentum illud Iavoleno attribuam, Proculi notas non per certos Labeonis libros, sed rerum iis tractatarum ratione habita distribuere visum est.

Qui illa aetate Labeonis sententias examinaturus erat, cum eum Sabini sententias neglegere non potuisse appareat, nulla ratio est, cur fragmenta illa, in quibus Proculus Sabinum laudat, illis eius notis non attribuamus. afferuntur autem eiusmodi Proculi notae non raro in libris ad Sabinum.

Fragmenta secundum ordinem Sabinianum proposui.

De testamentis.

1. D. 29, 2, 62pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Antistius Labeo ait, si ita institutus sit 'si iuraverit, heres esto', quamvis iura-[illegible]rit, non tamen eum statim heredem futurum, ante-[illegible] aliqui[illegible] [illegible]erit, quia iurando volun-[illegible] [illegible]ideatur. ego puto satis [illegible] heres iuraverit; Pro-

2. D. 29, 2, 60. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Filium emancipatum pater solum heredem instituit et, si is heres non esset, servum liberum et heredem esse iusserat. filius, tamquam pater demens fuisset, bonorum possessionem ab intestato petiit et ita hereditatem possedit. Labeo ait, si probaretur sana mente pater testamentum fecisse, filium ex testamento patri heredem esse. hoc falsum puto; nam filius emancipatus cum hereditatem testamento datam ad se pertinere noluit, continuo ea ad substitutum heredem transit nec potest videri pro herede gessisse, qui, ut hereditatem omitteret, ex alia parte edicti possessionem bonorum petat. Paulus: et Proculus Labeonis sententiam improbat et in Iavoleni sententia est.

De legatis.

3. D. 31, 49, 3. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 949). — Labeo refert agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse Trebatium respondisse . . . sed Proculus ait, si quis heredem suum eum fundum, cuius commercium is heres non habeat, dare iusserat ei, qui eius commercium habeat, heredem[1] obligatum esse . . . [vel in ipsam rem, si haec in bonis testatoris fuerit, vel si non est, in eius aestimationem].

4. D. 33, 9, 3 pr. §§ 1. 2. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — . . Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis, penu legata contineri, quae esui potuique sunt. idem Sabinus libris ad Vitellium scribit . . . sed Aristo notat etiam quae esui potuique non sunt contineri legato, ut puta ea, in quibus esse solemus, oleum forte, garum muriam mel ceteraque his similia. plane inquit, si penus esculenta legetur, Labeo libro nono posteriorum scribit nihil

1 *Fl.* putat heredem.

eorum cedere, quia non haec esse, sed per ea solemus. Trebatius in melle contra scribit, .. quia mel esse solemus. sed Proculus omnia haec contineri .. scribit, nisi contraria mens testatoris appareat.

5. D. 32, 100, 2. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — 'Uxori meae vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum argentum quod eius causa factum paratumque esset omne do lego'. Trebatius haec verba 'quod eius causa factum paratumque est', ad aurum et argentum dumtaxat referri putat, Proculus ad omnia...

6. Ibid. § 3. — Cui Corinthia vasa legata essent, *aeneas* βάσεις[1] quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, *nisi aeneas*[2] βάσεις testator numero vasorum habuit. Proculus vero .. ait, si aeneae quidem sint, non autem Corinthiae, non deberi.

7. D. 7, 8, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2577[b]). — Praeter habitationem quam habet, cui usus datus est, deambulandi quoque et gestandi ius habebit. Sabinus et Cassius et lignis ad usum cottidianum et horto et pomis et holeribus et floribus et aqua usurum (sc. eum cui fundi usus legatus est), non usque ad compendium, sed ad usum, scilicet non usque ad abusum. idem Nerva, et adicit stramentis et sarmentis etiam usurum, sed neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum. sed Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius etiam ex his quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi suisque sufficiat sumpturum et ex his quae Nerva negavit.

8. D. 35, 1, 40, 5. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Thermus minor quorum arbitratu monumentum sibi fieri vellet testa-

1 *Fl.* ἐνβάσεις.
2 *Fl.* si eas.

mento scribserat, deinde ita legaverat: 'Lucio Publio Corneliis ad monumentum meum aedificandum mille heres meus dato'. Trebatius respondit pro eo habendum ac si ita legatum esset, si satisdedissent se ita id monumentum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatii sententiam probat, quia haec mens testantis fuisset, ut ea pecunia in monumentum consumeretur. idem et ego et Proculus probamus.

9. D. 35, 1, 69. Gaius libro tertio decimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 469). — Si ita expressum erit: 'Titio, si voluerit, do lego', apud Labeonem Proculus notat non aliter ad heredem legatarii pertinere, quam si ipse legatarius voluerit ad se pertinere, quia condicio personae iniuncta videtur.

10. Vat. fr. 71 (Ulp. lib. XVII ad Sabinum P. 2559[b]). — Apud Labeonem agitat — pertinere, quamvis Proculus non ——

De emptione venditione.

11. Gai. 3, 140. — Pretium . . certum esse debet; nam alioquin si ita inter nos convenerit, ut quanti Titius rem aestimaverit, tanti sit empta, Labeo negavit ullam vim hoc negotium habere; cuius opinionem Cassius probat. Ofilius et eam emptionem et venditionem; cuius opinionem Proculus secutus est.

De negotiis gestis.

12. D. 3, 5, 9, 1. Ulpianus libro decimo ad edictum (P. 354). — Is . . qui negotiorum gestorum agit non solum si effectum habuit negotium quod gessit, actione ista utetur, sed sufficit, si utiliter gessit, etsi effectum non habuit negotium . et ideo si insulam fulsit vel servum aegrum curavit, etiamsi insula exusta est vel servus obiit, aget negotiorum gestorum, idque et Labeo probat. sed ut Celsus refert, Proculus apud eum notat non semper debere dari. quid enim si

eam insulam fulsit, quam dominus quasi impar sumptui dereliquerit vel quam sibi necessariam non putavit? *oneravit*, inquit, *dominum secundum Labeonis sententiam, cum unicuique liceat et damni infecti nomine rem derelinquere.*

Sententiam hic proposui, cum locum magis idoneum nesciam.

13. D. 3, 5, 10. Pomponius libro vicensimo primo ad Quintum Mucium (P. 278). — Si negotia absentis et ignorantis geras, et culpam et dolum praestare debes. sed Proculus interdum etiam casum praestare debere, veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, tu nomine eius geras, veluti venales novicios coemendo vel aliquam negotiationem ineundo. nam si quid damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur, lucrum vero absentem; quod si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum, absens pensare lucrum cum damno debet.

Fragmentum iisdem libris videtur attribuendum.

De societate.

14. D. 17, 2, 65, 5. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — Labeo .. posteriorum libris scripsit, si renuntiaverit societati unus ex sociis eo tempore, quo interfuit socii non dirimi societatem, committere eum in pro socio actione; nam si emimus mancipia inita societate, deinde renunties mihi eo tempore, quo vendere mancipia non expedit, hoc casu, quia deteriorem causam meam facis, teneri te pro socio iudicio. Proculus hoc ita verum esse ait, si societatis non intersit dirimi societatem; semper enim non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solet, sed quod societati expedit.

De nuptiis.

15. D. 1, 9, 7, 1. Ulpianus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 1977[b]). — . . Labeo scribit

etiam eum, qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse. sed eum, qui posteaquam pater eius de senatu motus est concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur non esse quasi senatoris filium.

De donatione inter virum et uxorem.

16. D. 24, 1, 64. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Vir mulieri divortio facto quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur; mulier reversa erat, deinde divortium fecit. Labeo: Trebatius inter Terentiam et Maecenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem, si simulata, contra. sed ... Proculus et Caecilius putant, tunc verum esse divortium et valere donationem [divortii causa factam], si aliae nuptiae insecutae sunt aut tam longo tempore vidua fuisset, ut dubium non foret alterum esse matrimonium; alias nec donationem ullius esse momenti futuram.

De tutelis.

17. Gai. 2, 231. — (Ante heredis institutionem inutiliter legatur, scilicet quia testamenta vim ex institutione heredis accipiunt .. pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari potest.) nostri praeceptores nec tutorem eo loco dari posse existimant; set Labeo et Proculus tutorem posse dari, quod nihil ex hereditate erogatur tutoris datione.

18. Vat. fr. 1 (P. 1782). — ⟨Qui a muliere⟩ sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit, vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse. itaque et veteres putant, et Sabinus et Cassius scribunt. Labeo quidem putabat, nec pro emptore eum possidere, sed pro possessore; Proculus et Celsus, pro emptore.

De lege Aquilia.

19. D. 9, 2, 29, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625[d]). — .. Labeo scribit, si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius et nautae funes praecidissent, nullo[1] alio modo nisi praecisis funibus explicare se potuit, nullam actionem dandam. idemque Labeo et Proculus et circa retia piscatorum, in quae navis piscatorum inciderat, aestimarunt. plane si culpa nautarum id factum esset, lege Aquilia agendum. sed ubi damni iniuria agitur ob retia, non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri aestimationem, cum incertum fuerit, an caperentur. [idemque et in venatoribus et in aucupibus probandum.]

De condictione.

20. D. 12, 4, 15. Pomponius libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 687). — Cum servus tuus in suspicionem furti Attio venisset, dedisti eum in quaestionem sub ea causa, ut, si id repertum in eo non esset, redderetur tibi. is eum tradidit praefecto vigilum quasi in facinore deprehensum. praefectus vigilum eum summo supplicio adfecit. ages cum Attio dare eum tibi oportere, quia et ante mortem dare tibi eum oportuerit. Labeo ait posse etiam ad exhibendum agi, quoniam fecerit quo minus exhiberet. sed Proculus dari oportere ita ait, si fecisses eius hominem [quo casu ad exhibendum agere te non posse?]; sed si tuus mansisset, etiam furti te acturum cum eo, quia re aliena ita sit usus, ut sciret se invito domino uti aut dominum si sciret prohibiturum esse.

Quae uncis inclusi additicia esse Pernice censet.

1 *Fl.* si nullo.

De adquirendo rerum dominio.

21. D. 41, 1, 28. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 781). — Si supra tuum parietem vicinus aedificaverit, proprium eius id quod aedificaverit fieri Labeo et Sabinus aiunt; sed Proculus tuum proprium, quemadmodum fieret, quod in solo tuo alius aedificasset.

22. D. 41, 1, 24. 26 pr. Paulus libro quarto decimo ad Sabinum (P. 1868). — In omnibus, quae ad eandem speciem reverti non possunt, dicendum est, si materia manente species dumtaxat forte mutata sit, veluti si meo aere statuam aut argento scyphum fecisses, me eorum dominum manere. | sed si meis tabulis navem fecisses, tuam navem esse, quia cupressus non maneret, sicuti nec lana vestimento facto, sed cupresseum aut laneum corpus fieret. Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Servio et Labeoni placuisset: in quibus propria qualitas [ex]spectaretur, si quid additum erit, toto cedit, ut statuae pes aut manus, scypho fundus aut ansa, lecto fulcrum, navi tabula, aedificio caementum.

Paulus addit: 'tota enim eius sunt, cuius ante fuerant'.

De aquae ductu.

23. D. 8, 3, 24. Pomponius libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 788). — Ex meo aquae ductu Labeo scribit cuilibet posse me vicino commodare; Proculus contra, ut ne in partem *mei*[1] fundi aliam, quam ad quam servitus adquisita sit, *duci*[2] ea possit.

IV. Incertae sedis fragmenta.

Reliqua fragmenta, prout quaeque magis ad ius civile aut ad ius honorarium pertinent, in duo genera distribui.

1 *Fl.* meam partem.
2 *Fl.* uti.

1. Ad ius civile.

Huius generis fragmenta ad Sabinianum ordinem collocavi, quo scholarum dissensus optime illustratur.

De testamentis.

Quemadmodum testamenta fiant.

1. D. 28, 5, 60, 2. Celsus libro sexto decimo Digestorum (P. 127). — 'Titius heres esto; Seius et Maevius heredes sunto'. . . . Proculo placet duos semisses esse, quorum alter coniunctim duobus datur.

2. D. 35, 1. 14. Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 521[b]). — 'Titius si statuas in municipio posuerit, heres esto'. si paratus est ponere, sed locus a municipibus ei non datur, Sabinus Proculus heredem eum fore et in legato idem iuris esse dicunt.

De filiis familias vel instituendis vel exheredandis.

3. Gai. 2, 123. — .. qui filium in potestate habet, curare debet ut eum vel heredem instituat vel nominatim exheredet; alioquin si eum silentio praeterierit, inutiliter testabitur ... sed diversae scholae auctores, si quidem filius mortis patris tempore vivat, sane impedimento eum esse scriptis heredibus et illum ab intestato heredem fieri confitentur; si vero ante mortem patris interceptus sit, posse ex testamento hereditatem adiri putant, nullo iam filio impedimento, quia scilicet existimant ⟨non⟩ statim ab initio inutiliter fieri testamentum filio praeterito.

4. D. 28, 2, 6 pr. Ulpianus libro tertio ad Sabinum (P. 2445). — .. est quaesitum an is, qui generare facile non possit, postumum heredem facere possit ... si castratus sit, Iulianus Proculi opinionem secutus non putat postumum heredem posse instituere.

De substitutionibus.

5? Gai. 2, 178. — .. Sabino quidem placuit, quamdiu cernere et eo modo heres fieri possit prior, etiamsi pro herede gesserit, non tamen admitti substitutum; cum vero cretio finita sit, tum pro herede gerente admitti substitutum. aliis vero placuit etiam superante cretione posse eum pro herede gerendo in partem substitutum admittere et amplius ad cretionem reverti non posse.

6. Gai. 2, 179 sq. — Liberis nostris inpuberibus quos in potestate habemus ... substituere possumus ..., ut etiamsi heredes nobis extiterint et adhuc inpuberes mortui fuerint, sit iis aliquis heres ... quam ob rem duo quodammodo sunt testamenta, aliud patris, aliud filii, tamquam si ipse filius sibi heredem instituisset ..

Proculi sententiam Gaium referre indicat D. 42, 5, 28, quo loco is qui Iavolenum consulit, ait: 'praeceptoribus tuis placet, unum esse testamentum'. cf. Gai verba sequentia 'aut certe unum est testamentum duarum hereditatum'.

De adquirenda vel omittenda hereditate.

7[a]. Gai. 2, 36. 37. — Testamento .. scriptus heres ante aditam quidem hereditatem in iure cedendo eam alii nihil agit; postea vero quam adierit si cedat, ea accidunt, quae proxime diximus de eo ad quem ab intestato legitimo iure pertinet hereditas, si post obligationem ⟨in⟩ iure cedat (sc. 'nihilo minus ipse heres permanet et ob id creditoribus tenebitur, debita vero pereunt eoque modo debitores hereditarii lucrum faciunt; corpora vero eius hereditatis proinde transeunt ad eum cui cessa est hereditas, ac si ei singula in iure cessa fuissent'). idem et de necessariis heredibus diversae scholae auctores existimant, quod nihil videtur interesse, utrum ⟨aliquis⟩ adeundo hereditatem fiat heres, an invitus existat.

7b. Id. 3, 87. — Suus .. et necessarius heres an aliquid agant in iure cedendo (sc. legitimam hereditatem) quaeritur ... diversae scholae auctores idem eos agere putant, quod ceteri post aditam hereditatem; nihil enim interest, utrum aliquis cernendo aut pro herede gerendo heres fiat, an iuris necessitate hereditati adstringatur.

De rupto vel irrito facto testamento.

8? Postumo qui voce non emissa decessisset, testamentum non ruptum fieri Proculus fortasse existimavit. cf. C. 6, 29, 3 pr. (supra II, 1 p. 426).

De hereditate liberti.

9. D. 35, 1, 43 pr. Paulus libro octavo ad Plautium. — Plautius: Rogatus est heres a liberto testatore, ut perceptis sibi decem totam hereditatem revenderet. postea patronus defuncti bonorum possessionem contra tabulas petierat et partem hereditatis, quae debebatur, abstulerat. Proculus Cassius fideicommissarium pro rata quod solvit repetere debere aiunt.

10. D. 37, 14, 17 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro undecimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 2023). — Divi fratres in haec verba rescripserunt: 'comperimus a peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas aviti liberti bonorum possessionem petere possit, si eum libertum pater patris, cum annorum viginti quinque esset, capitis accusasset, et Proculum ... in hac opinione fuisse, ut nepoti in huiusmodi causa non putaret dandam bonorum possessionem.'

11. D. ibid. § 1. — .. quaesitum est, si patroni filius capitis accusaverit libertum, an hoc noceat liberis ipsius. et Proculus .. in hac fuit opinione notam adspersam patroni filio liberis eius nocere.

cf. Responsa p. 106.

De legatis.

Legata quemadmodum relinquantur.

12. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum (P. 160). — Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huiusmodi controversiam: an legata quae posteaquam instituti mortem obierunt codicillis adscripta vel adempta sunt, a substitutis debeantur id est an perinde datio et ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat ac si testamento facta esset quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente.

Scaevola addit: 'ego . . ausim sententiam Proculi verissimam dicere. nullius enim momenti est legatum quod datum est ei, qui tempore codicillorum in rebus humanis non est, licet testamenti fuerit; esse enim debet cui detur, deinde sic quaeri, an datum consistat, ut non ante iuris ratio quam persona quaerenda sit. et in proposito igitur quod post obitum heredis codicillis legatum vel ademptum est, nullius momenti est, quia heres, ad quem sermonem conferat, in rebus humanis non est eaque ademptio et datio nunc vana efficietur.'

13. Gai. 2, 244. — An ei qui in potestate sit eius quem heredem instituimus, recte legemus quaeritur ... diversae scholae auctores nec sub condicione recte legari, quia quos in potestate habemus, eis non magis sub condicione quam pure debere possumus.

De legatorum generibus.

De legato per vindicationem.

14. Gai. 2, 195. — In eo solo dissentiunt prudentes, quod Sabinus quidem et Cassius ... quod ita legatum sit (sc. per vindicationem), statim post aditam hereditatem putant fieri legatarii, etiamsi ignoret sibi legatum esse, sed posteaquam scierit et ⟨spreverit⟩ legatum,

proinde esse atque si legatum non esset. Nerva vero et Proculus ... non aliter putant rem legatarii fieri, quam si voluerit eam ad se pertinere.

Gai. addit: 'sed hodie ex divi Pii Antonini constitutione hoc magis iure uti videmur quod Proculo placuit; nam' et q. s.

De legato per damnationem.

15. D. 30, 12, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 420). — Proculus ait, si quis servos quos Gadibus haberet eo testamento, quod Romae moriens fecerit, triduo quo mortuus fuerit heredem dare mihi damnaverit, ratum esse legatum et angustias temporis nihil legato nocere.

cf. D. 28, 7, 6 Ulp. ad Sab.

De legato per praeceptionem.

16. Gai. 2, 221. — .. diversae scholae auctores putant etiam extraneo per praeceptionem legari posse proinde ac si ita scribatur: 'Titius hominem Stichum capito', supervacua adiecta 'prae' syllaba; ideoque per vindicationem eam rem legatam videri.

De bonorum parte legata.

17[a]. D. 28, 5, 9, 3. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2460[c]). — .. si maiorem (sc. partem) adscripserit testamentarius vel, quod difficilius est probatione, ipse testator, ut pro quadrante semissem, Proculus putat ex quadrante fore heredem, quoniam inest quadrans in semisse.

17[b]. D. 30, 15 pr. Paulus libro tertio ad Sabinum (P. 1638). — Qui quartam partem bonorum legare voluit, dimidiam scripsit. Proculus .. ait posse defendi quartam legatam, quia inesset dimidiae.

18. D. 30, 26, 2. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 448). — Cum bonorum parte legata dubium

sit, utrum rerum partes an aestimatio debeatur, ... Proculus et Nerva rerum partes esse legatas existimaverunt.

De legato uxori relicto.

19. D. 32, 49, 6. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2638). — .. ut legatum (sc. quod uxori relictum est) valeat, mortis tempore uxorem esse debere Proculus scripsit ... [separatio enim dissolvit legatum].

20. D. 34, 2, 3. Celsus libro nono decimo Digestorum (P. 169). — Uxori legavit quae eius causa parata sunt, et ante mortem divortit. non deberi, quia adempta videantur, Proculus ait.

De iis quae sub condicione relicta sunt.

21. D. 35, 1, 58. Idem (sc. Pomponius) libro decimo ex Variis Lectionibus (P. 830). — Si ancillae alienae, cum ea nubsisset, legatum sit, Proculus ait utile legatum esse, quia possit manumissa nubere.

cf. Gai. 1, 19. Iusta .. causa manumissionis est veluti si quis ... ancillam matrimonii causa apud consilium manumittat.

22. Gai. 3, 98. — ... diversae scholae auctores nihilo minus legatum inutile existimant (sc. sub inpossibili condicione relictum) quam stipulationem.

Gai. addit: 'et sane vix idonea diversitatis ratio reddi potest.'

23. Gai. 2, 200. — Illud quaeritur, quod sub condicione per vindicationem legatum est, pendente condicione cuius esset ... diversae scholae auctores putant nullius interim eam rem esse, quod multo magis dicunt de eo quod pure legatum est, antequam legatarius admittat legatum.

Ad legem Falcidiam.

24. D. 35, 2, 1, 14. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam (P. 921°). — Si coheredis mei portio

exhausta sit mea integra, et illam vindicavero (sc. ut caducam), Cassius confundendas esse partes existimat, Proculus contra.

25. D. 35, 2, 45, 1. Paulus libro sexagensimo ad edictum (P. 724). — In his legatis, quae sub condicione relicta sunt, Proculus putabat, cum quaeritur de lege Falcidia, tantum esse in legato, quanti venire possunt; quod si est, et deductio sic potest fieri, ut tantum videatur deberi, quanti nomen venire potest.

De usufructu legato.

26. D. 7, 8, 10, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2576). — .. si sic relictus sit (sc. usus fructus) 'illi domus usu*m* fructu*m*[1] habitandi causa', utrum habitationem solam an vero et usum fructum habeat, videndum. et Proculus[2] et Neratius putant solam habitationem legatam.

27. D. 7, 1, 19 pr. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 469). — Proculus putat insula*e usum fructum*[3] posse ita legari, ut ei servitus imponatur, quae alteri insulae hereditariae debeatur, hoc modo: 'si ille heredi meo promiserit per se non fore, quo altius ea aedificia tollantur, tum ei eorum aedificiorum usum fructum do lego' vel sic: 'aedium illarum, quoad altius, quam uti nunc sunt, aedificatae non erunt, illi usum fructum do lego.'

28. D. 7, 5, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2590^{b}). — Post quod (sc. senatus consultum) omnium rerum usus fructus legari poterit. an et nominum? Nerva negavit; sed ... Cassius et Proculus existimant, posse legari.

29. D. 7, 9, 7 pr. Ulpianus libro septuagensimo nono ad edictum (P. 1724). — Si usus fructus nomine re tradita satisdatum non fuerit, Proculus ait posse

1 *Fl.* usus fructus.
2 sic Stephanus ad Bas. 16, 8, 10, 'Priscus' libri nostri.
3 *Fl.* insulam. *secundum Graecos emendatum.*

heredem rem vindicare, et si obiciatur exceptio de re usus fructus nomine tradita, replicandum erit.

Cum Ulpianus addat: 'quae sententia habet rationem', extrema quoque verba Proculi esse apparet.

De usu legato.

30. D. 7, 8, 2, 1. 4 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575[a.b]). — An etiam inquilinum recipere possit (sc. cui domus usus relictus est), apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum. et ait Labeo eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere ... | ... Proculus autem de inquilino notat non belle inquilinum dici, qui cum eo habitet. [secundum haec et si pensionem percipiat, dum ipse quoque inhabitat, non erit ei invidendum.]

De argenti pondere relicto.

31. D. 34, 2, 19, 3. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2606). — .. Celsus libro nono decimo Quaestionum quaerit, si centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut sic appendantur. et Proculus et Celsus aiunt exempto plumbo appendi debere; nam et emptoribus replumbatae adsignantur et in rationes argenti pondus sic defertur.

De mobilibus legatis.

32. D. 32, 79, 1. Celsus libro nono ⟨decimo⟩ Digestorum (P. 160[b]). — His verbis: 'quae ibi mobilia mea erunt, do lego' nummos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos Proculus ait, at quos[1] praesidii causa repositos habet, ut quidam bellis civilibus factitassent, eos legato contineri. et audisse se rusticos senes ita dicentes pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium appellantes, quod praesidii causa seponeretur.

1 *Fl.* eos quos.

De manumissione.

33. Dosith. 10. — Communis servus ab uno ex sociis manumissus neque ad libertatem pervenit et alterius domini totus fit servus iure adcrescendi. sed inter amicos servus ab uno ex sociis manumissus utriusque domini servus manebit; ius enim adcrescendi in hac manumissione non servatur. quamvis Proculus existimaverit adcrescere eum socio.

De operis libertorum.

34. D. 38, 1, 20, 1. Paulus libro quadragensimo ad edictum (P. 573[b]). — Ex provincia libertum Romam venire debere ad reddendas operas ⟨et vice versa⟩ Proculus ait. sed qui dies interea cesserint, dum Romam venit · ⟨inve provinciam⟩, patrono perire, dummodo patronus tamquam vir bonus et diligens pater familias Romae moraretur vel in provinciam proficiscatur. ceterum si vagari per orbem terrarum velit, non esse iniungendam necessitatem liberto ubique eum sequi.

De mancipatione et emptione venditione.

35. Gai. 2, 15. — .. quod diximus ⟨ea animalia quae domari solent,⟩ mancipii esse, ⟨quomodo intellegendum sit, quaeritur, quia non statim ut nata sunt, domantur . . .⟩ . . . Nerva . . et Proculus . . . non aliter ea mancipii esse putant, quam si domita sunt; et si propter nimiam feritatem domari non possunt, tunc videri mancipii esse incipere, cum ad eam aetatem pervenerint, qua domari solent.

36. D. 18, 1, 1, 1. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 502). — .. an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur, veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus et Cassius esse emptionem et venditionem putant, Nerva[1] et Proculus permutationem, non emptionem hoc esse.

1 F[1]. neratius.

cf. Inst. 3, 23, 2. .. Proculi sententia dicentis permutationem propriam esse speciem contractus a venditione separatam ... Gai. 3, 141. diversae scholae auctores ... aliud .. esse existimant permutationem rerum, aliud emptionem et venditionem.

37. D. 18, 6, 8 pr. Idem (sc. Paulus) libro trigensimo tertio ad edictum (P. 513). — Necessario sciendum est, quando perfecta sit emptio; tunc enim sciemus, cuius periculum sit; nam perfecta emptione periculum ad emptorem respiciet. et si id quod venierit appareat quid quale quantum sit, sit et pretium, et pure venit, perfecta est emptio; quod si sub condicione res venierit, si quidem defecerit condicio, nulla est emptio, sicuti nec stipulatio; quod si exstiterit, Proculus et Octavenus emptoris esse periculum aiunt.

De fundo vendito.

38. D. 21, 2, 13. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1717[a]). — Bonitatis aestimationem faciendam, cum pars evincitur, Proculus .. putabat, quae fuisset venditionis tempore, non cum evinceretur.

39. D. 19, 2, 3. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 551). — Cum fundus locetur et aestimatum instrumentum colonus accipiat, Proculus ait id agi, ut instrumentum emptum habeat colonus, sicuti fieret, cum quid aestimatum in dotem daretur.

De mancipiis venditis.

40. D. 21, 2, 16, 2. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 599). — Si servus, cuius nomine duplam stipulati sumus, evictus fuerit a nobis, ob id quod fugitivus vel sanus non fuerit an agere nihilo minus possimus, quaeritur ⟨...⟩ Proculus videndum ait, ne hoc quoque intersit, utrum tum evictus sit cum ⟨si anno eum possedissem,⟩ meus factus non esset, an tum cum meus factus esset; in eo enim casu quo ⟨si anno eum possedissem,⟩ meus factus *esset,* statim

mea interest, quanto ob id deterior est, et quam actionem semel ex stipulatu habere coepi, eam nec evictione nec morte nec manumissione nec fuga servi nec ulla simili causa amitti; at si in bonis meis factus non sit, nihil ob ea pauperior[1] sim, utpote cum in bonis meis non sit. quod si sanum esse, erronem non esse stipulatus essem, tantum mea interesse, quantum ad praesentem usum pertineret, tametsi in obscuro esset, utpote ignorantibus nobis, quamdiu eum habiturus essem et an futurum esset, ut eum quisquam aut a me aut ab eo cui vendidissem cuive similiter promisissem evinceret. summam autem opinionis suae hanc esse, ut tantum ex ea stipulatione consequar, quanti mea intersit aut post stipulationem interfuerit eum servum fugitivum non esse.[2]

41. D. 42, 8, 25, 5. Venuleius libro sexto Interdictorum (P. 27[b]). — Proculus ait, si mulier post alienationem conceperit et antequam ageretur, pepererit, nullam esse dubitationem, quin partus restitui non debeat; si vero, cum alienaretur, praegnas fuerit, posse dici partum quoque restitui oportere.

De insula vendita.

42. D. 20, 4, 13. Paulus libro quinto ad Plautium. — Insulam tibi vendidi et dixi prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram pignorumque ab inquilino datorum ius utrumque secuturum. Nerva Proculus, nisi ad utramque pensionem pignora sufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinere, quia nihil aperte dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata servetur, si quid superesset, ad te.

1 *Fl.* ob ea quod fugitivus sit pauperior.

2 Lenel P. 399 notat: 'eum non esse' gloss.? an pro 'fugitivum non esse' ita fere scr.: 'fugitivum non esse sanum esse erronem non esse'?

De vinis emptis.

43. D. 18, 6, 6. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 550). — Si vina emerim exceptis acidis et mucidis et mihi expediat acida quoque accipere, Proculus ait, quamvis id emptoris causa exceptum sit, tamen acida et mucida non venisse; nam quae invitus emptor accipere non cogeretur, iniquum esse non permitti venditori ⟨vel consumere⟩ vel alii ea vendere.

De mandato emendi.

44. D. 17, 1, 3, 2 et 17, 1, 4. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 485) et Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum (P. 504). — (Si mandavi tibi, ut aliquam rem mihi emeres) . . si pretium statui tuque pluris emisti, quidam negaverunt te mandati habere actionem, etiamsi paratus esses id quod excedit remittere; namque iniquum est non esse mihi cum illo actionem, si nolit, illi vero, si velit, mecum esse. | sed Proculus recte eum usque ad pretium statutum acturum existimat.

Lenel 'recte' a Triboniano additum esse falso putat, cum vox non ad 'existimat', sed ad 'acturum' referenda sit.

Inst. 3, 26, 8. . . si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi, ut fundum emeres . . ., neque pluris emere debes . . ., alioquin non habebis . . mandati actionem, . . . diversae scholae auctores recte te usque ad centum aureos acturum existimant. cf. Gai. 3, 161. v. Sabinum II, 1 p. 574.

De societate.

45. D. 17, 2, 38, 1. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1734). — Si tecum societas mihi sit et res ex societate communes, quam impensam in eas fecero quosve fructus ex his rebus ceperis, vel pro socio vel communi dividundo me consecuturum et altera actione alteram tolli Proculus ait.

46. D. 17, 2, 67 pr. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 49[b]). — Si unus ex sociis rem communem vendiderit consensu sociorum, pretium dividi debet ita, ut ei caveatur indemnem eum futurum. quod si iam damnum passus est, hoc ei praestabitur. sed si pretium communicatum sit sine cautione et aliquid praestiterit is qui vendidit, an, si non omnes socii solvendo sint, quod a quibusdam servari non potest, a ceteris debeat ferre? et[1] Proculus putat hoc ad ceterorum onus pertinere quod ab aliquibus servari non potest, rationeque defendi posse, quoniam, societas cum contrahitur, tam lucri quam damni communio initur.

47. D. 2, 14, 27 pr. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127). — Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius Atilicinus Proculus, nec si in rem pactus sit, alteri nocere; tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit.

48. D. 17, 2, 65 pr. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — Proculus . . ait hoc ipso quod iudicium ideo dictatum est, ut societas distrahatur, renuntiatam societatem, sive totorum bonorum sive unius rei societas coita sit.

De communione.

49. D. 10, 2, 52 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 896). — Maevius, qui nos heredes fecit, rem communem habuit cum Attio: si cum Attio communi dividundo egissemus et nobis ea res adiudicata esset, venturam eam in familiae erciscundae iudicio Proculus ait.

50. D. 8, 2, 19 pr. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1738). — Fistulam iunctam parieti communi, quae aut ex castello aut ex caelo aquam capit, non iure

1 *Fl.* sed.

haberi Proculus ait. sed non posse prohiberi vicinum, quo minus balineum habeat secundum parietem communem, quamvis umorem capiat paries; non magis quam si vel in triclinio suo vel in cubiculo aquam effunderet.

De iure dotium.

51. D. 24, 3, 15, 2 et 17 pr. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1766). — Socero .., cum quo nurus de dote agit, idem honor habetur, ut in id damnetur quod facere potest. | ex diverso si socer ex promissione a marito conveniatur, solet quaeri, an idem ei honor habendus sit (sc. ut in id damnetur quod facere potest). Neratius libris Membranarum et Proculus scribunt hoc iustum esse.

52. Ibid. § 1. — Item si mulier ex promissione conveniatur, magis placuit defendendam eam per exceptionem. idem et Proculus ait [sicuti cum socia fuit, dabitur ei exceptio, quamvis iure civili sit obligata].

53. D. 45, 1, 21. Pomponius libro quinto decimo ad Sabinum (P. 620). — Si divortio facto ea, quae nihil in dote habeat, dotis nomine centum dari stipuletur, vel quae centum dumtaxat habeat, ducenta dotis nomine dari stipuletur, Proculus ait, si ducenta stipuletur quae centum habeat, sine dubio centum quidem in obligationem venire, alia autem centum actione *rei uxoriae*[1] deberi.

54. D. 24, 3, 10, 1. Idem (sc. Pomponius) libro quinto decimo ad Sabinum (P. 616). — Si vir uxorem suam occiderit, *rei uxoriae*[2] actionem heredibus uxoris dandam esse Proculus ait.

De donatione inter virum et uxorem.

55. D. 24, 1, 31, 7. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum (P. 601). — Quod legaturus mihi

1 *Trib.* dotis.
2 *Trib.* de dote.

aut hereditatis nomine relicturus es, potes rogatus a me uxori meae relinquere et non videtur ea esse donatio, quia nihil ex bonis meis deminuitur. in quo maxime maiores donanti succurrisse Proculus ait, ne amore alterius alter despoliaretur, non quasi malivolos[1], ne alter locupletior fieret.

56? Si filiae familias uxori maritus mortis causa tradet, donationem non valere, etsi vivo adhuc marito sui iuris fuerit effecta, Proculus fortasse existimavit. cf. D. 24, 1, 11, 3 (v. II, 1 p. 499).

57? Num quod is qui infirmae valetudinis est mortis causa donat, condictione repetere possit cum convaluerit, Proculus videtur dubitasse. cf. D. 39, 6, 35, 3 (v. supra p. 68).

De rerum amotarum iudicio.

58. D. 25, 2, 1. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1733). — Rerum amotarum iudicium singulare introductum est adversus eam quae uxor fuit, quia non placuit cum ea furti agere posse, quibusdam existimantibus ne quidem furtum eam facere, ... aliis, ut Sabino et Proculo, furt*um*[2] quidem eam facere, sicuti filia patri faciat, sed furti non esse actionem constituto iure.

cf. Nervam II, 1 p. 306, Cassium supra p. 57.

59. D. 25, 2, 3, 4. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1774). — Mela Fulcinius aiunt ... si pater adiuncta filia *rei uxoriae*[3] agat, non aliter ei dandam actionem, quam si filiam rerum amotarum iudicio in solidum et cum satisdatione defendat. sed mortua filia in patrem rerum amotarum actionem dari non oportere Proculus ait, nisi quatenus ex ea re pater locupletior sit.

1 Mommsen emendat 'malivolo', at v. Kuebler Z. d. Sav.-St. XI p. 47.
2 *Fl.* furto.
3 *Trib.* de dote.

De tutelis.

60. D. 26, 2, 33. Iavolenus libro octavo ex posterioribus Labeonis. — Tutoribus ita datis: 'Lucium Titium tutorem do . si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do', Titius vixerat et tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo contra. Proculus quod Labeo.

61. D. 26, 2, 10, 3. Ulpianus libro trigensimo sexto ad Sabinum (P. 2830). — Si furiosus testamento tutor detur, si quidem, cum furere desierit, tutorem esse recte datum Proculus existimat. quod si datus sit pure, negat Proculus valere dationem.

62. Ad possessionem alienandam pupillum tutoris auctoritate non indigere Proculus videtur existimasse. Marcianus enim D. 41, 1, 11 tradit: 'Pupillus quantum ad adquirendum non indiget tutoris auctoritate; alienare vero nullam rem potest nisi praesente tutore auctore, et ne quidem possessionem, quae est naturalis, ut Sabinianis visum est; quae sententia vera est'.

63. D. 16, 3, 32. Celsus libro undecimo Digestorum (P. 91). — Quod Nerva diceret latiorem culpam dolum esse, Proculo displicebat.

cf. D. 27, 5, 1 pr.

64[a]. Gai. 1, 196. — Masculi . . cum puberes esse coeperint, tutela liberantur . . . diversae scholae auctores annis putant pubertatem aestimandam, id est eum puberem esse existimant, <qui XIV annos explevit>.

64[b]. Ulp. 11, 28. — Liberantur tutela masculi . . pubertate. puberem autem . . . dicunt . . . Proculeiani . . eum, qui quattuordecim annos explevit.

De furtis.

65. D. 17, 1, 22, 7. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). — Si tibi centum dedero,

ut ea Titio dares, tuque non dederis, sed consumpseris, et mandati et furti teneri te Proculus ait; aut, si ita dederim, ut quae velles dares, mandati tantummodo.

De lege Aquilia.

66. D. 9, 2, 7, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[a]). — . . si quis alterius impulsu damnum dederit, Proculus scribit neque eum qui impulit teneri, quia non occidit, neque eum qui impulsus est, quia damnum iniuria non dedit. secundum quod in factum actio erit danda in eum qui impulit.

67. D. 9, 2, 11 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[c]). — . . Mela scribit, si, cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus eam deiecerit et sic servi, quem tonsor *rad*ebat[1], gula sit praecisa adiecto cultello, in quocumque eorum culpa sit, eum lege Aquilia teneri. Proculus in tonsore esse culpam.

68[a]. Collat. 12, 7, 8. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623[b]). — . . libro VI ex Vibiano relatum est: si furnum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria teneris? et ait ⟨Proculus⟩ agi non posse Aquilia lege, quia nec cum eo qui focum haberet. et ideo aequius putat in factum actionem dandam.

Sequuntur haec: 'sed non proponit exustum parietem. sane enim quaeri potest, ⟨si⟩ nondum mihi damnum dederis et ita ignem habeas, ut metuam ne mihi des, an aequum sit me interim actionem, id est in factum impetrare. fortassis enim de hoc senserit Proculus.'

68[b]. D. 9, 2, 27, 10. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum. — Si furnum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria tenearis? et ait Proculus agi non posse, quia nec cum eo qui focum haberet. et ideo aequius puto, in factum actionem dandam, scilicet si paries exustus sit.

1 *Fl.* habebat.

Quae sequuntur: 'sin autem nondum mihi damnum dederis, sed ita ignem habeas, ut metuam, ne mihi damnum des, damni infecti puto sufficere cautionem' non item a Proculo Ulpianus videtur desumpsisse.

69[a]. Collat. 12, 7, 9. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623[b]). — Proculus .. respondit, cum coloni servi villam exusserint, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus servos posset noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum.

69[b]. D. 9, 2, 27, 11. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum. — Proculus ait, cum coloni servi villam exussissent, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus possit servos noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum.

70. Collat. 12, 7, 10. Ulpianus l. l. — .. Celsus libro XXVII Digestorum scribit: si cum apes meae ad tuas advolassent, tu eas exusseris, quosdam negare competere legis Aquiliae actionem, inter quos et Proculum, quasi apes domini mei non fuerint. ... Proculus eo movetur, quod nec mansuetae nec ita clausae fuerint <...>.

D. 9, 2, 27, 12 haec tantum exhibet: 'Si cum apes meae ad tuas advolassent, tu eas exusseris, legis Aquiliae actionem competere Celsus ait'.

71. D. 9, 2, 29, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625[d]). — Si protectum meum, quod supra domum tuam nullo iure habebam, reccidisses, posse me tecum damni iniuria agere Proculus scribit; debuisti enim mecum ius mihi non esse protectum habere agere, nec esse aequum damnum me pati reccisis a te meis tignis.

72. D. 9, 2, 7, 8. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[a]). — Proculus ait, si medicus servum imperite secuerit, vel ex locato vel ex lege Aquilia competere actionem.

73. D. 9, 2, 29, 2. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 925[d]). — Si navis tua inpacta in meam scapham damnum mihi dedit, quaesitum est, quae actio mihi competeret. et ait Proculus, si in potestate nautarum fuit, ne id accideret, et culpa eorum factum sit, lege Aquilia cum nautis agendum, quia parvi refert navem immittendo aut serraculum ad navem ducendo an tua manu damnum dederis, quia omnibus his modis per te damno adficior; sed si fune rupto aut cum a nullo regeretur navis incurrisset, cum domino agendum non esse.

De iniuriis.

74. D. 47, 10, 11, 4. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1334). — Proculus .. ait, si in hoc te conduxerim, ut iniuriam facias, cum utroque nostrum iniuriarum agi posse, quia mea opera facta sit iniuria.

75. Ibid. 5. — Idemque ait .. si filio meo mandavero, ut tibi iniuriam faciat.

De noxali actione.

76. Gai. 4, 78. — .. si filius patri aut servus domino noxam commiserit, nulla actio nascitur; nulla enim omnino inter me et eum qui in potestate mea est, obligatio nasci potest. ideoque et si in alienam potestatem pervenerit aut sui iuris esse coeperit, neque cum ipso neque cum eo cuius nunc in potestate est, agi potest. unde quaeritur, si alienus servus filiusve noxam commiserit mihi, et is postea in mea esse coeperit potestate, utrum intercidat actio an quiescat ... diversae scholae auctores, quamdiu in mea potestate sit, quiescere actionem putant, quia ipse mecum agere non possum, cum vero exierit de mea potestate, tunc eam resuscitari.

77. Gai. 4, 79. — Cum .. filius familias ex noxali causa mancipio datur, diversae scholae auctores putant

ter eum mancipio dari debere, quia lege XII tabularum cautum sit, ⟨ne aliter filius de potestate patris⟩ exeat, quam si ter fuerit mancipatus.

De damno infecto.

78. D. 39, 2, 26. Ulpianus libro octogensimo primo ad edictum (P. 1754[b]). — Proculus ait, cum quis iure quid in suo faceret, quamvis promisisset damni infecti vicino, non tamen eum teneri ea stipulatione, veluti si iuxta mea aedificia habeas aedificia eaque iure tuo altius tollas, aut si in vicino tuo agro cuniculo vel fossa aquam meam avoces; quamvis enim et hic aquam mihi abducas et illic luminibus officias, tamen ex ea stipulatione actionem mihi non competere, [scilicet, quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur], multumque interesse, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur.

Pernice II² p. 49 n. 2.

79. D. 10, 3, 5. Ulpianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 897). — ('.. scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti simus et ante quam possidere iuberemur, ego insulam fulsero, sumptum istum communi dividundo iudicio consequi me non posse.' D. 10, 3, 4, 4). sed si res non defenderetur et ideo iussi sumus a praetore eas aedes possidere[1] et ex hoc dominium earum nancisceremur, respondit Proculus communi dividundo iudicio partem eius impensae me servaturum esse.

Fragmentum in Responsorum capite errore omissum est.

80. D. 39, 2, 32. Gaius libro vicensimo octavo ad edictum provinciale (P. 371). — .. si unas aedes communes tecum habui eaeque vitium faciant et circa refectionem earum cessare videaris, nostri praeceptores negant cavere te debere, quia ipse reficere possim re-

1 Lenel P. 897 ait: 'verisimile est Iulianum interdicti Quem fundum mentionem fecisse'.

cepturus pro parte, quod impenderim, iudicio societatis aut communi dividundo ... et est plane nostrorum praeceptorum haec sententia, ut credamus inutilem esse damni infecti stipulationem, quo casu damnum alia actione sarciri possit.

81? Damni infecti stipulationem eo quoque casu utilem esse, quo alia actione damnum sarciri possit, Proculus videtur existimasse. cf. D. 39, 2, 32 (v. II, 1 p. 578).

De condictione.

82. D. 12, 1, 11, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo sexto ad edictum (P. 769[b]). — Si tibi dedero decem sic, ut novem debeas, Proculus ait, ... non amplius te ipso iure debere quam novem. sed si dedero, ut undecim debeas, putat Proculus amplius quam decem condici non posse.

83. D. 12, 1, 9, 9. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 769[b]). — Deposui apud te decem, postea permisi tibi uti: Nerva Proculus etiam antequam moveantur, condicere quasi mutua tibi haec posse ⟨me⟩ aiunt.

84. D. 12, 4, 3, 3. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 772[b]). — Quid si ita dedi, ut intra certum tempus manumittas (sc. Stichum)? si nondum tempus praeteriit, inhibenda erit repetitio, nisi paeniteat; quod si praeteriit, condici poterit. sed si Stichus decesserit, an repeti quod datum est possit? Proculus ait, si post id temporis decesserit, quo manumitti potuit, repetitionem esse, si minus, cessare.

85. Ibid. § 4. — Quin immo et si nihil tibi dedi, ut manumitteres, placuerat tamen, ut darem, ultro tibi competere actionem, quae ex hoc contractu nascitur [id est condictionem?] defuncto quoque eo.

De verborum obligatione.

86. D. 45, 2, 12 pr. Venuleius libro secundo Stipulationum (P. 57). — Si ex duobus, qui promissuri

sint, hodie alter, alter postera die responderit, Proculus non esse duos reos ac ne obligatum quidem intellegi eum, qui postera die responderat[, cum actor ad alia negotia discesserit vel promissor, licet peractis illis rebus responderit].

Eisele Z. d. Sav.-St. XIII, 149.

87. D. 45, 1, 8. Paulus libro secundo ad Sabinum (P. 1625). — In illa stipulatione: 'si kalendis Stichum non dederis, decem dare spondes?' mortuo homine quaeritur, an statim ante kalendas agi possit. Sabinus Proculus exspectandum diem actori putant.

88. D. 45, 1, 112, 1. Idem (sc. Pomponius) libro quinto decimo ad Quintum Mucium (P. 271). — Si quis ita stipulatus fuerit: 'pro *HS͞C*[1] satis dabis?'[2]: Proculus ait semper in satisdationis stipulatione venire, quod interesset stipulantis, ut alias tota sors inesset, veluti si idoneus promissor non sit, alias minus, si in aliquid idoneus esset debitor, alias nihil, si tam locuples esset, ut nostra non intersit satis ab eo accipere, nisi quod plerumque idonei non tam patrimonio quam fide quoque aestimarentur.

89. D. 45, 1, 138 pr. Idem (sc. Venuleius) libro quarto Stipulationum (P. 60). — Eum, qui certarum nundinarum diebus dari stipuletur, primo ⟨tantum⟩ die petere posse Sabinus ait. Proculus autem et ceteri diversae scholae auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum spatio superesset, peti posse existimant.

90. D. 46, 3, 93, 3. Scaevola libro singulari Quaestionum publice tractatarum (P. 193). — (Si duo rei sint promittendi et alter alterum heredem scripsit, confunditur obligatio. sed si reus heredem fideiussorem scripserit, confunditur obligatio.) quid ..., si fideiussor reum heredem scripserit? confundetur obligatio secundum Sabini sententiam, licet Proculus dissentiat.

1 *Trib.* centum aureis.
2 *Trib.* dabis? et reum dederis in istam summam.

91. D. 45, 3, 28, 4. Gaius libro tertio de Verborum Obligationibus (P. 516). — Illud quaesitum est, an heredi futuro servus hereditarius stipulari possit. Proculus negavit, quia is eo tempore extraneus est.

cf. Cassium p. 25.

92. Gai. 3, 167[a]. — Illud quaeritur an quod domini nomen adiectum efficit (sc. si servus communis stipuletur mancipiove accipiat, ut domino illi soli adquirat), idem faciat unius ex dominis iussum intercedens ... diversae scholae auctores proinde utrisque adquiri putant, ac si nullius iussum intervenisset.

De novatione.

93. Gai. 3, 177. 178. — .. si eadem persona sit, a qua postea stipuler, ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit, forte si condicio aut dies aut sponsor adiciatur aut detrahatur. sed quod de sponsore diximus, non constat; nam diversae scholae auctoribus placuit nihil ad novationem proficere sponsoris adiectionem aut detractionem.

De solutione.

94. Gai. 3, 168. — Tollitur .. obligatio praecipue solutione eius quod debetur. unde quaeritur, si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso iure liberetur, ... an ipso iure maneat obligatus, sed adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat, quod diversae scholae auctoribus visum est.

De iudiciis privatis et in rem actionibus.

Ad legem Iuliam de iudiciis privatis?

95. D. 50, 16, 4. Paulus libro primo ad edictum (P. 94). — 'Nominis' appellatione rem significari Proculus ait.

D. 50, 16, 6 Ulp. 'Nominis' et 'rei' appellatio ad omnem contractum et obligationem pertinet. cf. Lenel Edict p. 45.

De in rem actionibus.

96. Gai. 4, 114. — Superest ut dispiciamus, si ante rem iudicatam is cum quo agitur, post acceptum iudicium satisfaciat actori, quid officio iudicis conveniat, utrum absolvere an ideo potius damnare, quia iudicii accipiendi tempore in ea causa fuerit, ut damnari debeat. nostri praeceptores absolvere eum debere existimant, nec interesse cuius generis sit iudicium. et hoc est, quod vulgo dicitur Sabino et Cassio placere omnia iudicia absolutoria esse. ⟨diversae scholae auctoribus de stricti iuris iudiciis contra placuit,⟩ de bonae fidei iudiciis autem idem sentiunt, quia in eius modi iudiciis liberum est officium iudicis. tantumdem et de in rem actionibus putant, quia ⟨formulae verb⟩is id ipsum exprimatur, ⟨ita demum reum condemnandum esse, nisi arbitratu iudicis rem restituerit.⟩

97. D. 5, 3, 11 pr. Ulpianus libro quinto decimo ad edictum (P. 509). — Pro herede possidet, qui putat se heredem esse. sed an et is, qui scit se heredem non esse, pro herede possideat, quaeritur. et Arrianus libro secundo de Interdictis putat teneri, quo iure nos uti Proculus scribit.

98. D. 6, 1, 27, 1. Idem (sc. Paulus) libro vicensimo primo ad edictum (P. 330). — Possidere .. aliquis debet utique et litis contestatae tempore et quo res iudicatur ... si litis contestatae tempore non possedit, quo autem iudicatur possidet, probanda est Proculi sententia, ut omnimodo condemnetur.

99. D. 6, 1, 27, 5. Idem (sc. Paulus) libro vicensimo primo ad edictum (P. 336). — In rem petitam si possessor ante litem contestatam sumptus fecit, per doli mali exceptionem ratio eorum haberi debet, si perseveret actor petere rem suam non redditis sumptibus. idem est etiam, si noxali iudicio servum defendit et damnatus praestitit pecuniam, aut in area quae fuit petitoris per errorem insulam aedificavit

[nisi tamen paratus sit petitor pati tollere eum aedificium. quod et in area uxori donata per iudicem, qui de dote cognoscit, faciendum dixerunt]. sed si puerum meum, cum possideres, erudisses, non idem observandum Proculus existimat, quia [neque] carere servo meo ⟨non⟩ debeam [nec potest remedium idem adhiberi, quod in area diximus].

cf. Pernice II[2], 383 f.

100. D. 22, 1, 19 pr. Gaius libro sexto ad legem duodecim tabularum (P. 440). — Videamus, an in omnibus rebus petitis in fructus quoque condemnatur possessor ... si usus fructus petitus sit, Proculus ait in fructus perceptos condemnari.

101. D. 5, 3, 40 pr. Paulus libro vicensimo ad edictum (P. 322). — Illud .. quod in oratione divi Hadriani est, ut post acceptum iudicium id actori praestetur, quod habiturus esset, si eo tempore quo petit restituta esset hereditas, interdum durum est. quid .., si post litem contestatam mancipia aut iumenta aut pecora deperierint? damnari debebit secundum verba orationis, quia potuit petitor restituta hereditate distraxisse ea. et hoc iustum esse in specialibus petitionibus Proculo placet. Cassius contra sensit.

cf. Cassium p. 64.

De adquirendo rerum dominio.

102. D. 41, 1, 21 pr. Pomponius libro undecimo ad Sabinum (P. 574[a]). — Si servus meus tibi bona fide serviret et rem emisset traditaque ei esset, Proculus nec meam fieri, quia servum non possideam, nec tuam, si non ex re tua sit parata. sed si liber bona fide tibi serviens emerit, ipsius fieri.

103. D. 41, 1, 27, 2. Pomponius libro trigensimo ad Sabinum (P. 750). — (Cum partes duorum dominorum ferrumine cohaereant) .. si neutra alteri accessioni est, videamus, ne aut utriusque esse dicenda

sit, sicuti massa confusa, aut eius, cuius nomine ferruminata est. sed Proculus et Pegasus existimant suam cuiusque rem manere.

104^{a}. D. 41, 1, 7, 7. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum. — Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit, Nerva et Proculus putant hunc dominum esse qui fecerit, quia quod factum est, antea nullius fuerat.

104^{b}. Gai. 2, 79. — ... si ex uvis <aut olivis aut spicis> meis vinum aut oleum aut frumentum feceris, quaeritur utrum meum sit id vinum aut oleum aut frumentum, an tuum. item si ex auro aut argento meo vas aliquod feceris, vel ex tabulis meis navem aut armarium aut subsellium fabricaveris; item si ex lana mea vestimentum feceris, vel si ex vino et melle meo mulsum feceris, sive ex medicamentis meis emplastrum vel collyrium feceris, <quaeritur utrum tuum sit id quod ex meo effeceris> an meum ... alii .. eius rem esse putant qui fecerit, idque maxime diversae scholae auctoribus visum est; sed eum quoque cuius materia et substantia fuerit, furti adversus eum qui subripuerit, habere actionem; nec minus adversus eundem condictionem ei conpetere, quia extinctae res, licet vindicari non possint, condici tamen furibus et quibusdam aliis possessoribus possunt.

cf. Inst. Iust. 2, 1, 25.

De possessione.

105. D. 43, 16, 1, 25. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1525^{c}). — Quod volgo dicitur aestivorum hibernorumque saltuum nos possessiones animo retinere, id exempli causa didici Proculum dicere.

Ulpianus addit: 'nam ex omnibus praediis ex quibus non hac mente recedimus, ut omisisse possessionem vellemus, idem est.'

Mommsen scribendum esse putat '<dici> didici'.

106. D. 41, 2, 3, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Neratius et Proculus et solo animo non posse nos adquirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio. ideoque si thensaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero, quia quod desit naturali possessioni, id animus implet.

107. D. 41, 7, 2. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 666). — Pro derelicto rem a domino habitam si sciamus, possumus adquirere. sed Proculus non desinere eam rem domini esse nisi ab alio possessa fuerit.

De usucapione.

108. D. 41, 3, 31 pr. Paulus (potius Pomponius) libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 760). — Numquam in usucapionibus iuris error possessori prodest. et ideo Proculus ait, si per errorem initio venditionis tutor pupillo auctor factus sit vel post tempus venditionis peractum, usucapi non posse, quia iuris error est.

Pernice II[2] 496 n. 2: 'Man kann zweifeln, ob die Stelle ganz heil ist' Mommsen legi iubet: 'factus sit post tempus venditione peracta'.

109. D. 41, 3, 4, 10. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 673). — Si rem, quam apud te deposueram, lucri faciendi causa vendideris, deinde ex paenitentia redemeris et eodem statu habeas, sive ignorante me sive sciente ea gesta sint, videri in potestatem meam redisse secundum Proculi sententiam.

De donationibus.

110. D. 39, 6, 35, 3. Paulus libro sexto ad legem Iuliam et Papiam (P. 962). — .. qui mortis causa donat, qua parte se cogitat, negotium gerit, scilicet ut, cum convaluerit, reddatur sibi. nec dubitaverunt Cassiani,

quin condictione repeti possit quasi re non secuta propter hanc rationem, quod ea quae aut ita dantur, ut aliquid facias, aut ut ego aliquid capiam, aut ut Lucius Titius, aut ut aliquid optingat, condictio sequitur.[1]

De servitutibus.

111. D. 8, 3, 5, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 596[e]). — Neratius libris ex Plautio ait nec haustum nec appulsum pecoris nec cretae eximendae calcisque coquendae ius posse in alieno esse, nisi fundum vicinum habe*nti*[2]. et hoc Proculum ... existimasse ait.

112. D. 8, 1, 10. Idem (sc. Celsus) libro octavo decimo Digestorum (P. 137). — Si iter legatum sit, qua nisi opere facto iri non possit, licere fodiendo substruendo iter facere Proculus ait.

De aqua pluvia arcenda.

113. D. 39, 3, 11, 2. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 634). — .. ex sociis non utique cum eo agendum (sc. aquae pluviae arcendae), qui opus fecerit nec minus eum quoque damnum restituere debere, qui auctor operis ⟨non⟩ fuit, apud Ferocem Proculus ait; si cum uno dominorum actum sit, qui opus non fecerit, debere eum opus restituere sua impensa, quia communi dividundo actionem habet. sed sibi magis placere patientiam dumtaxat eum praestare oportere, quia sua culpa actor id patiatur, qui non agit cum eo, a quo opus factum sit.

2. Ad edictum praetoris.

Fragmenta disposui ad ordinem edicti a Iuliano propositum.

1 *Fl.* quod ea quae dantur aut ita dantur, ut aliquid facias aut ut ego aliquid faciam ... optingat, et in istis condictio sequitur.
2 *Fl.* habeat.

De iis qui in municipio colonia foro iuri dicundo praesunt?

1. D. 2, 1, 11 pr. Gaius libro primo ad edictum provinciale (P. 56). — Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quantitas intra iurisdictionem iudicantis[1] sit, coacervatio vero omnium excedat modum iurisdictionis eius, apud eum agi posse Sabino Cassio Proculo placuit.

Gaius addit: 'quae sententia rescripto imperatoris Antonini confirmata est'.

2. D. ibid. § 2. — Si una actio communis sit plurium personarum, veluti familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, utrum singulae partes spectandae sunt circa iurisdictionem eius qui cognoscit, quod Ofilio et Proculo placet, quia unusquisque de parte sua litigat, an potius tota res ...

De pactis et conventionibus?

3. D. 2, 14, 21, 2. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127°). — Nos .. his, qui in nostra potestate sunt, paciscendo prodesse non possumus. sed nobis id profuturum, si nomine eorum conveniamur, Proculus ait.

De negotiis gestis.

4. D. 3, 5, 17. Paulus libro nono ad edictum (P. 190). — Proculus et Pegasus bonam fidem eum, qui in servitute gerere coepit, praestare debere aiunt; ideoque quantum, si alius eius negotia gessisset, servare potuisset, tantum eum, qui a semet ipso non exegerit, negotiorum gestorum actione praestaturum[, si aliquid habuit in peculio, cuius retentione id servari potest].

Inclusa verba Pernice Triboniani esse censet.

Qui arbitrium receperint, ut sententiam dicant.

5. D. 4, 8, 21, 9. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 460). — Si quis ex litigatoribus ideo non

1 magistratus? duumvirorum?

adfuerit, quod valetudine vel rei publicae causa absentia impeditus sit aut magistratu aut alia iusta de causa, poenam committi Proculus et Atilicinus aiunt; sed si paratus sit in eundem compromittere, actionem denegari aut exceptione tutum fore.

6. D. 4, 8, 23, 1. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 461[b]). — (Celsus ait, si arbiter intra kalendas Septembres dari iusserit nec datum erit, licet postea offeratur, attamen semel commissam poenam compromissi non evanescere, quoniam semper verum est intra kalendas datum non esse; sin autem oblatum accepit, poenam petere non potest doli exceptione removendus. contra ubi dumtaxat dare iussus est.) Idem ait, si iusserit me tibi dare et valetudine sis impeditus, quo minus accipias, aut alia iusta ex causa, Proculum existimare poenam non committi, nec si post kalendas te parato accipere non dem.

De sumptibus funerum.

7. D. 11, 7, 14, 11. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 752). — Si quis, dum se heredem putat, patrem familias funeraverit, funeraria actione uti non poterit, quia non hoc animo fecit quasi alienum negotium gerens. et ita Trebatius et Proculus puta*n*t.

De peculio.

8. D. 15, 1, 30 pr. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 861). — Quaesitum est, an teneat actio de peculio, etiamsi nihil sit in peculio cum ageretur, si modo sit rei iudicatae tempore. Proculus et Pegasus nihilo minus tener*e*[1] aiunt; intenditur enim recte, etiamsi nihil sit in peculio. idem et circa ad exhibendum et in rem actionem placuit.

9. D. 14, 5, 4, 5. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo nono ad edictum (P. 871). — Is qui de peculio

1 *Fl.* teneri.

egit, cum posset quod iussu, in ea causa est, ne possit quod iussu postea agere. et ita Proculus existimat.

10. D. 15, 1, 17. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[g]). — Si servus meus ordinarius vicarios habeat, id quod vicarii mihi debent an deducam ex peculio servi ordinarii? et prima illa quaestio est, an haec peculia in peculio servi ordinarii computentur. et Proculus et Atilicinus existimant, sicut ipsi vicarii sunt in peculio, ita etiam peculia eorum.

Sequentia verba: 'et id quidem, quod mihi dominus eorum, id est ordinarius servus debet, etiam ex peculio eorum detrahetur; id vero quod ipsi vicarii debent, dumtaxat ex ipsorum peculio; sed et si quid non mihi, sed ordinario servo debent, deducetur de peculio eorum quasi conservo debitum; id vero quod ipsis debet ordinarius servus, non deducetur de peculio ordinarii servi, quia peculium eorum in peculio ipsius est' Ulpiani videntur esse.

11. D. 15, 1, 47, 3. Idem (sc. Paulus) libro quarto ad Plautium (P. 1101). — Si creditor servi ab emptore esset partem consecutus, *dandum esse*[1] in reliquum in venditorem utile iudicium Proculus ait, sed re integra non esse permittendum actori dividere actionem, ut simul cum emptore et cum venditore experiatur; satis enim esse hoc solum ei tribui, ut rescisso superiore iudicio in alterum detur ei actio, cum electo reo minus esset consecutus.

Trib. addit: 'et hoc iure utimur'. *cf. Erman Z. d. Sav.-St. XX, 246.*

De institoria actione.

12. D. 14, 3, 17, 4. Idem (sc. Paulus) libro trigensimo ad edictum (P. 457). — Proculus ait, si denuntiavero tibi, ne servo a me praeposito crederes, exceptionem dandam: 'si ille illi non denuntiaverit, ne illi servo

1 *Trib.* competere.

crederet'. sed si peculium habeat aut in rem meam versum sit ex eo contractu[1]. nec velim quo locupletior sim solvere, replicari de dolo malo oportet. nam videri me dolum malum facere, qui ex aliena iactura lucrum quaeram.

Quae in fraudem creditorum facta sunt ut restituantur.

13. D. 42, 8, 6, 13. Ulpianus libro sexagensimo sexto ad edictum (P. 1452). — .. si necessarius heres legata praestiterit, deinde eius bona venierint, Proculus ait, etiamsi ignoraverint legatarii, tamen utilem actionem dandam.

cf. Gai. 3, 78.

14. D. 42, 8, 7. Paulus libro sexagensimo secundo ad edictum (P. 741). — Si debitor in fraudem creditorum minore pretio fundum scienti emptori vendiderit, deinde hi, quibus de revocando eo actio datur, eum petant, quaesitum est, an pretium restituere debent. Proculus existimat omnimodo restituendum esse fundum, etiamsi pretium non solvatur.

Paulus addit: 'et rescriptum est secundum Proculi sententiam'.

---

8. URSEIUS FEROX

iuris peritus Cassio et Proculo minor natu[2], Sabini, ut videtur, auditor, qui non tam respondendo quam priorum iuris consultorum responsis digerendis operam dedit. cuius operis non ante Neronis tempora, ut videtur, editi neque nomen neque argumentum memoriae traditum est. 'ad Urseium' libros, quorum fragmenta in Iustiniani Digestis servata sunt, composuit Salvius Iulianus.

1 *Fl.* sed si ex eo contr. pecul. habeat aut in rem meam versum sit.

2 Ferocis cognomen prope Patavium et Tomos et Vespasiani quidem aetate reperitur. Wilmanns Ex. 2683. 2866.

Iam quae statui, in quantum dubia videantur esse, confirmanda sunt.

Num Urseius quem in libris suis cum Sabini tum Proculi responsa rettulisse videmus (Coll. 12, 7, 9 'Urseius refert Sabinum respondisse'. D. 9, 2, 9, 2 'ita Proculum existimasse Urseius refert'), idem Cassii sententias protulerit, viri docti dubitant hos duos locos varie interpretantes: 'Cassius apud Urseium scribit' D. 7, 4, 10, 5 et 'Cassius existimasse Urseium refert' D. 44, 5, 1, 10.

Atque ex prioribus illis verbis Cassium ad Urseium notam adiecisse Karlowa I p. 695 conicit . at neque de nota, sicut est D. 17, 2, 65, 8 'Servius apud Alfenum . . notat', diserte agitur, et idem qui illos locos affert, Ulpianus aliis locis similibus ait: 'Servius apud Melam scribit' D. 33, 9, 3, 10; 'Marcellus apud Iulianum scribit' D. 36, 1, 3 pr., ubi aperte Servii vel Marcelli sententias ipsius libris prolatas a Mela vel Iuliano repetitas esse testatur, ut de illo loco idem iudicandum sit: Cassii sententiam Ulpiani libris prolatam ab Urseio repetitam fuisse.

De altero loco viri docti, utrum scriptura salva an corrupta sit dubitant. atque Karlowa l. c., cui Buhl p. 60 adstipulatur, eam salvam esse existimat; at meliore iure Mommsen eumque secuti Krueger p. 160 n. 119 et Lenel P. II col. 1202 potius legendum esse iudicant 'Cassiu*m* existimasse Urseiu*s* refert'. nam alibi quoque Urseium Cassii sententias attulisse haec docent: D. 30, 104, 1 Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem. 'Cassius respondit . . . Iulianus notat: si . . .' D. 16, 1, 16, 1 Idem (sc. Iulianus) libro quarto ad Urseium Ferocem. '. . . Gaius Cassius respondit . . . Iulianus autem recte putat . . .' sed de his quoque locis fuerunt qui dissentirent. certe H. Pernice in Miscell. p. 57 scripsit: 'Ich . . bin vielmehr der Meinung, dafs diese Citate dem Julian, nicht dem Urseius angehören', sed nullo iure, id quod vel Karlowa I p. 694 explicat.

Ut summam faciam: Urseium non modo Sabini, sed

etiam Cassii et Proculi sententias rettulisse certum est; non rursus, id quod Karlowa l. c. existimat neque ullo idoneo testimonio probat, a Cassio etiam Urseium laudatum esse. nec magis probandum est, quod Krueger p. 160 existimat, Ursei propria quoque responsa referri, immo talia neque in Iuliani libris ad Urseium neque in ceteris fragmentis, quibus Urseius laudatur, certa ulla deprehenduntur.

Sabini Cassiique auditorem Urseium fuisse videtur indicare D. 24, 3, 59, ubi haec leguntur: 'Sabinus dicebat... Gaius idem'. cf. Buhl p. 59, Karlowa I p. 694. Proculi quoque diligenter rationem ab eo habitam esse alia fragmenta probant (praeter D. 9, 2, 9, 2 etiam D. 23, 3, 48 '... Proculus respondit... Iulianus notat...').

... libri.

Urseium libros Sabino mortuo edidisse Ferrini arch. giur. XXXVII p. 331 et Lenel P. II col. 1201 n. 1 iure videntur existimare; scripsit enim Urseius D. 24, 3, 59 'Sabinus dicebat'. operis liber decimus affertur ab Ulpiano (Collat. 12, 7, 9 'libro X Urseius refert'), quo de numero non est cur dubitemus. cf. Karlowa I p. 693. libri a Iuliano ad Urseium scripti, quorum fragmenta P. 883—928 exhibet, quattuor tantum afferuntur. quod in auctorum indice legitur ''Ἰουλιανοῦ ad Urseium βιβλία τέσσαρα' isque numerus fragmentis plerisque ex Iuliani opere in Iustiniani Digesta receptis confirmatur, cum nunquam Iulianus 'ex Urseio', semper 'ad Urseium' scripsisse dicatur, ex Iuliani opere plurium librorum postea epitomen factam esse indicat quattuor tantum librorum, quae ad Iustiniani aetatem pervenit.

Priusquam de Urseii opere statuamus, de Iuliani libris et Triboniani interpolationibus videndum est. Iulianum notas ad Urseium addidisse nonnunquam traditur (D. 46, 3, 36 Iul. l. I ad Urs. Fer. 'Si... fuisse. Iulianus notat: verius est...' D. 23, 3, 48, 1 Idem, sc. Iul., l. II ad Urs. Fer. 'Socer... factam. Iulianus notat: immo...' cf.

D. 10, 3, 6, 12 Ulp. ad ed. 'Urseius ait ... Iulianus autem recte notat ...').

In eiusmodi Iuliani notis aliorum quidem iuris consultorum sententiae non afferuntur, sed num notae integrae servatae sint, optimo iure licet dubitare. certe in notis ad Minicium Iulianus rettulit, quod 'plerique responderunt' (D. 41, 4, 8) vel quod 'a plerisque responsum est' (D. 17, 1, 33). nec minus in eiusdem fragmento ad Urseium, quod 'plerique responderunt' (D. 39, 6, 21) vel 'quod a quibusdam respondetur' (D. 29, 2, 45) ita proponitur, ut ad Iulianum referendum sit. atque Krueger p. 160 Priscum illum, qui D. 39, 6, 21 Iul. l. II ad Urs. Fer. laudatur, in Iuliani aliqua nota laudatum esse suspicatur.

Quomodo in ceteris Iulianus Ursei libros tractaverit, non apparet. Krueger l. c. Iulianum nihil aliud nisi notas ad Ursei opus addidisse iudicat, quamvis p. 161, ut idem ex Ursei opere epitomen faceret, fieri potuisse concedat. Lenel quoque P. II col. 1201 n. 2 quid praeter notas a Iuliano sit additum, pro certo explorari vix posse censet. sed sicut in notis ad Minicium Iulianus per verba 'verius est' (D. 33, 5, 12. 41, 4, 48. 41, 7, 7. 46, 8, 23) vel 'verius putat' (D. 17, 1, 33) vel 'verum est' (D. 33, 3, 1. 38, 1, 27) quid sibi placeret, professus est, ita in notis ad Urseium statuit, quod 'est verius' (D. 28, 5, 8 pr. 46, 3, 36) vel quod 'potest verum esse' (D. 29, 2, 45).

Neque dubitandum est, quin Iulianus praeter responsa quorundam iuris consultorum, quos ut aetate posteriores Urseius non potuit laudare (cui generi adnumerandum est D. 39, 6, 21: 'plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt'), propria quoque responsa protulerit, id quod in hoc fragmentum cadit: 'quaeritur ... respondit verius esse' D. 30, 104 pr. quominus alia eruantur, per Tribonianum stat, qui in his quoque fragmentis multa videtur delevisse, alia in breve contraxisse, alia addidisse.

Iam ad ipsius Ursei libros redeundum est. ac primum quidem in iis non tam suas sententias quam aliorum eum protulisse apparet. legimus enim idque saepius haec:

'Urseius refert' Coll. 12, 7, 9. D. 9, 2, 27, 1. 44, 5, 1, 10. quae autem rettulit, responsa esse inprimis Sabini Cassii Proculi haec docent: 'Urseius refert Sabinum respondisse' Coll. 12, 7, 9. 'Sabinus respondit' D. 7, 1, 35 pr. et D. 30, 104, 7 l. I ad Urs. Fer. D. 40, 4, 18 l. II ad Urs. Fer. D. 41, 3, 35 l. III ibid. 'Cassius respondit' D. 30, 104, 1 l. I ad Urs. Fer. 'Gaius Cassius respondit' D. 16, 1, 16, 1 l. IV ibid. 'Proculus respondit' D. 23, 3, 48, 1 l. II ad Urs. Fer. 'respondit Proculus' D. 10, 3, 5 l. II ibid. 'Proculus respondit' D. 12, 5, 5 l. III ibid. D. 11, 1, 18 l. IV ibid.

Sua quoque responsa Urseium addidisse parum indicii est; nam quod legitur 'quaesitum est . . . respondi' D. 28, 6, 32 l. I ad Urs., vel 'quaesitum est . . . respondit' D. 18, 1, 41 pr. lib. III ibid. cf. D. 19, 1, 28 lib. III ibid. 'respondit' vel 'quaesitum est . . . et responsum est' D. 23, 3, 48 pr. l. II ibid. vel 'quaesitum est . . . et placuit' D. 10, 2, 52 lib. II ibid., nihil expedire apparet. verba 'puto' 'existimo' D. 12, 6, 37. 17, 1, 32 lib. III ibid., 'respondi' D. 28, 6, 32 lib. I ibid. Krueger p. 160 n. 116 ad Urseium referenda esse putat; mihi quidem ad eundem videntur pertinere, qui D. 46, 3, 36 lib. I ait: '. . hoc . . . adfirmatum est mihi', id est ad Iulianum.

Iam de rerum ordine quem Urseius vel potius Iulianus statuit videndum est. dixit autem hic libro I de testamentis et de legatis, libro II de manumissionibus, de communione et de iure dotium, libro III de adquirendo rerum dominio, de verborum, ut conicere licet, obligatione (v. infra), de emptione venditione, locatione conductione, aliis bonae fidei contractibus, libro denique IV fortasse de intercessionibus, delictis, actionibus inprimis a filio familias institutis, defensoribus. Lenel in P. in singulis libris res et aliter collocat et caput de delictis omittit; ego res ad Sabinianum inprimis ordinem collocandas esse putavi. Urseium quoque a testamentis exordium fecisse consentaneum est; decimo libro eum de lege Aquilia disputasse traditum est (Coll. 12, 7, 9). itaque eius

fragmenta secundum Iuliani librorum ordinem, qualem supra proposui, exhibere idoneum videtur.

Liber I—X.

De testamentis.

1? D. 29, 2, 45, 4. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 884). — ... a quibusdam respondetur, si liber homo qui bona fide mihi serviebat, propter me heres institutus erit, posse eum iussu meo adire hereditatem.

Apud Iulianum legitur: ʻquod a quibusdam respondetur ... adire hereditatem, potest verum esse' et q. s.

De legitimis heredibus.

2? D. 46, 3, 36. Iulianus libro primo ad Urseium Ferocem (P. 886). — Si pater meus praegnate uxore relicta decesserit et ex causa hereditaria totum hoc, quod patri meo debitum fuisset, petissem, nihil me consumpsisse quidam existimant, ⟨si postumus natus sit⟩; si nemo natus sit, recte me egisse, quia in rerum natura verum fuisset me solum heredem fuisse.

Iulianus notat: ʻverius est me eam partem perdidisse, pro qua heres fuissem, antequam certum fuisset neminem nasci, aut quartam partem, quia tres nasci potuerunt, aut sextam, quia quinque. nam et Aristoteles scripsit quinque nasci posse, quia vulvae mulierum totidem receptacula habere possunt, et esse mulierem Romae Alexandrinam ab Aegypto, quae quinque simul peperit et tum habebat incolumes, et hic et in Aegypto adfirmatum est mihi'.

cf. Pernice I, 372.

De legatis.

De usufructu legato.

3. D. 7, 4, 10, 5. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2555[b]). — Si massae usus fructus

legetur et ex ea vasa sint facta vel contra, Cassius apud Urseium scribit interire usum fructum.

4. D. 7, 1, 35 pr. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 887). — Si usus fructus legatus est, sed heres scriptus ob hoc tardius adit, ut tardius ad legatum perveniretur, hoc quoque praestabitur, ut Sabino placuit.

5. Ibid. § 1. — Usus fructus servi mihi legatus est isque, cum ego uti frui desissem, liber esse iussus est. deinde ego ab herede aestimationem legati tuli: nihilo magis eum liberum fore Sabinus respondit; namque videri me uti frui homine, pro quo aliquam rem habeam, condicionem autem eius libertatis eandem manere, ita ut mortis meae aut capitis deminutionis interventu liber futurus esset.

De parte hereditatis legata.

6. D. 30, 104, 7. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem. — Si socero a genero suo herede instituto pars hereditatis alii legata fuisset, deducta dote eum debiturum esse partem hereditatis legatam Sabinus respondit, quemadmodum, si pecunia ex crediti causa socero debita fuisset, ea deducta partem hereditatis daturus fuisset.

De legato condicionali.

8. D. 30, 104, 1. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 888). — In testamento sic erat scriptum: 'Lucio Titio, si is heredi meo tabellas, quibus ei pecuniam expromiseram, dederit, centum dato'. Titius deinde antequam tabellas heredi redderet, decesserat . quaesitum est, an heredi eius legatum deberetur. Cassius respondit, si tabulae fuissent, non deberi, quia non redditis his dies legati non cessit.

Sequuntur haec: 'Iulianus notat: si' et q. s.

De repetendis legatis.

9? D. 32, 63. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 889). — In repetendis legatis haec verba quae adici solent 'item dare damnas esto' et ad condiciones et ad dies legatorum easdem repetendas referri Sabinus respondit.

De libertate relicta.

10. D. 40, 4, 18 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 901). — Qui duos heredes instituebat, post alterius mortem servum liberum esse iusserat. is ex cuius morte libertas pendebat, vivo testatore decesserat. Sabinus respondit liberum futurum.

11. D. 28, 5, 8 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 900). — Duo socii quendam servum communem testamento facto heredem et liberum esse iusserant. ruina simul oppressi perierant. plerique responderunt hoc casu duobus orcinum heredem existere.

Quae sequuntur: 'et id est verius', Iuliani habenda sunt.

12. Ibid. § 1. — Sed et si sub eadem condicione servum communem uterque socius liberum heredemque esse iussisset eaque exstitisset, idem iuris *esse*[1].

De vindicta manumissione.

13. D. 40, 9, 7, 1. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 903). — Minor annis viginti cum servum manumittere vellet nec iustam causam ad consilium manumittendi haberet, tibi eum ut manumitteres dedit. negavit eum Proculus liberum esse, quoniam fraus legi facta esset.

cf. Gai. 1, 38.

Idem Iulianus D. 40, 2, 6 de servo communi agit,

1 *Trib.* erit.

num a minoribus viginti annis dominis possit apud consilium manumitti, fortasse secundum Urseium.

De operis libertorum?

14. D. 44, 5, 1, 10. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1684). — . . si patronus libertum suum delegaverit creditori, an adversus creditorem, cui delegatus promisit libertatis causa onerandae, exceptione ista (sc. onerandae libertatis causa) uti possit, videamus. et Cassium[1] existimasse Urseius refert creditorem quidem minime esse submovendum exceptione, quia suum recepit; verumtamen libertum patrono posse condicere, si non transigendae controversiae gratia id fecit.

De communione.

15. D. 10, 2, 52 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 896). — Maevius, qui nos heredes fecit, rem communem habuit cum Attio. si cum Attio communi dividundo egissemus et nobis ea res adiudicata esset, venturam eam in familiae erciscundae iudicio Proculus ait.

16. Ibid. § 2. — Arbiter familiae erciscundae inter me et te sumptus quaedam mihi, quaedam tibi adiudicare volebat, pro his rebus alterum alteri condemnandos esse intellegebat. quaesitum est, an possit pensatione ultro citroque condemnationis facta eum solum, cuius summa excederet, eius dumtaxat summae, quae ita excederet, damnare. et placuit posse id arbitrum facere.

17. D. 10, 3, 5. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 897). — (D. 10, 3, 4, 4. Idem sc. Ulp. l. XIX ad ed. '. . scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti simus et ante, quam possidere iuberemur,

1 *Fl.* 'Cassius existimasse Urseium', quam lectionem Karlowa I 694 defendit.

ego insulam fulsero, sumptum istum communi dividundo iudicio consequi me non posse'). sed si res non defenderetur et ideo iussi sumus a praetore eas aedes possidere et ex hoc dominium earum nancisceremur, respondit Proculus communi dividundo iudicio partem eius impensae me servaturum esse.

18. D. 10, 3, 6, 12. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 641). — Urseius ait, cum in communi aedificio vicinus nuntiavit ne quid operis fieret, si unus ex sociis ex hac causa damnatus fuisset, posse eam poenam a socio pro parte servare.

'Iulianus autem recte notat ita demum hoc verum esse, si interfuit aedium hoc fieri'.

19. D. 39, 3, 11, 2. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 634). — Et ex sociis non utique cum eo agendum qui opus fecerit nec minus eum quoque damnum restituere debere, qui auctor operis ⟨non⟩ fuit, apud Ferocem Proculus ait; si cum uno dominorum actum sit, qui opus non fecerit, debere eum opus restituere sua impensa, quia communi dividundo actionem habet. sed sibi magis placere patientiam dumtaxat eum praestare oportere, quia sua culpa actor id patiatur, qui non agit cum eo, a quo opus factum sit. et est iniquum eum, qui non fecit, id restituere oportere, quoniam communi dividundo agere potest; quid enim fiet, si socius eius solvendo non fuerit?

20. D. 9, 2, 27, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 621). — Si servus communis [id est meus et tuus] servum meum occiderit, legi Aquiliae locus est adversus te, si tua voluntate fecit, et ita Proculum existimasse Urseius refert; quod si non voluntate tua fecit, cessare noxalem actionem, ne sit in potestate servi, u*tri*[1] soli serviat.

1 *Fl.* ut tibi.

De iure dotium.

21? D. 23, 3, 48 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 892). — Tali facta stipulatione 'decem in anno proximo dotis nomine dare spondes?' quaesitum est, annus ex quo tempore esset numerandus, utrum ex die stipulationis factae an ex eo die, quo dos esse potuisset [id est nuptiarum]. et responsum est ex die nuptiarum annum esse numerandum, ne, si aliter observaremus, si intra annum nuptiae factae non sint, videri possit dos ex ea obligatione deberi.

22. Ibid. § 1. — Socer genero suo sic legaverat: 'Lucio Titio filiae meae nomine centum heres meus damnas esto dare'. hanc pecuniam generum petere debere exactam⟨que ab eo⟩ acceptam legatis referri, sed nihilo minus dotis esse factam et divortio facto *rei uxoriae*[1] actione mulieri reddendam Proculus respondit[2].

23. D. 23, 4, 22. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 893). — Quidam fundum dotis causa ab uxore sua acceperat interque eos convenerat, ut mercedes eius fundi vir uxori annui nomine daret. deinde eum fundum vir matri mulieris certa pensione colendum locaverat eaque, cum mercedes eius fundi deberet, decesserat et filiam suam solam heredem reliquerat et divortium factum erat. vir deinde petebat a muliere mercedes, quas mater debuerat. placuit exceptionem mulieri dari non debere, 'ac si inter se et virum non convenisset, ut hae mercedes sibi alimentorum nomine darentur', cum futurum sit, ut quodammodo donationes inter virum et uxorem confirmentur. nam quod annui nomine datur, species est donationis.

1 *Trib.* dotis.
2 *Fl.* sed divortio facto de dote actione mulieri reddendam Proculus respondit et nihilo minus dotis esse factam. *correxit Ihering.*

24. D. 24, 3, 32. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 894). — Si prior maritus posteriori dotis nomine tamquam debitor mulieris dotem promiserit, non plus quam id quod facere possit dotis futurum esse.

25. D. 46, 3, 37. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 906). — Quotiens unus ex *sponsoribus*[1] suam partem solvisset, tamquam negotium reo gessisset, perinde habendum esse, ac si reus ipse unius *sponsoris*[2] partem solvisset, sed tamen ut non ex sorte decedat.

De dotis promissione videtur actum fuisse.

26. D. 24, 3, 59. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 895). — Filiae meae emancipatae et aegrae vir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius heredibus eius quam mihi redderet. Sabinus dicebat utile mihi eius dotis reciperandae iudicium dandum esse; Gaius idem.

De adquirendo rerum dominio.

27. D. 45, 3, 14. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 917). — Servus meus cum apud furem esset, furi dari stipulatus est. negat furi deberi Sabinus, quia eo tempore, quo stipulatus est, ei non serviret.

Lenel P.: 'Quid si furis nomine mancipio accepit vel traditione possessionem nactus est?'

Quae sequuntur 'sed nec ego ex ea stipulatione agere potero. sed si detracta furis persona stipulatus est, mihi quidem adquiritur actio, sed furi nec mandati nec alia actio adversus me dari debet', non Urseii sunt.

28. D. 41, 3, 35. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 913). — Si homo, cuius usus fructus legatus erat, ab herede numquam possessus subreptus

1 *Trib.* fideiussoribus, *quod Lenel servat.*
2 *Trib.* fideiussoris.

fuisset, quaesitum est, quia heres furti actionem non haberet, an usucapi possit. Sabinus respondit nullam eius rei usucapionem esse, cuius nomine furti agi possit; agere autem furti eum, qui frui deberet, posse.

'Quod sic accipiendum est, ut fructuarius poterit uti frui; aliter enim homo in causa non perduceretur. sed si utenti iam et fruenti abductus homo fuerit, non solum ipse, sed etiam heres furti agere poterit'.

De emptione venditione.

29? D. 18, 1, 41, 1. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 907). — Mensam argento coopertam mihi ignoranti pro solida vendidisti imprudens. nulla est emptio pecuniaque eo nomine data condicetur.

30? D. 40, 4, 19. Idem (sc. Iulianus) libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 908). — Quidam heredem suum rogaverat, ut servum manumitteret. deinde, si heres eum non manumiserit, liberum eum esse iusserat eique legaverat. heres eum manumisit. plerique existimant hunc ex testamento libertatem consequi. secundum hoc legatum quoque ei debetur.

Lenel notat 'quaeritur de servo, qui hac lege veniit, ut manumitteretur. cf. D. 18, 7, 3'. at nescio, an pro libro III potius II scribendum fragmentumque capiti de manumissionibus attribuendum sit.

De intercessionibus.

31. D. 16, 1, 16 pr. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ad Urseium Ferocem (P. 924). — Si mulier contra senatus consultum Velleianum pro me intercessisset Titio egoque mulieri id solvissem et ab ea Titius eam pecuniam peteret, exceptio huius senatus consulti non est profutura mulieri; neque enim eam periclitari, ne eam pecuniam perdat, cum iam eam habeat.

Triboniani manus apparet.

32. Ibid. § 1. — Si ab ea muliere, quae contra senatus consultum intercessisset, fideiussorem acce-

pissem, Gaius Cassius respondit ita demum fideiussori exceptionem dandam, si a muliere rogatus fuisset.

Sequuntur haec: 'Iulianus autem recte putat ...' verba 'recte putat' a Triboniano addita videntur. aliter Krueger p. 160 n. 116 ('wohl durch Entstellung einer Nota entstanden, etwa so, dafs hinter Iulianus der Name eines von Iulian angeführten Juristen ausgefallen ist').

De furtis.

33. D. 47, 2, 59. Iulianus libro quarto ad Urseium Ferocem (P. 926). — Si filio familias furtum factum esset, recte *eum* pat*rem* familias factum eo nomine ag*ere*[1].

'Sed et si res ei locata subrepta fuerit, pater familias factus itidem agere poterit'.

34. D. 13, 6, 20. Idem (sc. Iulianus) libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 920). — Argentum commodatum si [tam] idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum [ut non debuerit quis aestimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur], tuum, non meum detrimentum *esse*[2], si id mali homines intercepissent.

Triboniani addidamenta Pernice deprehendit.

35. D. 12, 5, 5. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 915). — Si a servo meo pecuniam quis accepisset, ne furtum ab eo factum indicaret, sive indicasset sive non, repetitionem fore eius pecuniae Proculus respondit.

Liber X—?

De lege Aquilia.

36[a]. Collat. 12, 7, 9. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623). — .. si qui servi inquilini insulam

1 *Trib.* is pater familias factus .. aget.
2 *Trib.* erit.

exusserint, libro X Urseius refert Sabinum respondisse lege Aquilia servorum nomine dominum noxali iudicio conveniendum, ex locato autem dominum teneri negat. Proculus autem respondit, cum coloni servi villam exusserint, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus servos posset noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum.

36[b]. D. 9, 2, 27, 11. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum. — Proculus ait, cum coloni servi villam exussissent, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus possit servos noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum. sed haec ita, si culpa colonus careret; ceterum si noxios servos habuit, damni eum iniuria teneri, cur tales habuit. idem servandum et circa inquilinorum insulae personas scribit.

37. D. 18, 6, 13. 14. Paulus libro tertio Alfeni Epitomarum (P. 52) et Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 910). — Lectos emptos aedilis, cum in via publica positi essent, concidit. si traditi essent emptori aut per eum stetisset quo minus traderentur, emptoris periculum esse placet. | eumque cum aedili, si id non iure fecisset, habiturum actionem legis Aquiliae, aut certe cum venditore ex empto agendum esse, ut is actiones suas, quas cum aedile habuisset, ei praestaret.

De interrogationibus in iure faciendis.

38. D. 11, 1, 18. Iulianus libro quarto ad Urseium Ferocem (P. 923). — Qui ex parte dimidia heres erat cum absentem coheredem suum defendere vellet, ut satisdationis onus evitare possit, ⟨in iure interrogatus⟩ respondit se solum heredem esse et condemnatus est. quaerebat actor, cum ipse solvendo non esset, an rescisso superiore iudicio in eum, qui

re vera heres erat, actio dari deberet. Proculus respondit rescisso iudicio posse agi.

Quae sequuntur: 'idque est verum', Iuliani habenda sunt.

---

9. ATILICINUS

iuris consultus cum Proculo litterarum commercio coniunctus (D. 23, 4, 6 'Atilicinus Proculo suo salutem ... Proculus respondit'), quocum non raro consensisse traditur (D. 15, 1, 17 'et Proculus et Atilicinus existimant'. D. 4, 8, 21, 9 'Proculus et Atilicinus aiunt'. D. 8, 3, 5, 1 'Proculum et Atilicinum existimasse ait' sc. Neratius), laudatus a Plautio (D. 35, 2, 49 pr.), Aufidio Chio (Vat. 77), Fufidio (D. 34, 2, 5), Neratio (D. 8, 3, 5, 1), Iuliano (D. 12, 4, 7 pr.), Valente (D. 32, 19), Pomponio (D. 11, 7, 28, 13, 7, 6 pr. 30, 48 pr.) aliisque, et respondendo et libris scribendis operam dedit. cf. Ferrini Z. d. Sav.-St. VII, 84—90.

Atilicini auctoritatem apud posteros non levem fuisse apparet. Severi certe aetate et Ulpianus operae pretium existimavit referre sententiam eius quandam non receptam esse (D. 20, 6, 6, 21), et Paulus eiusdem sententiam tam libris ad Sabinum quam ad Plautium rettulit (I. 2, 14 pr.), denique Iustinianus eandem hanc sententiam a. 531 probavit (C. 6, 27, 5) probatamque in novis quoque Institutionibus (l. c.) attulit.

I. Responsa.

Atilicini responsa inprimis ab Aufidio Chio (Vat. fr. 77 'Atilicinum respondisse Aufidius Chius refert') et Fufidio (D. 42, 2, 5 'Apud Fufidium Quaestionum libro secundo ita scriptum est: ... Atilicinus negat ...') et Plautio (v. infra) servata sunt.

Hoc loco ea tantum profero, quae Atilicinum libris inseruisse non satis constat.

De usufructu legato.

1[a]. Vat. fr. 77. (Ulp. l. XVII ad Sab. P. 2563). — Interdum .. etsi non sint coniuncti, tamen usus fructus legatus alteri adcrescit, ut puta si mihi fundi usus fructus separatim totius et tibi similiter fuerit usus fructus relictus; nam ut Celsus ... et Iulianus ... scribunt, concursu partes habemus. quod et in proprietate contingeret; nam altero repudiante alter totum fundum haberet. sed in usu fructu hoc plus est, contra quam Atilicinum respondisse Aufidius Chius refert, quod et constitutus nihilo minus amissus ius ad-crescendi a*d*mittit.

1[b]. D. 7, 2, 1, 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2563). — Interdum .. etsi non sint coniuncti, tamen usus fructus legatus alteri adcrescit, ut puta si mihi fundi usus fructus separatim totius et tibi similiter fuerit relictus. nam, ut et Celsus ... et Iulianus ... scribit, concursu partes habemus. quod et in proprietate contingeret; nam altero repudiante alter totum fundum haberet. sed in usu fructu hoc plus est, quia et constitutus et postea amissus nihilo minus ius adcrescendi admittit.

De ornamentis muliebribus legatis.

2. D.34,2,5. Africanus libro secundo Quaestionum (P. 11[b]). — Apud Fufidium Quaestionum libro secundo ita scriptum est: si mulier mandaverit tibi, ut sibi uniones usus sui causa emeres, si tu post mortem eius, cum putares eam vivere, emeris, Atilicinus negat esse legatos ei, cui mulier ita legaverit ‘ornamenta, quae mea causa parata sunt eruntve’; non enim eius causa videri parata esse, quae iam mortua ea empta fuerint.

De dote.

3. D. 12, 4, 7 pr. Iulianus libro sexto decimo Digestorum (P. 266). — Qui se debere pecuniam

mulieri putabat, iussu eius dotis nomine promisit (dotem dixit?) sponso et solvit. nuptiae deinde non intercesserunt. quaesitum est, utrum ipse potest repetere eam pecuniam qui dedisset, an mulier. Nerva Atilicinus responderunt, quoniam putasset quidem debere pecuniam, sed exceptione doli mali tueri se potuisset, ipsum repetiturum, sed si, cum sciret se nihil mulieri debere, promisisset, mulieris esse actionem, quoniam pecunia ad eam pertineret. [si autem vere debitor fuisset et ante nuptias solvisset et nuptiae secutae non fuissent, ipse possit condicere, causa debiti integra mulieri ad hoc solum manente, ut ad nihil aliud debitor compellatur, nisi ut cedat ei condicticia actione.]

Communi dividundo.

4. D. 10, 3, 6, 4. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 639b). — .. et partem venire (sc. in communi dividundo iudicium) Sabinus et Atilicinus responderunt.

5. D. ibid. § 5. — Sed et accessionem et decessionem hoc iudicium accipere idem existimaverunt.

De societate.

6. D. 17, 2, 52, 18. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922d). — ... apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet. et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt, si iniuria iudicis damnatus sit, consecuturum, si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. cui congruit, quod Servium respondisse Aufidius refert.

De pignore.

7. D. 44, 4, 4, 8. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1677b). — .. quaeritur, si uniones tibi pignori dedero et convenerit, ut soluta pecunia

redderentur, et hi uniones culpa tua perierint et pecuniam petas. exstat Nervae et Atilicini sententia dicentium ita esse excipiendum 'si inter me et te non convenit, ut soluta pecunia uniones mihi reddantur.'

II. Digestorum(?) libri.

Eiusmodi libri quamquam non diserte laudantur, quin ab Atilicino editi sint, vix potest dubitari. haec enim leguntur: 'Atilicinus quibusdam placuisse ait' D. 5, 3, 43. 'Atilicinus ait Caesarem .. rescripsisse in haec verba' D. 8, 3, 35. de operis indole hoc tantum verisimile est, illum responsa et sua et aliorum iuris consultorum proposuisse. Nervae Sabini Cassii Proculi, qui saepe cum Atilicino coniuncti laudantur, sententias ex Atilicini opere desumptas esse Krueger p. 156 iudicat neque Ioers (Pauly-Wissowa II p. 2075 sq.) improbat. itaque Atilicini Digestorum libri postea Ursei et Plautii operibus similibus videntur oblitterati esse (cf. Ferrini l. c. p. 88), quae coniectura eo adiuvatur, quod Atilicini sententiae tam libris ad Sabinum et ad legem Iuliam Papiamque Poppaeam quam ad edictum referuntur.

In Atilicini fragmentis nonnunquam partium et fundorum, de quibus sermo est, vera nomina afferuntur. laudantur enim 'Gnaeus Domitius' (D. 33, 8, 6, 4), fundus Sutrinus, ex cuius fonte vicini aquam ducere soliti sunt, et Caesaris rescriptum ad Statilium Taurum de fontis illius usu.

Fragmenta secundum res tractatas disposita Sabinianum praecipue ordinem secutus propono.

De servo proprio herede instituendo.

1. I. 2, 14 pr. — Heredes instituere permissum est tam liberos homines quam servos tam proprios quam alienos. proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter quam cum libertate recte instituere licebat. hodie vero etiam sine libertate ex

nostra constitutione heredes eos instituere permissum est. quod non per innovationem induximus, sed quoniam et aequius erat et Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinum quam ad Plautium scripsit, refert.

Quam Tribonianus innovationem non esse declarat, eam vel Antonini Pii aetate a plerisque reiectam esse Gai. 2, 185—187 docet. haec enim ait: 'sicut autem liberi homines, ita et servi, tam nostri quam alieni, heredes scribi possunt. sed noster servus simul et liber et heres esse iuberi debet, id est hoc modo 'Stichus servus meus liber heresque esto' vel 'heres liberque esto'. nam si sine libertate heres institutus sit, etiamsi postea manumissus fuerit a domino, heres esse non potest, quia institutio in persona eius non constitit.' cf. 2, 154 'qui facultates suas suspectas habet, solet servum suum ... liberum <esse iubere> et heredem instituere' ...

Atilicini contraria sententia Gaio teste ius quo cives utebantur, dubium reddere tum non poterat. posteris demum temporibus, ut conicere licet, Severi aetate, ex Atilicini sententia altercatio exorta est. Iustinianus enim (C. 6, 27, 5) haec refert: 'Quidam cum testamentum conderet, duobus heredibus scriptis unum quidem ex parte instituit, servum autem suum, cuius et nomen addidit, ex reliqua parte sine libertate scripsit heredem ... et dubitabatur, si huiusmodi ... institutio aliquas vires potest habere ... tanta inter veteres exorta est contentio, ut vix possibile sit videri eandem decidere ... cum veteres et aliam proposuerunt ambiguitatem dicentes, si quis servum suum in testamento quidem heredem ex parte sine libertate scripsisset, in codicillis autem libertatem ei reliquisset, si possit institutio valere ...' itaque 'veteres', quorum mentio fit, tertii demum saeculi iuris consulti videntur fuisse. certe a. 260 Impp. Valerianus et Gallienus referunt (C. 7, 4, 10): 'etsi non adscripta libertate testator servum suum tutorem filiis suis dederit, receptum est et libertatis et pupillorum favore, ut per fideicommissum

manumisisse eum videatur.' Ulpianus autem (D. 26, 2, 10, disputat: 'quid .. interest, suum servum an alienum torem scripserit, cum pupilli favore et publicae utilil adsumpta libertas sit in persona eius qui tutor scri] est? potest igitur et huic fideicommissaria libertas fendi ...' Atilicini vero sententiam ne Paulus qui(probavit, quippe cum Tribonianus de hac re dis taceat. denique dubitare licet, an Atilicinus re ver: existimaverit, quod Tribonianus eum existimasse tra

De legatis.

De legato per damnationem.

2. D. 45, 2, 17. Paulus libro octavo ad Plauti (P. 1158[a]). — Sive a certis personis heredum no: natim legatum esset sive ab omnibus excepto aliq Atilicinus Sabinus Cassius pro hereditariis partil totum eos legatum debituros aiunt, quia hereditas obligat.

De usufructu legato v. Resp. 1.

De locatione legata.

3. D. 34, 3, 16. Paulus libro nono ad Plauti (P. 1172). — Ei cui fundum in quinquennium lo veram legavi quidquid eum mihi dare facere opoı oportebitve ut sineret heres sibi habere. Nerva At cinus, si heres prohiberet eum frui, ex conducto, iure locationis quid retineret, ex testamento fore (ligatum aiunt, quia nihil interesset, peteretur an tineret; totam enim locationem legatam videri.

De servo legato.

4. D. 35, 2, 49 pr. Idem (sc. Paulus) libro d decimo ad Plautium (P. 1188). — Plautius. Seı quem tibi legaveram, fundum legavi. Atilicinus Neı Sabinus primum in servo rationem legis Falcid habendam et quota pars ex eo decederet, eam part

in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis.

De peculio legato.

5. D. 33, 8, 6, 4. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2680). — .. cum Gnaeus Domitius filiae suae peculium quod eius esset legasset, et annuum quod ei solitus erat dare, biennio non dedisset, sed in rationibus suis rettulisset filiae se debere quinquaginta, Atilicinus existimavit legato non cedere.

De Cn. Domitii nominibus vulgatis v. Wilmanns Exempla II p. 324 et Prosopogr. II 23.

6. D. 15, 1, 17. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[g]). — Et Proculus et Atilicinus existimant, sicut ipsi vicarii sunt in peculio, ita etiam peculia eorum.

De ornamentis muliebribus legatis.

v. Resp. 2.

De cautione legatorum servandorum.

7. D. 32, 19. — Valens libro quinto Fideicommissorum (P. 14). — Si tibi legatum est vel fideicommissum relictum, uti quid facias, etiamsi non interest heredis id fieri, negandam tibi actionem, si non caveas heredi futurum, quod defunctus voluit, Nerva et Atilicinus .. putaverunt.

De funere.

8. D. 11, 7, 28. Pomponius libro quinto decimo ad Sabinum (P. 607[b]). — Quod si nulla dos esset, tunc omnem inpensam (sc. funeris) patrem praestare debere Atilicinus ait aut heredes eius mulieris, puta emancipatae. quod si neque heredes habeat neque pater solvendo sit, maritum in quantum facere potest pro hoc conveniri, ne iniuria eius videretur quondam uxorem eius insepultam relinqui.

De dote.

De dote promissa v. Resp. 3.

De rerum amotarum actione.

9. D. 25, 2, 6 pr. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1775). — Contra nurum .. socero hoc iudicium (sc. rerum amotarum) dandum Atilicinus et Fulcinius aiunt, quotiens filio familias dos data est; socerum ob res divortii causa amotas furti agere non posse.

De concubinatu.

10. D. 25, 7, 1, 1. Ulpianus libro secundo ad legem Iuliam et Papiam (P. 1985). — Cum Atilicino sentio et puto solas eas in concubinatu haber*i*[1] posse sine metu criminis, in quas stuprum non committitur.

De communi dividundo.

v. Resp. 4.

De servitutibus.

11. D. 8, 3, 5, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 596[e]). — Neratius libris ex Plautio ait nec haustum nec appulsum pecoris nec cretae eximendae calcisque coquendae ius posse in alieno esse, nisi fundum vicinum habeat, et hoc Proculum et Atilicinum existimasse ait.

12. D. 8, 3, 35. Paulus libro quinto decimo ad Plautium (P. 1212). — Atilicinus ait Caesarem Statilio Tauro rescripsisse in haec verba: 'Hi qui ex fundo Sutrino aquam ducere soliti sunt, adierunt me proposueruntque aquam, qua per aliquot annos usi sunt ex fonte, qui est in fundo Sutrino, ducere non potuisse *se*, quod fons exaruisset, et postea ex eo fonte aquam fluere coepisse, petieruntque a me, ut quod ius non neglegentia aut culpa sua amiserant, sed quia ducere non poterant, his restitueretur. quorum mihi postulatio

1 *Fl.* habere.

cum non iniqua visa sit, succurrendum his putavi. itaque quod ius habuerunt tunc cum primum ea aqua pervenire ad eos non potuit, id eis restitui placet'.

Quis 'Caesar' sit, quo munere Statilius Taurus functus sit, nescio. Paulus de Rohden (Prosopogr. III p. 264) Statilium Taurum fortasse consulem esse a. 717. 728 existimat, cui Augustus a. 738 curam urbis et Italiae commisit.

De societate.

13. D. 2, 14, 27 pr. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127[f]). — Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius Atilicinus Proculus nec si in rem pactus sit, alteri nocere; tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit.

De societate omnium bonorum v. Resp. 5.

De mandato.

14. D. 17, 1, 45, 7. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1114). — Quod mihi debebas, a debitore tuo stipulatus sum periculo tuo. posse me agere tecum mandati in id quod minus ab illo servare potero, Nerva Atilicinus aiunt, quamvis id mandatum ad tuam rem pertineat.

De fiduia(?) et pignore.

15. D. 13, 7, 6 pr. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo quinto ad Sabinum (P. 797[a]). — Quamvis convenerit, ut fundum pigneraticium (fiduciarium?) tibi vendere liceret, nihilo magis cogendus es vendere, licet solvendo non sit is qui pignus (fiduciam?) dederit, quia tua causa id caveatur. sed Atilicinus ex causa cogendum creditorem esse ad vendendum dicit. quid enim si multo minus sit quod debeatur et hodie pluris venire possit pignus (fiducia?) quam postea?

16. D. 20, 6, 6, 2. Ulpianus libro septuagensimo tertio ad edictum (P. 1638). — ... Atilicini sententia,

qui putabat, si satisdetur alicui *de parte*[1] pecuniae recedere eum a pignoribus debere.

Aliam de pignore Atilicini sententiam v. Resp. 7.

De furtis.

17. D. 30, 48 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 499). — Si heredis servus rem <per damnationem> legatam ignorante domino subtraxisset et vendidisset, Atilicinus in factum dandam actionem, ut vel noxae servum dederet dominus vel ex peculio praestaret, quod ex venditione eius rei haberet.

De iniuria.

18. D. 47, 10, 11, 6. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1344). — Atilicinus .. ait et si persuaserim alicui (potius liberto?) alias nolenti, ut mihi ad iniuriam faciendam oboediret, posse iniuriarum mecum agi.

Iudicio sisti.

19. D. 2, 11, 4, 4. Ulpianus libro septuagensimo quarto ad edictum (P. 1657). — Quaesitum est an possit conveniri, ne ulla exceptio in *vadimonio* deserto[2] obiciatur. et ait Atilicinus conventionem istam non valere.

20. D. 3, 3, 43, 5. Idem (sc. Paulus) libro nono ad edictum (P. 185[a]). — Si procurator agat et praesens sit absentis servus, Atilicinus ait servo cavendum, non procuratori.

De hereditatis petitione.

21. D. 5, 3, 43. Paulus libro secundo ad Plautium (P. 1081). — Postquam legatum a te accepi, hereditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait non

1 *Fl.* certae.
2 *Trib.* in promissione deserta iudicio sistendi causa facta

aliter mihi adversus te dandam petitionem, quam si legatum redderem.

De arbitriis.

22. D. 4, 8, 21, 9. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 460). — Si quis ex litigatoribus ideo non adfuerit, quod valetudine vel rei publicae causa absentia impeditus sit aut magistratu aut alia iusta de causa, poenam committi Proculus et Atilicinus aiunt; sed si paratus sit in eundem compromittere, actionem denegari aut exceptione tutum fore.

---

10. FUFIDIUS

qui iuris peritus a Gaio, Africano, Paulo laudatur, cum Sabini et Atilicini responsa rettulisse, Nerva autem filius contra atque ille sensisse dicatur (D. 40, 2, 25), huius aequalis esse Neronisque principis aetate videtur vixisse (Pernice I 280 n. 11). quem, cum Fufidii nomen vulgare sit (Wilmanns Ex. II, 329), nihil est, cur eundem atque Aufidium Chium (v. IV, 5) putemus esse. quae de Fufidio referuntur, eum non respondendo, sed iuris consultorum responsis proponendis operam dedisse satis videntur indicare.

Quaestionum libri.

Laudatur ab Africano in Quaestionum libro secundo Fufidii secundus liber Quaestionum, cui operi omnia eius fragmenta, quae pauca sunt, attribuere licet. cum secundo libro de legatis dictum esse appareat, ea quae de servo herede instituendo Fufidium dixisse traditur, primo libro, quae de manumissione, vel secundo vel tertio libro adscribenda esse licet suspicari. sed de re plane dubia certa statuere nolo.

Liber II.

De ornamentis legatis.

1. D. 34, 2, 5. Africanus libro secundo Quaestionum (P. 11). — Apud Fufidium Quaestionum libro secundo ita scriptum est: *si mulier mandaverit tibi, ut sibi uniones usus sui causa emeres, si tu post mortem eius, cum putares eam vivere, emeris, Atilicinus negat esse legatos ei, cui mulier ita legaverit: 'ornamenta, quae mea causa parata sunt eruntve'; non enim eius causa videri parata esse, quae iam mortua ea empta fuerint.*

Ex incertis libris.

De servo proprio herede instituendo.

2. Gai. 2, 154. — .. qui facultates suas suspectas habet, solet servum suum primo aut secundo vel etiam ulteriore gradu liberum et heredem instituere ut si creditoribus satis non fiat, potius huius heredis quam ipsius testatoris bona veneant, id est ut ignominia quae accidit ex venditione bonorum, hunc potius heredem quam ipsum testatorem contingat, quamquam apud Fufidium Sabino placeat eximendum eum esse ignominia, quia non suo vitio, sed necessitate iuris bonorum venditionem pateretur.

De manumissione per vindictam facienda.

3. D. 40, 2, 25. Gaius libro primo de manumissionibus (P. 477). — Si tutoris habendi causa pupillus manumittat, probationi esse causam Fufidius ait.

Gai. 1, 38. 'eadem lege (sc. Aelia Sentia) minori XX annorum domino non aliter manumittere permittitur, quam vindicta apud consilium iusta causa manumissionis adprobata. iustae autem causae manumissionis sunt ...' quas inter causas haec erat, 'si servum procuratoris habendi gratia manumittat' (Gai. 1, 19), cui Fufidius illam adiunxit, 'si tutoris habendi causa manumittat'.

De interdicto possessorio?

4. D. 42, 5, 29. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 957). — Fufidius refert statuas in publico positas bonis distractis eius, cuius in honorem positae sunt, non esse emptoris bonorum eius, sed aut publicas, si ornandi municipii causa positae sint, aut eius, cuius in honorem positae sint, et nullo modo eas detrahi posse.

cf. Gai. 4, 145. 'Bonorum quoque emptori similiter proponitur interdictum (sc. adipiscendae possessionis), quod quidam possessorium vocant'.

De statuis eorum, qui relegati sunt ex causa maiestatis, 'detrahendis' ait Modestinus D. 48, 19, 24.

---

11. CANINIUS REBILUS

filius consulis suff. a. 12, ipse consul anno incerto (quippe quem Seneca de ben. 2, 21, 5 consularem dicat), 'ob libidines muliebriter infamis', 'cruciatus aegrae senectae misso per venas sanguine effugit' a. 56. Tac. ann. 13, 30.

Rebilum etiam 'peritia legum' ex primoribus fuisse idem auctor l. c. refert. de responsis eius nihil traditur.

IV. VESPASIANI TITI DOMITIANI TEMPORUM IURIS CONSULTI.

1. Servilius. — 2. Pegasus. — 3. Octavenus. — 4. Plautius. — 5. Aufidius Chius. — 6. Puteolanus. — 7. Campanus. — 8. Vivianus — 9. Caelius Sabinus. — 10. Iuventius Celsus (pater).

1. SERVILIUS

iuris peritus a Terentio Clemente laudatus, qui Proculi sententiam refert, ceterum nobis ignotus. fortasse in numero eorum scriptorum habendus est, qui principalium iuris consultorum responsa collegerunt.

... libri.

De libertorum bonis.

D. 37, 14, 10. Terentius Clemens libro nono ad legem Iuliam et Papiam (P. 22). — Eum qui capitis pat*er*num libertum[1] accusasset, excludi a bonorum possessione contra tabulas placuit. Labeo existimabat capitis accusationem eam esse, cuius poena mors aut exilium esset. qui nomen detulit, accusasse intellegendus est, nisi abolitionem petit. idque etiam Proculo placuisse Servilius refert.

1 *Flor.* eum patronum qui capitis libertum.

2. PEGASUS

'filius trierarchi, ex cuius liburnae parasemo nomen accepit' (schol. Iuv. 4, 77), consul suffectus cum Pusione temporibus Vespasiani (Gai. 1, 31. 2, 254. I. 2, 23, 5), provinciis pluribus praefuit (schol. l. c.), praefectus urbi temporibus Domitiani (D. 1, 2, 2, 53. schol. l. c.), interpres legum sanctissimus temporibus diris (Iuv. 4, 77). 'iuris studio gloriam memoriae meruit, ut liber vulgo, non homo diceretur'. Proculo successit (Pomp. § 52), successorem habuit Celsum. ad praeceptorem fortasse respiciunt haec: 'putabat' D. 39, 5, 19, 6; 'solitus fuerat distinguere' D. 31, 43, 1.

In aliis secutus est Trebatium (D. 41, 1, 41), Tuberonem (D. 33, 7, 12, 3. 46, 3, 95, 7), Labeonem (D. 33, 7, 12, 3. 46, 3, 95, 7), Nervam (D. 33, 8, 6, 4), Sabinum (D. 12, 5, 4 pr.), Cassium (D. 7, 1, 12, 2. 2, 1, 11, 2), Proculum (D. 1, 9, 7, 1. 3, 5, 17. 15, 1, 30 pr. 41, 1, 27, 2), in aliis reliquit Sabinum (D. 45, 1, 115, 2) et Cassium (D. 33, 7, 12, 16). sententiae eius laudantur cum in libris ad Sabinum a Pomponio (D. 7, 1, 12, 2. 41, 1, 27, 2) et Ulpiano (D. 28, 5, 19. 1, 9, 4. 7, 1, 25, 4. 23, 7, 12, 3. 16. 18. 23, 8, 6, 4) et in Pomponii libris ad Q. Mucium (D. 31, 43, 2) et in Ulpiani libris ad legem Iuliam et Papiam (D. 1, 9, 7, 1), tum in libris ad edictum Gai (D. 2, 1, 11, 2), Pauli (D. 3, 5, 17), Ulpiani (D. 3, 2, 2, 5. 41, 1, 41. 4, 8, 21, 10. 5, 4, 1, 3. 6, 1, 9. 9, 2, 5, 2. 9, 2, 7, 2. 12, 5, 4 pr. 14, 1, 1, 8. 15, 1, 30 pr. 15, 2, 1, 7. 39, 5, 16, 6). accedunt Iuliani libri Digestorum (D. 7, 1, 25, 7), Fideicommissorum Valentis (D. 32, 12), Quaestionum Papiniani (D. 45, 1, 115, 2. 46, 3, 97, 7), Institutionum Gai (3, 64).

Iulianum Pegasi quandam sententiam secutum esse Ulpianus docet (D. 7, 1, 25, 7). at eiusdem sententiam quandam aperte falsam esse Gaius existimat (l. c.).

Inter res a Pegaso tractatas maxime notabiles hae sunt: senatusconsultum Lupo et Largo consulibus a. 42 factum ita interpretatus est, 'ut in bonis Latinorum eodem

iure utamur, quo utimur in hereditate civium Romanor libertinorum' (Gai. 3, 64). respondit de iis qui quaes causa in certamina descendunt (D. 3, 2, 2, 5); de magis navis, qui mutuam pecuniam sumpserit (D. 14, 1, 1, de statulibero, cui peculium legatum sit cuique he interim credidit (D. 33, 8, 8 pr.); de libertate servo reli et herede rogato, 'ut eum artificium doceat, unde se tu possit' (D. 32, 12); de eo qui onere onustus ita lap est, ut servum alienum onere presserit (D. 9, 2, 7, 2); furioso qui damnum dederit (D. 9, 2, 5, 2); de fic commissis eorumque fructibus praestandis (D. 31, 43, de eo a quo res vindicari possit (D. 6, 1, 9); de eo tibi centum spoponderit, si iurasses te nomen eius latur (D. 39, 5, 19, 6); de arbitro, qui litigatores non in ur sed in loco circa urbem adesse iusserit (D. 4, 8, 21, 1

Cum Pegasus saepe cum aliis iurisconsultis coniunct laudetur, Ulpianus semel ei priorem locum attribuit eumq ante Nervam filium (Ulp. Dig. 3, 2, 2, 5).

Cum praeter eas sententias, quae diserte Peg tribuuntur, alias quoque et generali nomine insignes e esse certum sit, in quibus fragmentis Proculianor sententiae laudantur, eorum pleraque ad Pegasum quoq referenda esse Lenel P. II col. 9 n. 1 existimat. sed c Sabinianos vel Proculianos qui vocantur non in omnil rebus vel Sabinum vel Proculum secutos esse consentane sit nec quod vel Proculianis placere traditur vel quod versae scholae auctores existimare Gaius docet, idem stat et Pegaso verum videri debuerit, ea tantum cum probab tate ad Pegasum referuntur, quae non Proculum solum, ceteros quoque eiusdem scholae auctores putare Gaius Venuleius tradunt, id quod 2, 15, 195. D. 45, 1, 138 pr.

I. Senatusconsulta Pegaso consule facta.

1. *De iure adipiscendae civitatis.*

Gai. 1, 31. — . . ius adipiscendae civitatis Romar etiamsi soli minores triginta annorum manumissi

Latini facti ex lege Aelia Sentia habuerunt, tamen postea senatusconsulto quod Pegaso et Pusione consulibus factum est, etiam maioribus triginta annorum manumissis Latinis factis concessum est.

2. *De fideicommissis.*

1. Gai. 2, 254. — .. quia heredes scripti cum aut totam hereditatem aut paene totam plerumque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum aut minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa, postea (sc. post senatusconsultum Trebellianum) Pegaso et Pusione ⟨consulibus⟩ senatus censuit, ut ei qui rogatus esset hereditatem restituere, proinde liceret quartam partem retinere, atque e lege Falcidia in legatis retinere conceditur.

2. Gai. 2, 258. — .. si recuset scriptus heres adire hereditatem ob id quod dicat eam sibi suspectam esse quasi damnosam, cavetur Pegasiano senatusconsulto, ut desiderante eo cui restituere rogatus est, iussu praetoris adeat et restituat, proindeque ei et in eum qui receperit ⟨hereditatem⟩, actiones dentur, ac iuris est ex senatusconsulto Trebelliano ...

cf. I. 2, 23, 5. '.. Vespasiani Augusti temporibus Pegaso et Pusione consulibus senatus censuit ut ...' sequuntur Gai verba supra allata.

3. Gai. 2, 286a. — .. orbi qui per legem Papiam dimidias partes hereditatum legatorumque perdunt, olim solida fideicommissa videbantur capere posse. sed postea senatusconsulto Pegasiano proinde fideicommissa quoque ac legata hereditatesque capere posse prohibiti sunt; eaque translata sunt ad eos qui ⟨in eo⟩ testamento liberos habent, aut si nullus liberos habebit, ad populum, sicut iuris est in legatis et in hereditatibus, quae eadem aut simili ex cau⟨sa caduca fiunt⟩

II. Responsa.

Ea tantum hoc loco proposui, quae diserte resp designantur. quamquam Pegasi responsa postea l tradita esse satis apparet, tamen num ipse ea in l redegerit, cognosci nequit.

De Latinorum hereditate.

1. Gai. 3, 63, 64. — .. Lupo et Largo consul senatus censuit, ut bona Latinorum primum ad pertinerent, qui eos liberasset; deinde ad liberos eo non nominatim exheredatos, uti quisque proximus es tunc antiquo iure ad heredes eorum, qui liberass pertinerent. quo senatusconsulto quidam ⟨id⟩ ac esse putant, ut in bonis Latinorum eodem iure utar quo utimur in hereditate civium Romanorum lib norum. idque maxime Pegaso placuit.

Gaius addit: 'quae sententia aperte falsa est. civis Romani liberti hereditas numquam ad extra patroni heredes pertinet, bona autem Latinorum e ex hoc ipso senatusconsulto non obstantibus liberis m missoris etiam ad extraneos heredes pertinent.'

De hereditatis petitione.

2. D. 5, 4, 1, 3. Ulpianus libro quinto (?) edictum (P. 538). — Si ego ex parte me dicam h dem, coheres autem meus possideat hereditatem (extraneo, cum non plus coheres haberet sua pa utrum a solo extraneo an vero et a coherede debe petere hereditatem, quaeritur. et Pegasus fertur ex masse a solo extraneo me petere debere eumque stituturum quidquid possidet.

De legatis.

3. D. 7, 1, 12, 2. Ulpianus libro septimo dec ad Sabinum (P. 2572). — Usufructuarius vel ipse

ea re vel alii fruendam concedere vel locare vel vendere potest; nam et qui locat utitur, et qui vendit utitur. sed et si alii precario concedat vel donet, puto eum uti atque ideo retinere usum fructum, et hoc Cassius et Pegasus responderunt.

4. D. 33, 8, 8 pr. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2680[b]). — .. Pegasus respondit, si statulibero, cui peculium legatum sit, heres interim crediderit, id ipso iure detrahi et corpora singula etiam per hoc aes alienum deminui.

De nuptiis?

5. D. 3, 2, 2, 5. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 279[a]). — Eos .., qui quaestus causa in certamina descendunt, et omnes propter praemium in scaenam prodeuntes famosos esse Pegasus et Nerva filius responderunt.

cf. D. 1, 9, 7, 1 infra p. 206.

De verborum obligatione.

6. D. 45, 1, 115, 2. Papinianus libro secundo Quaestionum (P. 79). — .. si quis ita stipuletur 'si Pamphilum non dederis, centum dari spondes?' Pegasus respondit non ante committi stipulationem, quam desisset posse Pamphilus dari. Sabinus autem existimabat et q. s.

De condictione.

7. D. 12, 5, 4 pr. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 773[b]). — Idem si ob stuprum datum sit, vel si quis in adulterio deprehensus redemerit se; cessat enim repetitio, idque Sabinus et Pegasus responderunt.

III. . . . libri.

De adquirenda hereditate.

1. D. 28, 5, 19. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2489). — Ex facto .. agitatum Pomponius

et Arrianus deferunt, si quis vacua parte relicta ita instituerit 'si mihi Seius heres non erit', quem non instituerat, 'Sempronius heres esto', an hic occupare possit vacantem portionem. et Pegasus .. existimat ad eam partem admitti.

De legato per vindicationem.

2. Gai. 2, 195. — .. Nerva .. et Proculus ceterique illius scholae auctores non aliter putant rem (sc. per vindicationem legatam) legatarii fieri, quam si voluerit eam ad se pertinere.

De usufructu legato.

3. D. 7, 1, 9, 4. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2559). — ... si insula iuxta fundum in flumine nata sit, eius usum fructum ad fructuarium non pertinere Pegasus scribit, licet proprietati accedat; esse enim veluti proprium fundum, cuius usus fructus ad te non pertineat.

4. D. 7, 1, 25, 7. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2587[b]). — Quod . . diximus ex re fructuarii vel ex operis posse adquirere, utrum tunc locum habeat, quotiens iure [legati] usus fructus sit constitutus, an et si per traditionem vel stipulationem vel alium quemcumque modum, videndum. et .. est Pegasi sententia, ... omni fructuario adquiri.

De instrumento legato.

5. D. 33, 7, 12, 3. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). — Quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur. et Labeo et Pegasus .. negaverunt, quia non pro instrumento in fundo fuerat, etiamsi solitus fuerat et familiae imperare.

6. Ibid. § 16. — Si domus sit instrumentum legatum, videndum quid contineatur. et Pegasus ait

instrumentum domus id esse, quod tempestatis arcendae aut incendii causa paratur, non quod voluptatis gratia. itaque neque specularia neque vela, quae frigoris causa vel umbrae in domo sunt, deberi. quae sententia Cassii fuit.

7. Ibid. § 18. — Acetum quoque, quod exstinguendi incendii causa paratur, item centones sifones[1] et formiones et spongias et amas et scopas contineri plerique et Pegasus aiunt.

De peculio legato.

8. D. 33, 8, 6, 4. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2680). — An et quod dominus scripsisset se servo debere, peculio legato cederet? Pegasus negat; idem Nerva.

9. D. 15, 2, 1, 7. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 859). — ... si cum peculio vel legavit vel liberum esse iussit (sc. servum), quaestionis fuit (sc. an in alienatione accipiendum sit). et mihi verius videtur non dandam neque in manumissum neque in eum cui legatum sit peculium, de peculio actionem. an ergo teneatur heres? et ait Caecilius (Caelius?) teneri, quia peculium penes eum sit, qui tradendo id legatario se liberavit. Pegasus autem caveri heredi debere ait ab eo, cui peculium legatum sit, quia ad eum veniunt creditores.

De fideicommissis.

10. D. 31, 43, 2. Pomponius libro tertio ad Quintum Mucium (P. 228). — Pegasus solitus fuerat distinguere, si in diem fideicommissum relictum sit, veluti post annos decem, interesse, cuius causa tempus dilatum sit, utrumne heredis, quo casu heredem fructum retinere debere, an legatarii, veluti si in tempus pubertatis ei qui impubes sit fideicommissum relictum

1 *Fl.* perticae quoque et scalae *ex § 22 huc illata.*

sit; tunc enim fructus praestandos et antecedent temporis.

Gai. 2, 280. '.. fideicommissorum usurae et fruct debentur, si modo moram solutionis fecerit qui fide commissum debebit.'

11. D. 32, 12. Valens libro primo Fideicommisso rum (P. 2). — 'Stichus liber esto, et ut eum here artificium doceat, unde se tueri possit, peto'. Pegasu inutile fideicommissum esse ait, quia genus artific adiectum non esset.

De nuptiis.

12. D. 1, 9, 7, 1. Ulpianus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 1977^{b}). — .. Labeo scribit etiam eum, qui post mortem patris senatoris natus sit, quas senatoris filium esse. sed eum, qui posteaquam pater eius de senatu motus est concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur non esse quasi senatoris filium.

De donationibus.

13. D. 39, 5, 19, 6. Idem (sc. Ulpianus) libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1689). — .. Pegasus putabat, si tibi centum spopondero hac condicione, si iurasses te nomen meum laturum, non esse donationem, quia ob rem facta et[1] res secuta est.

De adquirendo rerum dominio.

14. Gai. 2, 15. — .. quod diximus ⟨ea animalia quae domari solent,⟩ mancipii esse, ⟨quomodo intellegendum sit, quaeritur, quia non statim ut nata sunt domantur. et ...⟩ ... Nerva .. et Proculus et ceter diversae scholae auctores non aliter ea mancipii esse putant, quam si domita sunt; et si propter nimiam feritatem domari non possunt, tunc videri mancipi

1 *Fl.* est.

esse incipere, cum ad eam aetatem pervenerint, qua domari solent.

15. D. 41, 1, 41. Ulpianus libro nono ad edictum (P. 332). — Statuas in civitate positas civium non esse, idque Trebatius et Pegasus; dare tamen operam praetorem oportere, ut, quod ea mente in publico positum est, ne liceret privato auferre nec ei qui posuerit.

16. D. 41, 1, 27, 2. Pomponius libro trigensimo ad Sabinum (P. 750). — Cum partes duorum dominorum ferrumine cohaereant, hae cum quaereretur utri cedant, Cassius ait pro portione rei aestimandum vel pro pretio cuiusque partis. sed si neutra alteri accessioni est, videamus, ne aut utriusque esse dicenda sit, sicuti massa confusa, aut eius, cuius nomine ferruminata est. sed Proculus et Pegasus existimant suam cuiusque rem manere.

De rei vindicatione.

17. D. 6, 1, 9. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 551). — Officium .. iudicis in hac actione (sc. rei vindicatione) in hoc erit, ut iudex inspiciat, an reus possideat. nec ad rem pertinebit, ex qua causa possideat; ubi enim probavi rem meam esse, necesse habebit possessor restituere, qui non obiecit aliquam exceptionem. quidam tamen, ut Pegasus, eam solam possessionem putaverunt hanc actionem complecti, quae locum habet in interdicto uti possidetis vel utrubi. denique ait ab eo, apud quem deposita est vel commodata vel qui conduxerit aut qui legatorum servandorum causa vel dotis ventrisve nomine in possessione esset vel cui damni infecti nomine non cavebatur, quia hi omnes non possident, vindicari non posse.

De stipulationibus.

18. D. 45, 1, 138 pr. Idem (sc. Venuleius) libro quarto Stipulationum (P. 60). — Eum qui certarum

nundinarum diebus dari stipuletur, primo die petere posse Sabinus ait. Proculus autem et ceteri diversae scholae auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum spatio superesset, peti ⟨non⟩ posse existimant.

19. D. 46, 3, 95, 6. 7. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo octavo Quaestionum (P. 340). — Usum fructum mihi aut Titio dari stipulatus sum. Titio capite deminuto facultas solvendi Titio non intercidit, quia et sic stipulari possumus 'mihi aut Titio, cum capite minutus erit, dari;' nam si furiosi vel pupilli persona adiecta sit, ita tutori vel curatori pecunia recte dabitur, si condicionis quoque implendae causa recte pecunia tutori vel curatori datur. quod quidem Labeo et Pegasus putaverunt utilitatis causa recipiendum.

De negotiis gestis.

20. D. 3, 5, 17. Paulus libro nono ad edictum (P. 190). — Proculus et Pegasus bonam fidem eum, qui in servitute gerere coepit, praestare debere aiunt; ideoque quantum, si alius eius negotia gessisset, servare potuisset, tantum eum, qui a semet ipso non exegerit, negotiorum gestorum actione praestaturum, si aliquid habuit in peculio, cuius retentione id servari pot*uit*[1].

De peculio.

21. D. 15, 1, 30 pr. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 861). — Quaesitum est, an teneat actio de peculio, etiamsi nihil sit in peculio cum ageretur, si modo sit rei iudicatae tempore. Proculus et Pegasus nihilo minus tenere[2] aiunt [intenditur enim recte, etiamsi nihil sit in peculio]. idem et circa ad exhibendum et in rem actionem placuit.

Ulp. addit 'quae sententia et a nobis probanda est', ita ut extremis verbis Proculi et Pegasi sententia videatur subesse.

1 *Fl.* potest. 2 *Fl.* teneri.

De exercitoria actione.

22. D. 14, 1, 1, 8. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 816). — Quid si mutuam pecuniam sumpserit (sc. magister navis), an eius rei nomine videatur gestum? et Pegasus existimat, si ad usum eius rei, in quam praepositus est, fuerit mutuatus, dandam actionem.

Gai. 4, 71. '... exercitoria (sc. actio) locum habet, cum pater dominusve filium servumve magistrum navi praeposuerit, et quid cum eo eius rei gratia cui praepositus fuerit, gestum erit.'

Ad legem Aquiliam.

23. D. 9, 2, 5, 2. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 613[c]). — .. quaerimus, si furiosus damnum dederit, an legis Aquiliae actio sit? et Pegasus negavit; quae enim in eo culpa sit, cum suae mentis non sit?

24. D. 9, 2, 7, 2. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[a]). — .. si lapsus aliquis servum alienum onere presserit, Pegasus ait lege Aquilia eum teneri ita demum, si vel plus iusto se oneraverit vel neglegentius per lubricum transierit.

De iurisdictione?

25. D. 2, 1, 11, 2. Gaius libro primo ad edictum provinciale (P. 56). — Si una actio communis sit plurium personarum, veluti familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, utrum singulae partes spectandae sunt circa iurisdictionem eius qui cognoscit, quod Ofilio et Proculo placet, quia unusquisque de parte sua litigat, an potius tota res, quia et tota res in iudicium venit et vel uni adiudicari potest, quod Cassio et Pegaso placet.

De arbitris.

26. D. 4, 8, 21, 10. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 460). — Si arbiter iussit puta in provincia adesse litigatores, cum Romae esset in eum compromissum, an ei impune non pareatur, quaeritur. ... quid .. si in eo loco, qui sit circa urbem, adesse iusserit? Pegasus admittit valere iussum.

---

3. OCTAVENUS

iuris peritus, qui cum senatusconsulti Pegasiani rationem habeat D. 36, 1, 69, ipse ab Aburnio Valente et a Pomponio (D. 36, 1, 69 pr. D. 19, 1, 55), idque una cum Aristone ('Aristo et Octavenus putabant' D. 40, 5, 20) laudetur, Vespasiani fere aetatis vixit, ceterum nobis ignotus, qui non respondendo, sed fortasse iuri docendo, certe libris scribendis operam dedit, Sabini, ut conicere licet, auditor.

Sententiarum maior pars de servis vel libertis est. praeterea Octavenus cum de peregrinis manumissoribus dixit tum legem Iuniam Norbanam ad eos non pertinere probavit (Dosith. § 12), ut nesciam, an non tam cives quam provinciales auditores habuerit; illa enim aetate adulescentes ex provincia oriundos Romae iuri civili operam dedisse constat. Philostr. in vita Apoll. Tyan. 7, 42. cf. Karlowa I p. 674.

Quod Pomponius, qui Octaveni diligenter rationem habuit, non modo quod 'scripsit' (D. 30, 9), sed etiam quae 'putabat' (D. 19, 1, 55. 40, 5, 20) vel 'aiebat' (D. 40, 4, 61, 2), Valens autem, quod Octaveno 'videbatur' (D. 36, 1, 69 pr.)[1] refert, uterque fortasse inter Octaveni auditores habendus est.

1 Quae Ulpianus et Marcianus repetunt 'Octavenus putabat', 'dicebat' (D. 40, 7, 9, 2. 20, 3, 1, 2), e Pomponio videntur petita esse: D. 5, 3, 16 pr.

... libri.

cf. Ferrini: Rendiconti del istit. Lomb. serie II vol. XX. Libros Octavenum composuisse Pomponius (D. 30, 9 'Octavenus scripsit') et Ulpianus (D. 9, 2, 27, 25. 26 'Octavenus .. adicit ... idem ... scribit') ita probant, ut neque nomen neque argumentum appareat ac ne id quidem cognoscatur, utrum plura opuscula an unum opus composuerit. cf. Karlowa I, 702. quod si unum opus fuisse statuamus, eiusdem fere id generis fuisse consentaneum est, atque Plautii (v. infra p. 219), cum non modo de iure civili, sed etiam de iure honorario dictum sit. ceterum aliorum sententias Octavenum rettulisse et examinasse his locis comprobatur: D. 7, 8, 12, 6 'idem et Octavenus probat'. fr. Dosith. 12 'sicut et Octavenus probat'. D. 40, 9, 30, 2 'idem Octavenus probat et adicit'. D. 9, 2, 27, 25 'Octavenus ... adicit'.

1. Ad ius civile.

De legatis et fideicommissis.

1. D. 30, 9. Idem (sc. Pomponius) libro tertio ad Sabinum (P. 419). — Id quod apud hostes est legari posse Octavenus scripsit et postliminii iure consistere.

cf. Sabinus D. 30, 104, 2. de legato per damnationem Sabinus, Octavenus de legato per vindicationem ait.

2. D. 36, 1, 69 pr. Valens libro tertio Fideicommissorum (P. 12). — Si postulante me suspectam hereditatem ex decreto praetoris adieris nec ego postea eam mihi restitui velim nec bonis me immiscere, hoc fieri debet, ut, quod Octaveno ... videbatur, a praetore perinde actiones in me dentur, ac si hereditatem recepissem.

Valens addit 'quod est iustius'.

De libertate relicta.

3. D. 40, 4, 61, 2. Pomponius libro undecimo Epistularum (P. 200). — .. Octavenus aiebat, si quis

in testamento sub qualibet condicione libertate servo data ita scripsisset 'ante condicionem nolo eum ab herede liberum fieri', nihil valere hanc adiectionem.

4. D. 40, 5, 20. Pomponius libro septimo Epistularum (P. 190). — Apud Iulianum ita scriptum est: 'si heres rogatus servum manumittere ex Trebelliano senatus consulto hereditatem restituerit, cogi debebit manumittere, et, si latitabit vel si iusta ex causa aberit, praetor causa cognita secundum senatus consulta ad eas causas pertinentia pronuntiare debebit. si vero servum usuceperit is, cui hereditas restituta fuerit, ipsum [competit] manumittere et eadem in personam eius observari conveniet, quae circa emptores custodiri solent'. an haec vera putes? ... Aristo et Octavenus putabant hunc servum, de quo quaereretur, fideicommissae hereditatis non esse, quia testator rogando heredem, ut eum manumitteret, non videtur de eo restituendo sensisse.

De manumissionibus.

5. D. 40, 1, 13. Pomponius libro primo ex Plautio (P. 327). — Servus furiosi ab adgnato curatore manumitti non potest, quia in administratione patrimonii manumissio non est. si autem ex fideicommissi causa deberet libertatem furiosus, dubitationis tollendae causa ab adgnato *mancipa*ndum[1] servum, ut ab eo cui *mancipa*tus[2] esset manumittatur, Octavenus ait.

6. Fr. Dosith. 12. — Peregrinus manumissor servum non potest ad Latinitatem perducere, quia lex Iunia, quae Latinorum genus introduxit, non pertinet ad peregrinos manumissores, sicut et Octavenus probat.

De operis libertorum.

7. D. 40, 9, 32, 2. Idem (sc. Terentius Clemens) libro octavo ad legem Iuliam et Papiam (P. 21). —

1 *Trib.* tradendum.
2 *Trib.* traditus.

Is, qui operas aut in singulas eas certam summam promisit, ad hanc legem (sc. Aeliam Sentiam) non pertinet, quoniam operas praestando potest liberari. idem Octavenus probat et adicit: obligare sibi libertum, ut mercedem operarum capiat, is intellegitur, qui hoc solum agit, ut utique mercedem capiat, etiamsi sub titulo operarum eam stipulatus fuerit.

cf. D. 7, 8, 12, 6 infra fr. 10.

De emptione venditione.

8. D. 18, 6, 8 pr. Idem (sc. Paulus) libro trigensimo tertio ad edictum (P. 513). — Necessario sciendum est, quando perfecta sit emptio; tunc enim sciemus, cuius periculum sit; nam perfecta emptione periculum ad emptorem respiciet. et si id quod venierit appareat quid quale quantum sit, sit et pretium, et pure venit, perfecta est emptio. quod si sub condicione res venierit, si quidem defecerit condicio, nulla est emptio, sicuti nec stipulatio. quod si exstiterit, Proculus et Octavenus emptoris esse periculum aiunt.

9. D. 19, 1, 55. Pomponius libro decimo Epistularum (P. 197). — Si servus, qui emeretur vel promitteretur, in hostium potestate sit, Octavenus magis putabat valere emptionem et stipulationem, quia inter ementem et vendentem esset commercium; potius enim difficultatem in praestando eo inesse, quam ⟨eum non esse⟩ in ⟨rerum⟩ natura, etiamsi officio iudicis sustinenda esset eius praestatio, donec praestari possit.

De locatione conductione.

10. D. 7, 8, 12, 6. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2579). — ... Labeo putat, si fundum conduxerit quis, usuarium servum posse ibi operari. ... quare et si lanam conduxerit usuarius expediendam, poterit etiam per usuarias ancillas opus perficere, idemque, si vestimenta texenda redemerit vel insulam

vel navem fabricandam, poterit ad haec operis uti usuarii. nec offendetur illa Sabini sententia ancillae usu dato ad lanificium eam non mitti nec ex operis mercedem capi, sed sibi lanam facere iure cogere; sibi enim facere videtur, qui non operas eius locavit, sed opus quod conduxit expediit. idem et Octavenus probat.

cf. supra fr. 7.

De nuptiis.

11. D. 23, 2, 44. Paulus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 929). — Lege Iulia ita cavetur: '... cuiusve pater materve artem ludicram facit fecerit' ... nec distinguitur, pater in potestate habeat filiam nec ne. tamen iustum patrem intellegendum Octavenus ait, matrem etiam si vulgo conceperit.

12. D. 23, 2, 43 pr. 3. Ulpianus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 1979). — Palam quaestum facere dicemus non tantum eam, quae in lupanario se prostituit, verum etiam si qua ... in taberna cauponia vel qua alia pudori suo non parcit. palam autem sic accipimus: passim, hoc est sine dilectu; non si qua adulteris vel stupratoribus se committit, sed quae vicem prostitutae sustinet. item quod cum uno et altero pecunia accepta commiscuit, non videtur palam corpore quaestum facere. Octavenus tamen . . ait etiam eam, quae sine quaestu palam se prostituerit, debuisse his connumerari (sc. quae lege Iulia notantur, quas senatores liberique eorum prohibentur uxores ducere).

Lenel supplet 'sc. quae corpore palam quaestum faciunt'.

De furtis.

13. D. 47, 2, 67, 1. Paulus libro septimo ad Plautium (P. 1141). — Si is, cui res subrepta sit, dum apud furem sit, legaverat eam mihi ⟨per vindicationem⟩, an, si postea fur eam contrectet, furti actionem habeam?

et secundum Octaveni sententiam mihi soli competit furti actio, cum heres suo nomine non habeat, quia, quacumque ratione dominium mutatum sit, domino competere furti actionem constat.

De lege Aquilia.

14. D. 9, 2, 27, 25. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625). — Si olivam inmaturam decerpserit vel segetem desecuerit immaturam vel vineas crudas, Aquilia tenebitur; quod si iam maturas, cessat Aquilia; nulla enim iniuria est, cum tibi etiam impensas donaverit, quae in collectionem huiusmodi fructuum impenduntur. sed si collecta haec interceperit, furti tenetur. Octavenus in uvis adicit, *nisi*, inquit, *in terram uvas proiecit, ut effunderentur.*

Quod Octavenus 'in uvis adicit', ad Vivianum videtur adiecisse. Krueger p. 158 n. 99.

cf. Gai. 3, 182 'si in oliveto olivarum, in vineto uvarum furtum factum est'.

15. D. ibid. § 26. — Idem et in silva caedua scribit (sc. Octavenus), ut, si immatura, Aquilia teneatur, quod si matura interceperit, furti teneri eum et arborum furtim caesarum.

16. D. ibid. § 27. — Si salictum maturum ita, ne stirpes laederes, *secu*eris[1], cessare Aquiliam.

cf. Cassium D. 33, 7, 12, 11 (supra p. 48).

De noxalibus actionibus.

17. D. 9, 4, 26, 5. Paulus libro octavo decimo ad edictum (P. 289[b]). — ... si negaveris servum in tua potestate esse, postea fateri poteris, nisi si iam lis adversus te contestata est; nam tunc audiri non debebis, ut Labeo ait. Octavenus ex causa etiam lite contestata tibi succurrendum, utique si aetas tua ea sit, ut ignosci tibi debeat.

1 *Fl.* tuleris.

18. D. 40, 7, 9, 2. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2701). — Illud tractatum est, an liberatio contingat ei qui noxae dederit statuliberum et Octavenus putabat liberari. et idem dicebat et si ex stipulatu Stichum deberet eumque statuliberum solvisset; nam et si ante solutionem ad libertatem pervenisset, extingueretur obligatio tota; ea enim in obligatione consistere, quae pecunia lui praestarique possunt, libertas autem pecunia lui non potest nec reparari potest.

De acceptilatione.

19. D. 46, 4, 8, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragensimo octavo ad Sabinum (P. 2954). — Servus communis sicut uni ex dominis stipulari potest, ita etiam acceptum rogare uni ex dominis potest eumque in solidum liberat; et ita Octavenus putat.

cf. Gai. 3, 167. 172.

De in rem actione.

De hereditatis petitione.

20. D. 5, 3, 18 pr. Ulpianus libro quinto decimo ad edictum (P. 513c). — .. videndum, si possessor hereditatis venditione per argentarium facta pecuniam apud eum perdiderit, an petitione hereditatis teneatur quia nihil habet nec consequi potest. et[1] Labeo putat eum teneri, quia suo periculo male argentario credidit: sed Octavenus ait nihil eum praeter actiones praestaturum, ob has igitur actiones petitione hereditatis teneri.

21. D. 5, 3, 16 pr. Ulpianus libro quinto decimo ad edictum (P. 513b). — Quod si in diem sit debitor vel sub condicione, a quo petita est hereditas, non debere eum damnari. rei plane iudicatae tempus spectandum esse secundum Octaveni sententiam, ut apud Pomponium scriptum est, an dies venerit.

1 *Fl.* sed.

De servitutibus.

22. D. 8, 6, 2. Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 355). — Qui iter et actum habet, si *biennio*[1] tantum ierit, non perisse actum, sed manere Sabinus Cassius Octavenus aiunt; nam ire quoque per se eum posse qui actum haberet.

2. Ad ius honorarium.

De albo corrupto.

23. D. 2, 1, 9. Paulus libro tertio ad edictum (P. 108). — Si familia alicuius album corruperit, non similiter hic edicitur ut in furto, ne in reliquos actio detur, si tantum dominus, cum defendere voluit, unius nomine praestiterit, quantum liber praestaret ... Octavenus hic quoque domino succurrendum ait.

Paulus addit: 'sed hoc potest dici, si dolo malo curaverint, ut ab alio album corrumperetur, quia tunc unum consilium sit, non plura facta. idem Pomponius libro decimo notat.'

cf. Lenel Edict. p. 46 et 267.

De vadimonio concipiendo.

24. D. 6, 1, 6. Paulus libro sexto ad edictum (P. 152). — Si in rem aliquis agat, debet designare rem, et utrum totam an partem et quotam petat; appellatio enim rei non genus, sed speciem significat. Octavenus ita definit, quod infectae quidem materiae pondus, signatae vero numerum, factae autem speciem dici oportet.

Paulus addit: 'sed et mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur.'

cf. 47, 2, 19, 2 Ulp. ad Sab. 'Quod si quis argentum infectum petat, et massam argenteam dicere et pondus debebit ponere. signati argenti numerum debebit complecti.'

1 *Trib.* statuto tempore.

Qui arbitrium receperint, ut sententiam dicant.

25. D. 4, 8, 32, 8. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 251[c]). — Si servus compromiserit, non cogendum dicere sententiam arbitrum, nec si dixerit, poenae exsecutionem dandam de peculio putat Octavenus.

cf. Nerva filius D. 15, 1, 3, 8 (supra p. 8).

26. Fragm. de formula Fabiana (Collect. libr. III p. 300). — ... de illo quaeritur, si pro muliere dotem dederit, quis teneatur hac formula. sed in proposito et Iavolenus confitetur cum viro actionem esse et id *in rei* uxoriae *actionem* dissoluto matrimonio non venire. Octavenus manente quidem matrimonio posse agi cum marito et post divortium, antequam dotem reddat; quod si redd*id*erit, cum muliere, et si quid retinuerit maritus, cum utroque.

Si quid contra legem senatusve consultum factum esse dicetur.

27. D. 20, 3, 1, 2. Marcianus libro singulari ad formulam hypothecariam (P. 35). — ... si praedium quis litigiosum pignori acceperit, an exceptione summovendus sit? et Octavenus putabat etiam in pignoribus locum habere exceptionem.

Marcianus addit: 'quod ait Scaevola ... procedere, ut in rebus mobilibus exceptio locum habeat'.

Agitur de exceptione ex edicto Augusti, quo litigiosus fundus a non possidente comparari prohibetur (fr. de iure fisci § 8), danda (Gai. 4, 117[h]. cf. Lenel Edict. p. 406). fortasse de fiducia Octavenus dixit.

---

4. PLAUTIUS

iuris peritus Cassio et Proculo minor natu, ceterum nobis ignotus, qui iuris consultorum responsis colligendis et digerendis operam videtur dedisse. certe ipsius responsa non traduntur.

Digestorum (?) libri.

De Plautii opere v. Ferrini: Z. d. Sav.-St. VII 86, fusius Rendiconti del R. istit. Lomb. ser. II vol. XVIII et Riccobono: Bullettino dell' Istituto VI 119.

Operis a Plautio compositi et argumenti et nominis et librorum numeri memoria evanuit. 'ex Plautio' autem scripserunt Traiano, ut conicere licet, principe Iavolenus Priscus libros V (P. 142—159), Hadriano, ut videtur, principe Neratius Priscus aliquot libros (P. 64), Antonino Pio vel Divis fratribus Pomponius libros VII (P. 326—371), denique 'ad Plautium' Iulius Paulus tempore non satis explorato libros XVIII (P. 1071—1247).[1] quibus operibus Tribonianus in componendis novis Digestis usus est, exceptis Neratii libris, quorum nisi in Ulpiani fragmento uno (D. 8, 3, 5, 1) mentio non fit. reliqua opera etiam in auctorum indice nominantur ('Iavolenu ad Plautium *βιβλία πέντε*'. '*Πομπωνίου* ad Plautium *βιβλία ἑπτά*'. '*Παύλου* ad Plautium *βιβλία δέκαοκτώ*').

De librorum ad Plautium iis fragmentis videndum est, quibus non diserte vel satis certe Plautii verba exprimuntur idque quatenus priorum iuris consultorum mentio fiat.

Atque Neratii fragmentum unum illud ab Ulpiano allatum ita redditur (D. 8, 3, 5, 1): 'Neratius libris ex Plautio ait ... et hoc Proculum et Atilicinum existimasse ⟨Plautius⟩ ait. sed ipse dicit'.

In Iavoleni fragmentis iuris consultorum priorum nemo laudatur, sed haec tantum leguntur: 'responsum est' (D. 41, 4, 4 pr.), 'ait' nomine omisso (D. 12, 6, 46).

In Pomponii fragmentis haec inveniuntur: 'Ofilius aiebat' (D. 40, 4, 40, 1), 'Labeo ait' (D. 22, 2, 2. 31, 11 pr.),

1 'Ex Plautio' denotantur ab Ulpiano libri Neratii, plerumque Iavoleni quoque et Pomponii (exceptis singulis tantum fragmentis D. 45, 3, 34 'Iavolenus libro secundo ad Plautium' et D. 7, 1, 49 'Pomponius libro septimo ad Plautium'), 'ad Plautium' vero ubique Pauli libri.

'Labeo scribit' (D. 40, 4, 41, 2), 'Labeo libro posteriorum refert' (D. 40, 7, 21), 'Octavenus ait' (D. 40, 1, 13), 'Aristo ait' (D. 28, 2, 40), 'Aristo respondit' (D. 23, 2, 40), 'Iulianus ait' (D. 21, 3, 2. 17, 1, 47 pr. § 1. 40, 4, 40. 12, 1, 8), 'Iuliano placuit' (D. 31, 11, 1), 'Pactumeius Clemens aiebat' (D. 40, 7, 21, 1), 'dictum est' (D. 46, 3, 65).

In Pauli denique fragmentis haec sunt: 'veteres responderunt' (D. 47, 2, 67, 2), 'veteres constituerunt' (D. 45, 1, 91, 2), 'Servius scribit' (D. 8, 6, 7), 'verbum Labeo ita accipiebat' (D. 46, 8, 15), 'Labeo scribit' (D. 29, 2, 73), 'Sabinus ait' (D. 45, 3, 32), 'Sabinus' (D. 40, 7, 20, 3), 'Sabinus Cassius' (D. 5, 1, 28, 5. 12, 1, 31), 'Sabinus et Cassius putant' (D. 9, 4, 31), 'Nerva ait' (D. 23, 3, 56, 3), 'Cassius respondit' (D. 5, 1, 24, 2), 'Cassius scribit' (D. 5, 1, 26 pr.), 'Cassii sententia utimur' (D. 35, 2, 49 pr.), 'Nerva Sabinus Cassius ... aiunt' (D. 18, 1, 57), 'Atilicinus Sabinus Cassius ... aiunt' (D. 45, 2, 17), 'Nerva Atilicinus aiunt' (D. 17, 1, 45, 7), 'Nerva Atilicinus ... aiunt' (D. 34, 3, 16), 'Atilicinus quibusdam placuisse ait' (D. 5, 3, 43), 'Proculus ait' (D. 15, 1, 47, 3), 'Paconius ait' (D. 37, 12, 3 pr.), 'Fulcinius ait' (D. 50, 16, 79), 'secundum Octaveni sententiam' (D. 47, 2, 67, 1), 'Sextus .. Pedius ait' (D. 9, 2, 33 pr.), 'Aristo ait' (D. 19, 4, 2), 'Neratius ait' (D. 18, 1, 57 pr.), 'Neratius scribit' (D. 42, 1, 21), 'Iavolenus scribit' (D. 34, 2, 8), 'Celsus adulescens scribit' (D. 45, 1, 91, 3), 'Laelius scribit' (D. 5, 4, 3), 'Laelius probat' (D. 5, 3, 43), 'Arrianus ait' (D. 44, 7, 47), 'Iulianus ait' (D. 12, 1, 29. 42, 2, 3. 45, 3, 33. 41, 3, 15 pr. 40, 7, 20, 3. 35, 1, 45. 12, 1, 31, 1), 'Iulianus putat' (D. 46, 3, 59. 9, 4, 31. 47, 2, 67 pr. 40, 7, 20, 3. 45, 1, 91, 2), 'Iulianus scribit' (D. 2, 11, 10, 2. 10, 3, 14, 1. 41, 1, 57), 'Iulianus' (D. 29, 2, 74, 4), 'Pomponius scribit' (D. 12, 5, 9, 1. 33, 5, 13, 1. 41, 1, 49. cf. D. 2, 11, 10, 3), 'Pomponio placet' (D. 45, 1, 91, 4), 'Pomponius probat' (D. 9, 4, 31), 'Pomponius' (D. 41, 1, 48), 'Marcellus' (D. 41, 3, 15 pr.), 'Scaevola noster probat' (D. 37, 11, 10), 'quidam aiunt' (D. 35, 1, 44, 8), 'responsum est' (D. 50, 16, 78. 41, 3, 13),

'placuit' (D. 39, 3, 17, 1. 2), 'dictum est' (D. 2, 14, 32. 46, 8, 15).

Eadem est fragmentorum quae Plautio attribuuntur condicio. in his enim similiter talia leguntur: Vat. 77 Ulp. 'omnes .. auctores apud Plautium de hoc consenserunt'. D. 24, 1, 28, 3 Paul. 'apud Plautium placuit'. D. 35, 2, 49 pr. 'Plautius: ... Atilicinus Nerva Sabinus ... Cassius ...' D. 34, 2, 8 'Plautius: ... Cassius ait'. D. 35, 1, 43 pr. 'Plautius: ... Proculus Cassius ... aiunt'. D. 3, 2, 61 'Plautius: ... omnibus placuit'. D. 20, 4, 13 (Plautius) '... Nerva Proculus ...' D. 35, 1, 44, 10 'Plautius: ... constitit'. D. 39, 2, 22, 1 'Plautius: ... constitit'.

Itaque priorum iuris consultorum responsa praecipua quae iam probata erant, et collegisse et digessisse videtur Plautius.

'Man möchte ... annehmen, das Werk des Neratius, Iavolenus, Pomponius ex Plautio, und namentlich Paulus' Werk ad Plautium seien neue Ausgaben von Plautius' Buch gewesen, mit Litteraturnachträgen bis zur Zeit des Herausgebers und mit gelegentlichen selbständigen Ausführungen des letzteren durchsetzt'. Gradenwitz, Z. d. Sav.-St. IX, 401.

Quae fragmenta certo pro Plautii habenda sunt, ea pleraque in Pauli ad Plautium libris relata sunt, scilicet libris I (D. 3, 3, 61), V (D. 20, 4, 13), VIII (D. 35, 1, 43 pr.), IX (D. 34, 2, 8. 35, 1, 44 pr. § 10), X (D. 39, 2, 22, 1), XII (D. 35, 2, 49 pr.). accedunt duo fragmenta ex Pauli Ulpianique libris ad Sabinum, ex Pauli l. VII (D. 24, 1, 28, 3), ex Ulpiani l. XVII (Vat. fr. 77) petita. de rerum ordine a Paulo in libris ad Plautium observato viri docti alius aliud sentiunt, Lenel autem iudicat: 'quod si librorum I—X fragmenta', id est ea, in quibus maxima certorum Plautii fragmentorum pars continetur, 'accuratius inspexeris, minime poteris dubitare, quin hi libri ad edicti perpetui ordinem redacti sint'. at Paulus, qui priorum ad Plautium operibus usus est (scilicet Iavoleni: D. 34, 2, 8 'Plautius: ... Paulus: idem Iavolenus

scribit'; Neratii: D. 18, 1, 57 'Neratius ait'. D. 42, 1, 21 'Neratius scribit'. cf. D. 35, 1, 43, 2 'Neratius libro primo Responsorum scribit'; Pomponii: D. 12, 5, 9. 41, 1, 49 'Pomponius scribit'. D. 41, 1, 48, 1 'Pomponius verendum ne'. D. 9, 4, 31 'quod Pomponius probat'. D. 45, 1, 91, 4. 5 'Pomponio . . placet'. 'Pomponius putat'), in rebus collocandis et a Pomponio et a Iavoleno ita recedit, ut neuter iuris honorarii institutis principalem locum videatur assignasse. Pomponium enim, qui libros ad Plautium Iuliani Digestorum libro XLII iam edito composuit Iulianumque saepius laudat (D. 21, 3, 2. 17, 1, 47 pr. 46. 8, 16. 40, 4, 40 pr. 12, 1, 8. 31, 11, 1), edictum perpetuum a Iuliano ordinatum, ad cuius ordinem idem Digestorum libros I—LVIII composuit, tamen in singulis rebus non secutum esse apparet; Iavolenum autem libro I de legatis disputasse constat.

Eorum inprimis institutorum rationem Plautius habuit, quae iuris civilis sunt: legatorum (de quibus et Iavolenus libro I, Pomponius libro VII, Paulus libris VIII, IX, XI et XII scripserunt et Plautii ipsius nonnulla fragmenta tradita sunt), iuris dotium (de quo non modo Pomponius l. IV et Paulus l. VI disputant, sed etiam Plautii fragmentum exstat), servitutum (de quibus et Neratii unum fragmentum est et Iavolenus videtur disputasse libro III), emptionis venditionis (de qua Iavolenus l. II, Paulus l. V disputant). iuris quoque honorarii accesserunt instituta quaedam. certe de bonorum possessione contra tabulas dixit, de damni infecti stipulatione, de actionibus institoria et de peculio. at, id quod Krueger p. 131 et 159 statuit, iuris honorarii institutis iuris civilis instituta appendicis modo addita esse, rebus ipsis non convenire puto.

Quem rerum ordinem Plautius secutus sit, si omnino, certe non ex Pauli, sed tantum ex Iavoleni libris dispici posse apparet. Iavolenus autem primo libro dixit de legatis, secundo de libertate relicta et de emptione venditione hereditatis (D. 12, 6, 45. 18, 4, 8, 10) et fundi

(D. 18, 2, 19. 41, 4, 4), tertio, ut videtur, de servitutibus praediorum rusticorum (D. 8, 6, 9).

Lenel cum neque Iavoleni neque Pomponii ex Plautio libros cum Pauli librorum ordine convenire intellexisset, 'non unum, sed complura Plautii opera a Paulo esse excerpta' (P. I col. 1147 n. 1) haud feliciter conicit, nam neque notum nec credibile est ullius iurisconsulti plura opera unquam ab uno ex posterioribus in unum quasi corpus coacta esse, neque Plautium praeter Digestorum opus aliud edidisse ullum est indicium. quae cum ita sint, quamquam quem rerum ordinem Plautius secutus sit, accuratius quidem explorari nequeat, tamen eum a Sabiniano ordine non valde alienum fuisse Iavoleni epitome docet.

Iam de iis fragmentis videndum est, quae ex Plautio inprimis in Pauli libros videntur recepta esse. de hac re Krueger p. 159 ait: 'Bei Paulus ist der Text des Plautius von den Zusätzen in einigen Stellen dadurch unterschieden, dafs vor jenen Plautius, vor diesen Paulus steht. In diesen Stellen werden von Plautius selbst angeführt Sabinus, Cassius, Proculus, Nerva und Atilicinus, die auch in den übrigen Stellen häufig vorkommen, so dafs man auch hier den Text des Plautius oder wenigstens einen Auszug daraus vor sich sehen möchte'. maiore cum fiducia Lenel P. II col. 13 n. 1 iudicat: 'in Pauli quidem ad Plautium libris pro certo dixerim ex Plautio ea omnia desumpta esse, in quibus Sabini Cassii Nervae Proculi Atilicini aliorumque veterum responsa vel opiniones referuntur', quod non improbo. de libris Pomponii, cum veterum libris diligenter usus sit, non idem iudicare licet. Krueger l. c. p. 176.

In proponendis fragmentis nusquam cursivis litteris uti malui.

1. Ad ius civile.

De legitimis heredibus?

1. D. 5, 1, 28, 5. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1232). — Si pater familias mortuus esset

relicto uno filio et uxore praegnate, non recte filius debitoribus partem dimidiam crediti petere potes quamvis postea unus filius natus sit [quia poterar plures nasci, cum per rerum naturam certum fuer: unum nasci]. sed Sabinus Cassius partem quartar peti debuisse, quia incertum esset an tres nascerentu [nec rerum naturam intuendam, in qua omnia cert essent, cum futura utique fierent, sed nostram inscien tiam aspici debere.]

cf. Cassius supra p. 39.

Pernice I, 373 n. 46 notat: 'Des Plautius eigen positive Ansicht ist nicht angeführt. Indessen die entschiedene Verwerfung des dimidium petere und die folgende Anknüpfung mit sed, die im jetzigen Texte keine Erklärung findet, führen zu der Annahme, Plautius habe zu den quidam des Urseius (D. 46, 3, 36) gehört, die jede Klage des Sohnes für nichtig erklärten, wenn ein Postumus agnascierte'.

De legatis.

Generalia quaedam.

De legato per vindicationem.

2. D. 31, 4. Idem (sc. Paulus) libro octavo ad Plautium (Paul. 1152). — Neminem eiusdem rei legatae sibi partem velle partem nolle verius est.

cf. Gai. 2, 195.

De legato per damnationem.

3. D. 45, 2, 17. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1158[a]). — Sive a certis personis heredum nominatim legatum esset, sive ab omnibus excepto aliquo, Atilicinus Sabinus Cassius pro hereditariis partibus *tan*tum[1] eos legatum debituros aiunt, quia hereditas eos obligat.

4? D. 12, 6, 46. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto ex Plautio. — Qui heredis nomine legata non debita

1 *Fl.* totum.

ex nummis ipsius heredis solvit, ipse quidem repetere non potest; sed si ignorante herede nummos eius tradidit, dominus, <Plautius?> ait, eos recte vindicabit.

In fragmentis ex Plautii libris in Iustiniani Digesta receptis quamquam nusquam Plautius laudatur, tamen 'ait' ad eum referendum esse eiusdem Iavoleni fragmenta ex posterioribus Labeonis recepta probant, in quibus saepe legitur: 'Labeo ait', ex. gr. D. 29, 2, 60. 62. 35, 1, 39, 1 vel 'ait Labeo' ex. gr. D. 33, 2, 30. 41, 2, 51.

De legatis sub condicione relictis.

5? D. 35, 1, 44, 10. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1174). — Plautius. Uni ex heredibus fundum legavi, si centum heredibus dedisset. deducet suam partem hereditariam et reliquam summam heredibus pro portione eorum dabit. at si heres ex parte ita institutus esset, si heredibus decem dedisset, non aliter esset heres, quam si tota decem coheredibus dedisset, quia non ante ad hereditatem admitteretur, quam si omnem summam dedisset; nam cum et servus testamento liber et ex parte heres ita scriptus esset, si heredibus decem dedisset, [constitit] non aliter eum liberum heredemque futurum, quam si tota decem coheredibus dedisset.

6? D. 35, 1, 44, 8. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1174). — Si duorum servo legatum sit sub condicione dandi, non posse per partes condicioni pareri quidam aiunt, sed semel dandam pecuniam.

7? Ibid. pr. — Qui heredi dare iussus est, servo alieno instituto <servo>, non domino dare debet. nam et si alio herede instituto iussus est servo Titii dare, ipsi servo datur, quia quae facti sunt, non transeunt ad dominum, quemadmodum, si mihi aut servo Titii stipulatus sim, non Titio, sed servo eius dari potest.

Sequitur 'et haec vera sunt'.

De lege Falcidia.

8. D. 35, 2, 49. Idem (sc. Paulus) libro duodecimo ad Plautium (P. 1188). — Plautius. Servo, quem tibi legaveram, fundum legavi. Atilicinus Nerva Sabinus primum in servo rationem legis Falcidiae habendam et quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis. Cassius, quod servo pars lege Falcidia decedat, incipere servum fieri communem heredis et legatarii, communi autem servo cum legatum sit, totum pertinere ad socium, quia in ea persona *sola*[1] legatum consistere possit, qua ratione semel ex fundo partem legis Falcidiae decessuram.

De possessionibus legatis.

9? D. 50, 16, 78. Paulus libro tertio ad Plautium (P. 1088). — Interdum proprietatem quoque verbum possessionis significat, sicut in eo qui possessiones suas legasset, responsum est.

De veste legata.

10. D. 34, 2, 8. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1171). — Plautius. Mulier ita legavit: 'quisquis mihi heres erit, Titiae vestem meam mundum ornamentaque muliebria damnas esto dare'. Cassius ait, si non appareret quid sensisset, omnem vestem secundum verba testamenti legatam videri.

11? D. 34, 2, 7. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1155). — Si ita esset legatum: 'vestem meam, argentum meum damnas esto dare', id legatum *videri*[2], quod testamenti tempore fuisset, quia praesens tempus semper intellegeretur, si aliud comprehensum non esset.

1 *Fl.* in eam personam.
2 *Trib.* videtur.

De usufructu legato.

12. Vat. fr. 77. Ulp. l. XVII ad Sab. (P. 2563). — Interdum . . . etsi non sint coniuncti, tamen usus fructus legatus alteri adcrescit, ut puta si mihi fundi usus fructus separatim totius et tibi similiter fuerit usus fructus relictus. nam, ut Celsus libro XVIII Digestorum et Iulianus libro XXXV scrib*unt*, concursu partes habemus, quod et in proprietate contingeret; nam altero repudiante alter totum fundum haberet. sed in usu fructu hoc plus est, contra quam Atilicinum respondisse Aufidius Chius refert, quod et constitutus nihilo minus amissus ius adcrescendi admittit; omnes enim auctores apud Plautium de hoc consenserunt.

cf. D. 7, 2, 1, 3.

13. Vat. fr. 75. Ulp. l. XVII ad Sab. (P. 2562[a]). — Idem (sc. Iulianus) ait, et si communi servo et separatim Titio usus fructus legatus sit, amissam partem usus fructus non ad Titium, sed ad solum socium pertinere debere quasi solum coniunctum ... Pomponius ait libro VII ex Plautio relata Iuliani sententia quosdam esse in diversam opinionem; — nec enim magis socio debere adcrescere, quam deberet ei qui fundi habens usum fructum partem usus fructus proprietario cessit vel non utendo amisit ... quamquam Sabinus responderit ... eum qui partem usus fructus in iure cessit, et amittere partem et ipso momento recipere.

cf. D. 7, 2, 1, 2.

14? D. 7, 4, 28. Idem (sc. Paulus) libro tertio decimo ad Plautium (P. 1191[b]). — Si usus fructus alternis annis legetur, non posse non utendo eum amitti, quia plura sunt legata.

15? D. 7, 1, 48, 1. Paulus libro nono ad Plautium (P. 1162). — Silvam caeduam, etiamsi intempestive caesa sit, in fructu esse constat [sicut olea immatura lecta, item faenum immaturum caesum in fructu est].

16? D. 7, 1, 47. Pomponius libro quinto e: Plautio (P. 343). — (Commatis parti a Triboniano allata haec Pauli verba praecedunt ex libro IX ad Plautiun desumpta: 'Si testator iusserit, ut heres reficeret insu lam, cuius usum fructum legavit, potest fructuarius e: testamento agere, ut heres reficeret'.) quod si here hoc non fecisset et ob id fructuarius frui non potuisset heredem etiam fructuarii eo nomine habere[1] actionem quanti fructuarii interfuisset non cessasse heredem licet usus fructus morte eius interisset.

De eo quod fundi conductori legatum est.

17. D. 34, 3, 16. Paulus libro nono ad Plautiun (P. 1172ª). — Ei cui fundum in quinquennium loca veram legavi quidquid eum mihi dare facere oporte oportebitve ut sineret heres sibi habere. Nerva Atili· cinus, si heres prohiberet eum frui, ex conducto, si iure locationis quid retineret, ex testamento fore obli· gatum aiunt, quia nihil interesset, peteretur an reti· neret; totam enim locationem legatam videri.

18. D. 34, 3, 18. Paulus ibid. (P. 1172ᵇ). — Et praeterea placuit agere posse colonum cum herede ex testamento, ut liberetur conductione.

De habitatione legata.

19? D. ibid. — Cassius. Etiam si habitatio eo modo legata esset, gratuitam habitationem heres prae· stare deberet.

Haec sententia a Paulo ei praemissa est, quam supra (18) proposui.

De fideicommissa hereditate.

20. D. 35, 1, 43 pr. Paulus libro octavo ad Plau· tium (P. 1156). — Plautius. Rogatus est heres a liberto testatore, ut perceptis sibi decem totam heredi·

1 *Trib.* heres . . habebit.

tatem revenderet. postea patronus defuncti bonorum possessionem contra tabulas petierat et partem hereditatis, quae debebatur, abstulerat. Proculus Cassius fideicommissarium pro rata quod solvit repetere debere aiunt.

Sequuntur haec: 'Paulus. hoc iure utimur . . .' cf. Gai. 2, 248 sqq. 3, 41.

De libertate relicta.

21. D. 40, 7, 20, 3. Paulus libro sexto decimo ad Plautium (P. 1227). — Is cui servus pecuniam dare iussus est ut liber esset, decessit. Sabinus, si decem habuisset parata, liberum fore, quia non staret per eum, quo minus daret.

22. D. 40, 4, 40, 1. Pomponius libro quinto ex Plautio (P. 345). — . . . cum sub condicione servo libertas per fideicommissum detur et ipse praesenti die daretur, non aliter *mancipare*[1] eum cogetur, quam ut caveatur existente condicione libertatis eum restitutum iri; nam in omnibus fere causis fideicommissas libertates pro directo datis habendas. sed Ofilius aiebat, si adimendi legati causa fideicommissam libertatem testator dedisset, ea vera esse; si vero onerari heredem a testatore legatarius ostenderit, aestimationem nihilo minus legatario praestandam.

23? D. 40, 5, 8. Pomponius libro septimo ex Plautio (P. 364). — Eum cui mille nummi legati fuissent, si rogatus fuisset viginti servum manumittere, non cogi fideicommissam libertatem praestare, si legatum non caperet.

Tribonianus respondentis nomine deleto addidit: 'constat'.

De emptione venditione.

24. D. 21, 2, 22, 1. Pomponius libro primo ex Plautio (P. 326). — Si *secundum mancipium*[2] fundi

1 *Trib.* tradere. 2. *Trib.* pro evictione.

quem emit mulier satis accepisset et eundem fundum in dotem dedisset, deinde aliquis eum a marito per iudicium abstulisset, po*sse* mulier*em* statim agere adversus fideiussores emptionis (evictionis?) nomine, quasi minorem dotem habere coepisset vel etiam nullam, si tantum maritus optulisset, quanti fundus esset.

25. D. 18, 1, 57 pr. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1116). — Domum emi, cum eam et ego et venditor combustam ignoraremus. Nerva Sabinus Cassius nihil venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt.

26. D. ibid. § 1. — Sin autem venditor quidem sciebat domum esse exustam, emptor autem ignorabat, null*o modo* venditionem stare, si tota domus ante venditionem exusta sit.

Quae sequuntur, non Plautii, sed Neratii videntur esse. cf. D. 18, 1, 57 pr.: 'sed si pars domus maneret, Neratius ait'.

27. D. 20, 4, 13. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1118). — Insulam tibi vendidi et dixi prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram pignorumque ab inquilino datorum ius utrumque secuturum. Nerva Proculus, nisi ad utramque pensionem pignora sufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinere[, quia nihil aperte dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata servetur], si quid superesset, ad te.

Sequuntur haec: 'Paulus. facti quaestio est' et q. s.

28. D. 12, 1, 31, 1. Idem (sc. Paulus) libro septimo decimo ad Plautium (P. 1235). — Servum tuum imprudens a fure bona fide emi; is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominem paravit, qui mihi traditus est. Sabinus Cassius posse te mihi hominem condicere; sed si quid mihi abesset ex negotio quod is gessisset, invicem me tecum acturum.

De societate.

29? D. 10, 3, 14, 3. Paulus libro tertio ad Plautium (P. 1087). — Si inter socios convenisset, ne intra certum tempus societas divideretur, quin vendere liceat ei, qui tali conventione tenetur, non est dubium; quare emptor quoque communi dividundo agendo eadem exceptione summovebitur, qua auctor eius summoveretur.

Plautium igitur Sabini sententiam ab Ulpiano reiectam (D. 17, 2, 16, 1 v. II, 1 p. 496) videri tenuisse Pernice I, 484 indicat.

De iure dotium.

30? D. 12, 4, 9, 1. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1237). — Si quis indebitam pecuniam per errorem iussu mulieris sponso eius promisisset (dixisset?) et nuptiae secutae fuissent, exceptione doli mali uti non potest; maritus enim suum negotium gerit et nihil dolo facit ... sed si soluto matrimonio maritus peteret, in eo dumtaxat exceptionem obstare debere, quod mulier receptura esset.

31. D. 23, 3, 56, 3. Idem (sc. Paulus) libro sexto ad Plautium (P. 1128). — Si pecunia et fundus in dote sint et necessariae impensae in fundum factae, Nerva ait dotem pecuniariam minui.

32. D. 50, 16, 79. Idem (sc. Paulus) libro sexto ad Plautium (P. 1127). — Utiles impensas esse Fulcinius ait, quae meliorem dotem faciant, non ⟨tantum⟩ deteriorem esse non sinant, ex quibus reditus mulieri adquiratur, sicuti arbusti pastinationem ultra quam necesse fuerat, item doctrinam puerorum. quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel invitam non oportet, ne cogatur fundo aut mancipiis carere. in his impensis et pistrinum et horreum insulae dotali adiectum plerumque dicemus.

33. D. 24, 1, 28, 3. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1752). — Si ex decem donatis sibi mulier servum

emerit et is quinque sit, quinque petenda (retinenda? esse apud Plautium placuit, quemadmodum, si mor tuus est, nihil peteretur (retineretur?); si vero quin decim dignus sit, non plus quam decem potest pet (retineri?), quoniam eatenus donator pauperior factu esset.

De cura furiosi.

34. D. 40, 1, 13. Pomponius libro primo ex Plauti (P. 327). — Servus furiosi ab adgnato curatore manu mitti non potest, quia in administratione patrimoni manumissio non est. si autem ex fideicommissi caus deberet libertatem furiosus, dubitationis tollendae caus ab adgnato *mancipa*ndum[1] servum, ut ab eo cui *manci pa*tus[2] esset manumittatur, Octavenus ait.

35? D. 46, 3, 65. Pomponius libro primo e Plautio (P. 328). — Si filia furiosi a viro divorterit dictum est vel agnato curatori voluntate filiae ve filiae consentiente agnato solvi dotem.

De delictis.

36. D. 47, 2, 67, 1. Paulus libro septimo ad Plautium (P. 1141). — Si is cui res subrepta sit, dum apud furem sit, legaverat eam mihi ⟨per vindicationem⟩, an, si postea fur eam contrectet, furti actionem habeam? et secundum Octaveni sententiam mihi soli competit furti actio, cum heres suo nomine non habeat, quia, quacumque ratione dominium mutatum sit, domino competere furti actionem constat.

37. D. ibid. § 2. — Eum qui mulionem dolo malo in ius vocasset, si interea mulae perissent, furti teneri veteres responderunt.

38. D. 48, 19, 20. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1246). — Si poena alicui irrogatur, receptum est commenticio iure, ne ad heredes transeat.

1 *Trib.* tradendum.
2 *Trib.* traditus.

De contractibus.

39. D. 45, 1, 91, 3. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1239). — .. veteres constituerunt, quotiens culpa intervenit debitoris, perpetuari obligationem.

40. D. 45, 3, 32. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1166). — Si, cum duorum usus fructus esset in servo, et is servus uni nominatim stipulatus sit ex ea re, quae ad utrosque pertinet, Sabinus ait, quoniam soli ⟨nominato promissor⟩ obligatus esset, videndum esse, quemadmodum alter usuarius partem suam recipere possit, quoniam inter eos nulla communio iuris esset.

41. D. 22, 1, 38, 7. Paulus libro sexto ad Plautium (P. 1132). — Si actionem habeam ad id consequendum quod meum non fuit, veluti ex stipulatu, fructus non consequar, etiamsi mora facta sit; quod si acceptum est iudicium, tunc Sabinus et Cassius ex aequitate fructus quoque post acceptum iudicium ⟨perceptos⟩ praestandos putant, ut causa restituatur.

42? D. 44, 7, 49. Idem (sc. Paulus) libro octavo decimo ad Plautium (P. 1247). — Ex contractibus venientes actiones in heredes dantur, licet delictum quoque versetur, veluti cum tutor in tutela gerenda dolo fecerit aut is apud quem depositum est ⟨maletiose versatus est?⟩

Quod inserui, Pernice proposuit. Mommsen: ⟨circa id quod depositum est⟩.

De in rem actionibus.

43? D. 5, 3, 43. Paulus libro secundo ad Plautium (P. 1081). — Postquam legatum a te accepi, hereditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait non aliter mihi adversus te dandam petitionem, quam si legatum redderem.

44. D. 5, 1, 24, 2. Idem (sc. Paulus) libro septimo decimo ad Plautium (P. 1231[a]). — .. si postulatur in rem actio adversus legatum, numquid danda sit, quoniam ex praesenti possessione haec actio est? Cassius respondit sic servandum, ut, si subducatur ministerium ei, non sit concedenda actio; si vero ex multis servis de uno agatur, non sit inhibenda.

De usucapione.

45. D. 41, 4, 4. Iavolenus libro secundo ex Plautio (P. 153). — Emptor fundi partem eius alienam esse non ignoraverat. responsum est nihil eum ex eo fundo *usu* capturum.

46. D. 41, 3, 13, 1. Idem (sc. Paulus) libro quinto ad Plautium (P. 1112). — Eum qui a furioso bona fide emit, usucapere posse responsum est.

De servitutibus praediorum rusticorum.

47. D. 8, 3, 5, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 596[c]). — Neratius libris ex Plautio ait: nec haustum nec appulsum pecoris nec cretae eximendae calcisque coquendae ius posse in alieno esse, nisi fundum vicinum hab*enti*[1], et hoc Proculum et Atilicinum existimasse ait <Plautius>. sed ipse dicit, ut maxime calcis coquendae et cretae eximendae servitus constitui possit, non ultra posse, quam quatenus ad eum ipsum fundum opus sit.

De aqua.

48. D. 39, 3, 17, 1. Paulus libro quinto decimo ad Plautium (P. 1215). — .. placuit non alias per lapidem aquam duci posse, nisi hoc in servitute constituenda comprehensum sit.

49. D. 8, 6, 7. Paulus libro tertio decimo ad Plautium (P. 1191[a]). — .. si alternis horis vel una

1 *Fl.* habeat.

hora cottidie servitutem habeat (sc. quis), Servius scribit perdere eum non utendo servitutem, quia id quod habet cottidianum sit.

50. D. 8, 3, 35. Paulus libro quinto decimo ad Plautium (P. 1212). — .. et Atilicinus ait Caesarem Statilio Tauro rescripsisse in haec verba: 'Hi, qui ex fundo Sutrino aquam ducere soliti sunt, adierunt me proposueruntque aquam, qua per aliquot annos usi sunt ex fonte, qui est in fundo Sutrino, ducere non potuisse <se>, quod fons exaruisset, et postea ex eo fonte aquam fluere coepisse, petieruntque a me, ut quod ius non neglegentia aut culpa sua amiserant, sed quia ducere non poterant, his restitueretur. quorum mihi postulatio cum non iniqua visa sit, succurrendum his putavi. itaque quod ius habuerunt tunc, cum primum ea aqua pervenire ad eos non potuit, id eis restitui placet.'

51. D. 39, 3, 17, 2. Paulus libro quinto decimo ad Plautium (P. 1215). — Via publica intercedente haustus servitutem constitui posse placuit.

2. Ad ius praetorium.

De pactis et conventionibus.

52? D. 2, 14, 32. Paulus libro tertio ad Plautium (P. 1092). — Quod dictum est, si cum reo pactum sit, ut non petatur, fideiussori quoque competere exceptionem, propter rei personam placuit, ne mandati iudicio conveniatur.

De procuratoribus.

53. D. 3, 3, 61. Idem (sc. Paulus) libro primo ad Plautium (P. 1074). — Plautius ait: procuratorem[1] damnatum non debere conveniri, nisi aut in rem suam datus esset aut optulisset se, cum sciret cautum non esse, omnibus placuit.

1 *Lenel 'cognitorem' legere vult, sed vix iure.*

Commodati.

54? D. 12, 5, 9 pr. Idem (sc. Paulus) libro quinto ad Plautium (P. 1106). — Si vestimenta utenda tibi commodavero, deinde pretium, ut reciperem, dedissem condictione me recte acturum responsum est; quamvis enim propter rem datum sit et causa secuta sit, tamen turpiter datum est.

De institoria actione.

55. D. 15, 1, 47 pr. Idem (sc. Paulus) libro quarto ad Plautium (P. 1101). — Quotiens in taberna ita scriptum fuisset 'cum Ianuario servo meo geri negotium veto', hoc solum consecutum esse dominum placuit, ne institoria teneatur, non etiam de peculio.

De peculio.

56. D. 15, 1, 47, 1. Idem (sc. Paulus) libro quarto ad Plautium (P. 1101). — Sabinus respondit non alias dandam de peculio actionem in dominum, cum servus fideiussisset, nisi in rem domini aut ob rem peculiarem fideiussisset.

57. D. ibid. § 3. — Si creditor servi ab emptore esset partem consecutus, competere in reliquum in venditorem utile iudicium Proculus ait; sed re integra non esse permittendum actori dividere actionem, ut simul cum emptore et cum venditore experiatur; satis enim esse hoc solum ei tribui, ut rescisso superiore iudicio in alterum detur ei actio, cum electo reo minus esset consecutus.

Mandati.

58. D. 17, 1, 45, 7. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1114). — Quod mihi debebas a debitore tuo stipulatus sum periculo tuo. posse me agere tecum mandati in id, quod minus ab illo servare potero,

Nerva Atilicinus aiunt, quamvis id mandatum ad tuam rem pertineat.

Si familia furtum fecisse dicetur.

59. D. 9, 4, 31. Paulus libro septimo ad Plautium (P. 1142). — Quod ait praetor, cum familia furtum faciat, ad eum modum se actionem daturum, ut tantum actor consequatur, quantum si liber fuisset consequeretur, quaeritur, utrum ad pecuniae praestationem respiciat an etiam ad noxae deditionem, ut [puta] si ex pretiis noxae deditorum duplum colligatur, sequentes actiones inhibeantur. Sabinus et Cassius putant pretium quoque noxae deditorum imputari debere.

De bonorum possessione contra tabulas.

60? D. 37, 12, 3. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1150). — Paconius ait: si turpes personas, veluti meretricem, a parente emancipatus et manumissus heredes fecisset, totorum bonorum contra tabulas possessio parenti datur.

Paconii sententia fortasse a Plautio relata est. Krueger p. 157.

De damno infecto.

61. D. 39, 2, 22, 1. Idem (sc. Paulus) libro decimo ad Plautium (P. 1179). — Plautius. Si ab eo, quem dominum esse negarem, vellem sub hac exceptione 'si dominus non esset' satisdari, ab eo vero, quem dominum esse dicerem, pure repromitti, constitit non debere me impetrare, sed debere me eligere, a quo velim mihi caveri.

---

5. AUFIDIUS CHIUS

Flaviorum aetatis iuris peritus moribus infamatus (Martial. 5, 61, 10 'acrior hoc' — describitur autem a. 89 procurator cuiusdam mulieris, qui res uxoris, immo mariti

agat — 'Chius non erit Aufidius'. Iuvenal. 9, 25 'notior Aufidio moechus', ubi idem significari videtur), qui iurisconsultorum responsa videtur collegisse.

'Fufidius', de quo supra p. 195, non idem habendus est.

... libri.

De usufructu duobus legato.

Vat. fr. 77. Ulp. l. XVII ad Sab. (P. 2563). — ... etsi non sint coniuncti, tamen usus fructus legatus alteri adscrescit, ut puta si mihi fundi usus fructus separatim totius et tibi similiter fuerit usus fructus relictus. nam ut Celsus ... et Iulianus ... scribunt, concursu partes habemus. quod et in proprietate contingeret; nam altero repudiante alter totum fundum haberet. sed in usu fructu hoc plus est, ... contra quam Atilicinum respondisse Aufidius[1] Chius refert, quod et constitutus nihilo minus amissus ius adcrescendi a*d*mittit.

cf. D. 7, 2, 1, 3. Ulpianus ibid. '... etsi non sint coniuncti ... similiter fuerit relictus; nam, ut et Celsus ... scribit, concursu ... sed in usufructu hoc plus est, quia et constitutus et postea amissus nihilo minus ius adcrescendi admittit'.

6. PUTEOLANUS

iuris peritus, quem Ulpianus tantum laudavit, Puteolis ut apparet, ortus, primi fortasse saeculi homo, qui adsessoriorum libros composuisse traditur, ceterum nobis ignotus.

Adsessoriorum libri.

De Masurii Sabini Adsessoriorum libro v. II, 1 p. 367.

Liber I.

D. 2, 14, 12. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 251[a]). — ... nocere constat (sc. pactum procura-

1 'aufidius *V, correxit Hollweg: cogitavi aliquando de Fufidico errore*'. *Mommsen.*

ris), sive ei mandavi ut pacisceretur, sive omnium rum mearum procurator fuit, ut et Puteolanus libro imo Adsessoriorum scribit, cum placuit eum etiam m in iudicium deducere.

---

7. CAMPANUS

iurisconsultus a Pomponio et Valente laudatus, qui lege Aelia Sentia dixit et libris scribendis operam dit, ceterum nobis ignotus, sed Capuensis, ut apparet primi, ut videtur, saeculi.

Fideicommissorum(?) libri.

Cum fragmenta ex Campani libris servata ad fideimmissa pertineant, de hac re eum scripsisse conicias.

De libertate per fideicommissum data.

1. D. 40, 5, 34, 1. Pomponius libro tertio Fideimmissorum (P. 217). — Campanus ait, si minor mis viginti rogaverit heredem, ut proprium servum anumittat, praestandam ei libertatem, quia hic lex lia Sentia locum non habet.

cf. Gai. 2, 249. 'Verba . . fideicommissorum haec xime in usu esse videntur: peto, rogo . . .' 2, 263 sq. bertas quoque servo per fideicommissum dari potest, .. heres rogetur manumittere .. nec interest, utrum de o proprio servo testator roget, an de eo qui ipsius redis . . . sit'.

2. D. 38, 1, 47. Idem (sc. Valens) libro sexto deicommissorum (P. 20). — Campanus scribit non bere praetorem pati donum munus operas imponi ei, i ex fideicommissi causa manumittatur. sed si, cum iret posse se id recusare, obligari se passus sit, non hibendam operarum petitionem, quia donasse videtur.

---

8. VIVIANUS

iuris peritus Flaviorum, ut videtur, aetatis, quippe cum Cassium et Proculum laudaverit, ipsius autem rationem habuerit non modo Pomponius D. 13, 6, 17, 4 et fortasse Celsus quoque D. 4, 8, 21, 11, sed etiam Octavenus (quae hic D. 9, 2, 27, 25 'in uvis adicit', ad Vivianum addita esse cognoscitur. Krueger p. 158 n. 99). accedit quod D. 9, 2, 27, 28 de eo ait qui 'puerum castraverit et pretiosiorem fecerit' quae verba ante a. 81/82 scripta videntur, quo tempore Domitianus 'mares castrari vetuit' et 'spadonum qui residui apud mangones erat, pretia moderatus est'. Sueton. Domitian. 7. praeterea non respondendo, sed libris scribendis eum operam dedisse constat.

In rebus quarum in fragmentis mentio fit, et studia et mores illius aetatis satis cernuntur. sermo enim est de mercibus in navem impositis (D. 4, 9, 4, 2), de nave venaliciarum mercium perforata (D. 9, 2, 27, 24), de puero castrato (D. 9, 2, 27, 28), de puero qui a magistro recessit et rursus ad matrem pervenit, ut per eam faciliorem deprecationem haberet delicti (D. 21, 1, 27, 5), de eo qui a praeceptore cui in disciplinam traditus erat, aufugit, quia immoderate eo utebatur (D. 21, 1, 27 pr.), de servo qui ab eo fugit cui erat commodatus (D 21, 1, 17, 3), de eo qui nocte aliqua sine voluntate domini emansit (D. 21, 1, 17, 4), de servis vel vi depulsis vel retentis et vinctis (D. 43, 16, 1, 46), de servo inter fanaticos caput iactante vel circa fana bacchante et responsa reddente (D. 21, 1, 1, 9. 10), de iis qui per vicos more insanorum deridenda loquantur (D. 21, 1, 4, 1), denique de popina et lupanario ubi litigatores arbiter adesse iusserit (D. 4, 8, 21, 11).

Quamquam librorum a Viviano compositorum neque nomen neque argumentum traditur, nihilo minus cuius generis eius studia fuerint aliquatenus cognoscitur. quod enim haec leguntur: 'Vivianus refert' D. 43, 16, 1, 41. 46, 'apud Vivianum relatum est' D. 4, 9, 1, 6. 21, 1, 17, 3. 39, 2, 24, 9. 43, 16, 1, 45. 43, 24, 13, 5, 'Vivianus scribit

Proculum respondisse' D. 4, 6, 35, 9, 'idem ait: interrogatus Proculus de eo qui ... ait' D. 21, 1, 17, 4, 'quidam referunt, quantum repeto, apud Vivianum Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huiusmodi controversiam' D. 29, 7, 14 pr., illum priorum iuris consultorum sententias et responsa congessisse apparet.

Fragmenta partim ad edictum praetoris, partim ad edictum aedilium curulium videntur pertinere.

1. Ad edictum praetoris.

Viviani opus amplum videtur fuisse, cum de iisdem rebus saepius dictum fuerit. certe Ulpianus D. 43, 24, 13, 1 ait: 'est apud Vivianum saepissime relatum heredi competere hoc interdictum'. idem Ulpianus iisdem libris ad edictum Coll. 12, 7, 8 tradit: 'libro VI ex Viviano relatum est', ita ut dubitari possit, utrum de eius qui rettulerit an de Viviani libro dictum sit. illud Krueger p. 158 magis probat ('nach Analogie der ähnlich bezeichneten Werke ginge sie', sc. 'die Anführung Ulpians', 'auf einen Kommentar zu Vivianus oder ein nach seinem System gearbeitetes Werk, dessen Verfasser etwa durch Fehler der Überlieferung nicht genannt worden'), ego potius de ipsius Viviani opere Ulpianum referre cum aliis viris doctis putaverim. cf. Karlowa I, 702. Lenel P. II col. 1225.

Quod metus causa actum erit.

1. D. 4, 2, 14, 5. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 377). — Aliquando .. et si metus adhibitus proponatur, arbitrium absolutionem adfert. quid enim si metum quidem Titius adhibuit me non conscio, res autem ad me pervenit, et haec in rebus humanis non est sine dolo malo meo? nonne iudicis officio absolvar? aut si servus in fuga est, aeque, si cavero iudicis officio me, si in meam potestatem pervenerit, restituturum, absolvi debebo. unde quidam putant bona fide emptorem ab eo qui vim intulit

comparantem non teneri nec eum qui dono accepit vel cui res legata est. sed ... Viviano videtur etiam hos teneri, ne metus, quem passus sum, mihi captiosus sit.

Qui arbitrium receperint, ut sententiam dicant.

cf. Iuliani librum IV P. 59—68.

2. D. 4, 8, 21, 11. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 460). — .. si in aliquem locum inhonestum adesse iusserit (sc. arbiter), puta in popinam vel in lupanarium, ut Vivianus ait, sine dubio impune ei non parebitur.

Ulpianus addit: 'quam sententiam et Celsus libro secundo Digestorum probat'.

Nautae caupones stabularii ut recepta restituant.

3[a]. D. 4, 9, 1, 6. Ulpianus libro quarto decimo ad edictum (P. 469[a]). — Ait praetor: 'quod cuius salvum fore receperint', hoc est quamcumque rem sive mercem receperint. inde apud Vivianum relatum est ad eas quoque res hoc edictum pertinere, quae mercibus accederent, veluti vestimenta quibus in navibus ut*eremur* et cetera quae ad cottidianum usum habe*remus*

Fl. uterentur ... habemus. *emend. Huschke Z. d. Sav.-St* IX, 361.

3[b]. D. 4, 9, 4, 2. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 256). — Vivianus dixit etiam ad eas res hoc edictum pertinere, quae post impositas merces in navem locatasque inferentur, etsi earum vectura non debetur, ut vestimentorum, penoris cottidiani, quia haec ipsa ceterarum rerum locationi accedunt.

Ad legem Aquiliam.

cf. Iuliani librum LXXXVI P. 821—830.

4. Collat. 12, 7, 8. cf. Dig. 9, 2, 27, 10. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 623[b]). — .. libro

VI ex Viviano relatum est: si furnum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria teneris? et ait ⟨Proculus⟩ agi non posse Aquilia lege, quia nec cum eo qui focum haberet. et ideo aequius putat in factum actionem dandam.

Ex Viviano haec rettulisse Pomponium suspicor idque libris ad edictum, quibus Ulpianum in suis ad edictum libris faciendis saepissime usum esse constat. talia enim reperiuntur: 'hoc veteres existimasse Pomponius refert' (D. 2, 4, 4, 2 P. 13), 'Pomponius ... scribit .. et refert Labeonem existimare' (D. 4, 2, 9 pr. P. 40), 'idem Pomponius refert Labeonem existimare' (D. 4, 3, 1, 6 P. 44), aliaque. denique Pomponium in libris ad edictum Viviani opere usum esse D. 13, 6, 17, 4 probat. idem censet Pernice: Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1885 XXV p. 30.

5. D. ibid. § 24 (P. 624[c]). — Si navem venaliciarum mercium perforasset, Aquiliae actionem esse, quasi ruperit, Vivianus scribit.

6. D. ibid. § 28 (P. 625[a]). — .. si puerum quis castraverit et pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit cessare Aquiliam.

Ulpianus addit: 'sed iniuriarum erit agendum (aut ex edicto aedilium [aut] in quadruplum)'.

De commodato.

cf. Iuliani librum XI P. 170—172.

7[a]. D. 13, 6, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 804[a]). — .. proprie commodata res dicitur et quae soli est, idque et Cassius existimat. Vivianus amplius etiam habitationem commodari posse ait.

7[b]. D. 19, 5, 17 pr. Ulpianus ibid. — Si gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere possim? et Vivianus ait posse.

8. D. 13, 6, 17, 4. Paulus libro vicensimo nono

ad edictum (P. 446). — Duabus rebus commodatis recte de altera commodati agi posse Vivianus scripsit.

Si quid in fraudem patroni factum sit.

cf. Iuliani librum XXVI P. 393. 394.

9? Incerti auctoris (Pauli?) fragm. de formula Fabiana (Collect. III p. 299). — ... sunt qui contra sen⟨tiant quia haec actio ex con⟩tractu venit et cum eo contrahetur, ⟨licet ita concipi⟩atur formula quasi ex delicto venerit liberti, et est in fa⟨tum et ar⟩bitraria. etiam Viv⟨ianus v⟩ere huic dic⟨it⟩ alienatum esse, qui s⟨ervum manc⟩ipio accepit, alienationem nobis ad dominii translationem referentibus.

cf. Lenel P. II col. 1231. cf. p. 1264.

Lenel: 'quaeri videtur, si libertus, cum fraudandi patroni causa Seio donaturus esset, eius iussu Titio mancipio dederit, utrum adversus Seium an adversus Titium Fabiana agendum sit'.

De legatis.

cf. Iuliani libros XXXII—XXXVIII P. 453—547.

10. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum (P. 160). — Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huiusmodi controversiam: an legata, quae posteaquam instituti mortem obierunt codicillis adscripta vel adempta sunt, a substitutis debeantur [id est an perinde datio et ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat ac si testamento facta esset], quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente. nimirum autem Sabini et Cassii collectio, quam et ipsi reddunt, illa est, quod codicilli pro parte testamenti habentur observationemque et legem iuris inde traditam servent.

cf. II, 1 p. 356.

De damno infecto.

cf. Iuliani librum LVIII P. 739.

11. D. 39, 2, 24, 9. Idem (sc. Ulpianus) libro octogensimo primo ad edictum (P. 1753). — .. apud Vivianum relatum est, si ex agro vicini arbores vi tempestatis confractae in meum agrum deciderint eoque facto vitibus meis vel segetibus nocent vel aedificia demoliunt, stipulationem istam, in qua haec comprehenduntur 'si quid arborum locive vitio acciderit', non esse utilem, quia non arborum vitio, sed vi ventorum damnum mihi datum est. plane si vetustate arborum hoc fiebat, possumus dicere vitio arborum damnum mihi dari.

12. Ibid. § 10. — Idem ait, si damni infecti aedium mearum nomine tibi promisero, deinde hae aedes vi tempestatis in tua aedificia ceciderint eaque diruerint, nihil ex ea stipulatione praestari, quia nullum damnum vitio mearum aedium tibi contingit [nisi forte ita vitiosae meae aedes fuerint, ut qualibet vel minima tempestate ruer*e*nt].

Qui absens iudicio defensus non erit.

13. D. 4, 6, 35, 9. Paulus libro tertio ad legem Iuliam et Papiam (P. 939). — Vivianus scribit Proculum respondisse militem, qui commeatu absit, dum domum vadit aut redit, rei publicae causa abesse, dum domi sit, non abesse.

Unde vi.

cf. Iuliani librum XLVIII P. 656—659.

14. D. 43, 16, 1, 41. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1529). — Non solum .. fructuum ratio in hoc interdicto (sc. unde vi) habetur, verum ceterarum etiam utilitatium habenda est. nam et Vivianus refert in hoc interdicto omnia, quaecumque habiturus vel adsecuturus erat is qui deiectus est, si vi deiectus non esset, restitui aut eorum ⟨nomine⟩

litem a iudice aestimari debere eumque tantum consecuturum, quanti sua interesset se vi deiectum non esse.

15. D. ibid. § 45. — Non alii .., quam ei qui possidere *desiit*[1], interdictum unde vi competere argumentum praebet, quod apud Vivianum relatum est, si quis me vi deiecerit, meos non deiecerit, non posse me hoc interdicto experiri, quia per eos retineo possessionem, qui deiecti non sunt.

16. Ibid. § 46. — Idem Vivianus refert: servos quosdam vi depulit, alios retinuit et vinxit aut etiam eis imperavit. vi te deiectum intellegi; desisse enim possidere, cum servi ab alio possideantur. et quod in parte servorum dictum est, idem in omnibus dici ait, si forte nemo depulsus esset, sed possideri ab eo coepissent, qui ingressus in possessionem esset.

17. Ibid. § 47. — Quid dicturi essemus, tractat, si aliquo possidente ego [quoque] ingressus sum in possessionem et non deiciam possessorem, sed vinctum opus facere cogam: quatenus res, inquit, esset?

Ulpianus addit: 'ego verius puto eum quoque deiectum videri, qui illic vinctus est'.

18. D. 43, 24, 13, 5. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1597[b]). — Quaesitum est, si, cum praedium interim nullius esset, aliquid vi aut clam factum sit, an postea dominio ad aliquem devoluto interdicto locus sit; ut puta hereditas iacebat, postea adiit hereditatem Titius, an ei interdictum competat? .. est apud Vivianum saepissime relatum heredi competere hoc interdictum eius, quod ante aditam hereditatem factum sit. nec referre Labeo ait, quod non scierit, qui heredes futuri essent; hoc enim posse quem causari etiam post aditam hereditatem. ne illud quidem obstare Labeo ait, quod eo tempore nemo dominus fuerit; nam et sepulchri nemo dominus fuit et tamen, si quid in eo fiat, experiri possum quod vi aut clam.

1 *Fl.* possidet.

De precario?

cf. Iuliani librum XLIX P. 671. 672.

19. D. 43, 19, 1, 6. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1556). — Vivianus ... ait eum, qui propter incommoditatem rivi aut propterea, quia via publica interrupta erat, per proximi vicini agrum iter fecerit, quamvis id frequenter fecit, non videri omnino usum. itaque inutile esse interdictum, non quasi precario usum, sed quasi nec usum.

2. Ad edictum aedilium curulium.

De mancipiis vendundis.

1. D. 21, 1, 1, 9. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760a). — Apud Vivianum quaeritur, si servus inter fanaticos non semper caput iactaret et aliqua profatus esset, an nihilo minus sanus videretur. et ait Vivianus nihilo minus hunc sanum esse; neque enim nos, inquit, animi vitiis minus[1] aliquos sanos esse intellegere debere. alioquin, inquit, futurum, ut in infinito hac ratione multos sanos esse negaremus, ut puta levem superstitiosum iracundum contumacem et si qua similia sunt animi vitia; magis enim de corporis sanitate, quam de animi vitiis promitti. interdum tamen, inquit, vitium corporale usque ad animum pervenire et eum vitiare, veluti contingeret φρενητικῷ, quia id ei ex febribus acciderit. quid ergo est? si quid sit animi vitium tale, ut id a venditore excipi oporteret neque id venditor cum sciret pronuntiasset, ex empto eum teneri.

2. D. ibid. § 10. — Idem Vivianus ait, quamvis aliquando quis circa fana bacchatus sit et responsa reddiderit, tamen, si nunc hoc non faciat, nullum vitium esse; neque eo nomine, quod aliquando id fecit, actio est, sicuti si aliquando febrem habuit. ceterum si nihilo minus permaneret in eo vitio, ut circa fana

1 *Fl.* minus animi vitiis.

bacchari soleret et quasi demens responsa daret, etiamsi per luxuriam id factum est, vitium tamen esse, sed vitium animi, non corporis, ideoque redhiberi non posse, quoniam aediles de corporalibus vitiis loquuntur. attamen ex empto actionem admittit.

3. D. ibid. § 11 et l. 4 pr. — Idem dicit etiam in his, qui praeter modum timidi cupidi avarique sunt aut iracundi. | ob quae vitia negat redhibitionem esse, ex empto dat actionem.

4. D. ibid. l. 4 § 1. — Sed si vitium corporis usque ad animum penetrat, forte si propter febrem loquantur aliena, vel qui per vicos more insanorum deridenda loquantur, in quos id animi vitium ex corporis vitio accidit, redhiberi posse.

5. D. 21, 1, 17, 3. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1761[c]). — .. apud Vivianum relatum est fugitivum fere ab affectu animi intellegendum esse, non utique a fuga. nam eum, qui hostem aut latronem, incendium ruinamve fugeret, quamvis fugisse verum est, non tamen fugitivum esse. item ne eum quidem, qui a praeceptore cui in disciplinam traditus erat aufugit, esse fugitivum, si forte ideo fugit, quia immoderate eo utebatur. idemque probat et si ab eo fugerit cui erat commodatus, si propter eandem causam fugerit. idem probat Vivianus et si saevius cum eo agebat. haec ita, si eos fugisset et ad dominum venisset; ceterum si ad dominum non venisset, sine ulla dubitatione fugitivum videri ait.

6. D. ibid. § 4. — Idem ait: interrogatus Proculus de eo, qui domi latuisset in hoc scilicet, ut fugae nactus occasionem se subtraheret, ait, tametsi fugere non posset videri, qui domi mansisset, tamen eum fugitivum fuisse; sin autem in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domini effervesceret, fugitivum non esse, sicuti ne eum quidem, qui cum dominum animadverteret verberibus se adficere velle, praeripuisset se ad amicum, quem ad precandum perduceret. ne eum

quidem fugitivum esse, qui in hoc progressus est, ut se praecipitaret, ceterum etiam eum quis fugitivum diceret, qui domi in altum locum ad praecipitandum se ascendisset, magisque hunc mortem sibi consciscere voluisse. *illud enim, quod plerumque ab imprudentibus,* inquit, *dici solet, eum esse fugitivum, qui nocte aliqua sine voluntate domini emansisset,* non esse verum, sed ab affectu animi cuiusque aestimandum.

7. D. ibid. § 5. — Idem Vivianus ait, si a magistro puer recessit et rursus ad matrem pervenit, cum quaereretur, num fugitivus esset: si celandi causa quo, ne ad dominum reverteretur, fugisset, fugitivum esse; sin vero ut per matrem faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius, non esse fugitivum.

---

9. CN. ARULENUS CAELIUS SABINUS

cos. suff. a. 69 cum T. Flavio Sabino (CIL VI 2051. Tac. hist. 1, 77 cf. Prosopogr. I p. 156), 'plurimum temporibus Vespasiani potuit' (Pompon. § 53), 'iuris peritus' (Gell. 6, 4, 1), qui Cassio successit (Pomp. l. c.). laudatur a Gaio, Venuleio, Papiniano, Ulpiano, praeterea a Gellio, et ita quidem, ut, cum Masurius Sabinus vulgo 'Sabini' nomine designetur, ipse 'Caelius' nominetur.

Caelium et libris scribendis operam dedisse constat et ut scholae principem in respondendo quoque versatum esse probabile est, quamquam nulla responsa diserte traduntur. in fragmentis servatis Ofilium laudat (D. 21, 2, 38, 10) et Trebatium (D. 21, 1, 14, 3) et Labeonem (Gell. 4, 2. 3. cf. D. 21, 1, 17, 12. 15). praeterea cum Cassio de falsa condicione testamentaria idem sensisse traditur (D. 35, 1, 12, 7).

In sententiis eius colligendis sic existimo: quae Sabinianae scholae praeceptoribus communia fuisse traduntur, eadem Caelio quoque tribuenda esse.

1. Ad edictum aedilium curulium.

Priorum eiusdem argumenti libris usus est, nimirum Ofilii (I, 344 sqq.), Trebatii (p. 423), Labeonis (II, 142 sqq). quomodo posteriores de eodem edicto scribentes Caelii libro usi sunt, de nullo nisi de Ulpiano scimus (D. 21, 1, 38, 7. 11); neque enim a Viviano neque a Paulo laudatur. praeterea Gellius (4, 2, 3—5) ex Caelii libro quaedam affert et ita, ut plura, quam disertis verbis indicavit, de eadem re ex eodem fonte hausisse videatur.

De mancipiis vendundis.

1? Gell. 4, 2, 13. — Non praetereundum est, id .. in libris veterum iuris peritorum scriptum esse, morbum et vitium distare, quod vitium perpetuum, morbus cum accessu decessuque sit.

2. Id. 4, 2, 3—5. — Caelius Sabinus in libro, quem de edicto aedilium curulium composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, hisce verbis definisse: 'morbus est habitus cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriorem'. sed morbum alias in toto corpore accidere dicit, alias in parte corporis. totius corporis morbum esse, veluti sit phthisis aut febris, partis autem, veluti sit caecitas aut pedis debilitas. *balbus autem*, inquit, *et atypus vitiosi magis quam morbosi sunt, et equus mordax aut calcitro vitiosus, non morbosus est. sed cui morbus est, idem etiam vitiosus est. neque id tamen contra fit; potest enim qui vitiosus est, non morbosus esse. quamobrem cum de homine morboso agetur, aeque*, inquit, *ita dicetur: quanto ob id vitium minoris sit.*

3. D. 21, 1, 14, 10. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium. — Si nominatim morbus exceptus non sit, talis tamen morbus sit, qui omnibus potuit apparere, ut puta caecus homo venibat, aut qui cicatricem evidentem et periculosam habebat vel in capite vel in alia parte corporis, eius nomine non

teneri Caelius[1] ait, perinde ac si nominatim morbus exceptus fuisset [ad eos enim morbos vitiaque pertinere edictum aedilium probandum est, quae quis ignoravit vel ignorare potuit].

4. Gell. 4, 2, 11. — De myope quoque, qui luscitiosus Latine appellatur, dissensum est; alii enim rethiberi omnimodo debere, alii contra, nisi id vitium morbo contractum esset.

5? Id. 12. — Eum .. cui dens deesset, Servius rethiberi posse respondit, Labeo in causa esse redhibendi negavit. nam et magna, inquit, pars et q. s.

V. supra II, 1 p. 143.

6[a]. Id. 9. 10. — De sterila .. muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum rethiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse, si ea mulier a principio genitali sterilitate esset. at si valitudo eius offendisset exque ea vitium factum esset, ut concipere fetus non posset, tum sanam non videri et esse in causa rethibitionis.

6[b]. D. 21, 1, 14, 3. — Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[g]). — De sterili Caelius distinguere Trebatium dicit, ut si natura sterilis sit, sana sit, si vitio corporis, contra.

7? Gell. 4, 2, 6—8. — De eunucho .. quaesitum est, an contra edictum aedilium videretur venundatus, si ignorasset emptor, eum eunuchum esse. Labeonem respondisse aiunt, rethiberi posse quasi morbosum.

8. D. 21, 1, 17, 1: Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1761[a]). — Caelius .. fugitivum esse ait eum, qui ea mente discedat, ne ad dominum redeat, tametsi mutato consilio ad eum revertatur; *nemo enim tali peccato*, inquit, *paenitentia sua nocens esse desinit.*

cf. D. 47, 2, 60 Ulpianus libro primo ad edictum

1 *Fl.* Caecilius.

aedilium curulium. 'Qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrificaret, tametsi mutato consilio id domino postea reddidit, fur est; nemo enim tali peccato paenitentia sua nocens esse desinit.'

9. D. ibid. § 6. (P. 1761[c]). — Caelius .. scribit, si servum emeris qui se in Tiberim deiecit, si moriendi dumtaxat consilio suscepto a domino discessisset, non esse fugitivum; sed si fugae prius consilium habuit, deinde mutata voluntate in Tiberim se deiecit, manere fugitivum. eadem probat et de eo qui de ponte se praecipitavit.

10. D. ibid. § 7. — Idem ait, si servus tuus fugiens vicarium suum secum abduxit: si vicarius invitus aut imprudens secutus est neque occasionem ad te redeundi nactus praetermisit, non videri fugitivum fuisse; sed si aut olim cum fugeret intellexit quid ageretur aut postea cognovit quid acti esset et redire ad te cum posset noluit, contra esse. idem putat dicendum de eo quem plagiarius abduxit.

11. D. ibid. § 8. — Idem Caelius ait, si servus, cum in fundo esset, exisset de villa ea mente, ut profugeret, et quis eum priusquam ex fundo tuo exisset, comprehendisset, fugitivum videri; animum enim fugitivum facere.

12. D. ibid. § 9. — Idem ait nec eum qui ad fugam gradum unum alterumve promovit vel etiam currere coepit, si dominum sequentem non potest evadere, non esse fugitivum.

13. D. ibid. § 10. — Idem .. ait libertatis cuiusdam speciem esse fugisse, hoc est potestate dominica in praesenti liberatum esse.

14. D. ibid. § 12. — Apud Labeonem et Caelium quaeritur, si quis in asylum confugerit aut eo se conferat, quo solent venire qui se venales postulant, an fugitivus sit.

15. D. ibid. § 13. — Item Caelius scribit placere eum quoque fugitivum esse, qui eo se conferat, unde

eum dominus reciperare non possit, multoque magis illum fugitivum esse qui eo se conferat, unde abduci non possit.

16. D. ibid. § 15. — Apud Caelium scriptum est: liberti apud patronum habitantis sic, ut sub una clave tota eius habitatio esset, servus ea mente ne rediret ad eum, extra habitationem liberti fuit, sed intra aedes patroni, et tota nocte oblituit: videri esse fugitivum Caelius ait. plane si talem custodiam ea habitatio non habuit et in ea cella libertus habitavit, cui commune et promiscuum plurium cellarum iter est, contra placere debere Caelius ait et Labeo probat.

cf. Proculus D. 21, 1, 17, 4 supra p. 108.

17. D. ibid. § 16. — Idem Caelius ait servum in provinciam missum a domino, cum eum mortuum esse et testamento se liberum relictum audisset et in eodem officio permansisset tantumque pro libero se gerere coepisset, hunc non esse fugitivum; *nec enim mentiendo se liberum,* inquit, *fugitivus esse coepit, quia sine fugae consilio id fecit.*

18. D. 21, 1, 65, 2. Venuleius libro quinto Actionum (P. 2). — Servus tam veterator quam novicius dici potest. sed veteratorem non spatio serviendi, sed genere et causa aestimandum Caelius ait; nam quicumque ex venalicio noviciorum emptus alicui ministerio praepositus sit, statim eum veteratorum numero esse, novicium autem non tirocinio animi, sed condicione servitutis intellegi. nec ad rem pertinere, Latine sciat nec ne, nec[1] ob id veteratorem esse, si liberalibus studiis eruditus sit.

19. Gell. 6, 4, 1—3. — Pilleatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil praestaret, Caelius Sabinus iuris peritus scriptum reliquit. cuius rei causam esse ait, quod eiusmodi condicionis mancipia insignia esse in vendundo deberent, ut emptores errare

1 *Fl.* nam.

et capi non possent, neque lex vendundi opper esset, sed oculis iam praeciperent, quodnam esset cipiorum genus; *sicuti*, inquit, *antiquitus mancipia belli capta coronis induta veniebant et idcirco diceb sub corona venire. namque ut ea corona signum captivorum venalium, ita pilleus impositus demonstr eiusmodi servos venundari, quorum nomine emptori ditor nihil praestaret.*

20. D. 21, 1, 20. Gaius libro primo ad edi aedilium curulium (P. 381). — Si .. ante vendit tempus dictum intercesserit, deinde post aliquot interposita fuerit stipulatio, Caelius Sabinus s ex priore causa, quae statim, inquit, ut veniit id cipium eo nomine posse agere coepit.

Quomodo locus varie tentatus emendari debeat n

De iumentis vendundis.

21. D. 21, 1, 38, 7. Idem (sc. Ulpianus) libro sec ad edictum aedilium curulium (P. 1792). — Ca .. scribit non omnia animalia castrata ob id i vitiosa esse, nisi propter ipsam castrationem sunt imbecilliora, et ideo mulum non esse vitio idem refert Ofilium existimasse, equum castratum sa esse, sicuti spado quoque sanus est; sed si em ignoravit, venditor scit, ex empto esse actionem.

Eisele Z. d. Sav.-St. X, 314 sq.

22. D. ibid. § 11 (P. 1793). — Vendendi .. c ornatum iumentum videri Caelius ait non, si sub te venditionis [hoc est biduo ante venditionem] orn sit, sed si in ipsa venditione ornatum sit, ideo inquit, venale cum esset sic ornatum inspiceretu

23? Gell. 4, 2, 8. — Sues etiam feminae si ste essent et venum issent, ex edicto aedilium posse Labeonem scripsisse.

1 *Fl.* aut ideo.

2. Iuris civilis libri.

Praeter librum ad edictum aedilium curulium iuris ioque civilis libros Caelium edidisse reliqua eius fragenta indicant.

De hereditate liberti.

1. Gai. 3, 70. — .. si cum liberis suis etiam exaneum heredem patronus reliquerit, Caelius Sabinus t tota bona pro virilibus partibus ad liberos defuncti ırtinere, quia cum extraneus heres intervenit, non ıbet lex Iunia locum, sed senatusconsultum (sc. Lupo Largo consulibus factum).

cf. Gai. 3, 63.

De legatis.

2. Gai. 2, 195. — ... Sabinus .. et Cassius ceteriıe nostri praeceptores, quod ita legatum sit (sc. per ndicationem), statim post aditam hereditatem putant ıri legatarii, etiamsi ignoret sibi legatum esse, sed ısteaquam scierit et ⟨spreverit⟩ legatum, proinde se atque si legatum non esset.

cf. Gai. 2, 200.

3. D. 15, 2, 1 §§ 5—7. Ulpianus libro vicensimo ıno ad edictum (P. 859). — In alienatione accipitur ique venditor, qui actione de peculio intra annum ıetur. sed et si donavit servum .. in eadem causa t. item heres eius qui servum legavit non cum culio. nam si cum peculio vel legavit vel liberum se iussit, quaestionis fuit. et mihi verius videtur ın dandam neque in manumissum neque in eum, cui ;atum sit peculium de peculio actionem. an ergo ıeatur heres? et ait Caelius[1] teneri, quia peculium nes eum sit qui tradendo id legatario se liberavit.

De libertate relicta.

4. D. 35, 1, 72, 7. Idem (sc. Papinianus) libro tavo decimo Quaestionum (P. 272). — Falsam con-

1 *Fl.* Caecilius.

dicionem Cassius et Caelius Sabinus impossibilem esse dixerunt, veluti 'Pamphilus, si quod Titio debeo solverit, liber esto', si modo nihil Titio fuit debitum; quod si post testamentum factum testator pecuniam exsolvit, defecisse condicionem intellegi.

De (mancipatione et) emptione venditione.

5. Gai. 3, 141. — .. ait Caelius Sabinus, si rem tibi venalem habenti, veluti fundum ⟨acceperim et⟩ pretii nomine hominem forte dederim, fundum quidem videri venisse, hominem autem pretii nomine datum esse, ut fundus acciperetur.

De iure dotium.

6? D. 24, 1, 64. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Vir mulieri divortio facto quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur. mulier reversa erat, deinde divortium fecerat. ... verum est quod Proculus et Caecilius (Caelius?) putant, tunc verum esse divortium et valere donationem divortii causa factam, si aliae nuptiae insecutae sunt aut tam longo tempore vidua fuisset, ut dubium non foret alterum esse matrimonium; alias nec donationem ullius esse momenti futuram.

---

10. IUVENTIUS CELSUS

P. Iuventii Celsi consulis anni 129 pater, iurisconsultus, qui non libris scribendis sed tantum respondendo operam dedit, quem Ducenus Verus consul anni incerti in consilio habuit (D. 31, 29 pr.), Proculianorum scholae post Pegasum princeps (D. 1, 2, 2, 53 'Pegaso Celsus' sc. successit), quem filius a patre instructus (D. 31, 20) secutus est (D. ibid. 'patri Celso Celsus filius'). posteriores, qui filii inprimis Digestorum libris usi sunt, hunc simpliciter 'Celsum' vel 'Iuventium Celsum' designant, non

modo Paulus, Ulpianus, Marcianus, sed etiam Iulianus Digestorum libris (D. 28, 2, 13 pr. 'quod etiam Iuventio Celso apertissime placuit') et Pomponius cum libris ad Q. Mucium (D. 45, 3, 38 'Celsus scribit') tum ad Sabinum (l. III D. 28, 5, 27 pr. P. 418, l. V D. 45, 1, 14 P. 447[b], l. VI D. 34, 3, 2 P. 508, l. XXII D. 12, 6, 19, 4 P. 691). at hic eundem iisdem libris non raro 'Celsum filium' nominat, sc. l. XI D. 21, 2, 29 pr. P. 573, D. 13, 6, 13, 2 P. 574[b] et l. XXXIV D. 41, 1, 30, 1 P. 796. semel Ulpianus in Digestorum libris D. 13, 6, 5, 15 P. 807 ait: 'Celsus filius scripsit' vel Iulianum vel Pomponium secutus, et similiter Paulus libris ad Plautium D. 45, 1, 91, 3 ait: 'Celsus adulescens scribit'.

'Celsum patrem' laudant et Pomponius libro singulari Enchiridii (D. 1, 2, 2, 53) et Neratius libris Membranarum (D. 17, 1, 39 'Celso patri placuit') et filius Digestorum libris (l. XIX D. 31, 20 P. 158 'a patre .. accepi', l. XXXVI D. 31, 29 pr. P. 251 'pater meus referebat', libro incerto, de quo Ulpianus D. 12, 4, 3, 7 tradit: 'refert patrem suum Celsum existimasse'), qui patris sententias ut severas nonnunquam reliquit (Ulpianus l. c. addit: 'sed ipse Celsus naturali aequitate motus putat ...').

Responsa.

De legatis.

1. D. 31, 20. Idem (sc. Celsus filius) libro nono decimo Digestorum (P. 158). — Et Proculo placebat et a patre sic accepi, quod servo communi <per vindicationem> legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non adcrescere; non enim coniunctim, sed partes legatas; nam ambo si vindicarent, eam quemque legati partem habiturum, quam in servo haberet.

De fideicommissis.

2. D. 31, 29 pr. Celsus libro trigensimo sexto Digestorum (P. 251). — Pater meus referebat cum

esset in consilio Duceni Veri consulis, itum in sententiam suam, ut, cum Otacilius Catulus filia ex asse herede instituta liberto ducenta legasset petissetque ab eo, ut ea concubinae ipsius daret, et libertus vivo testatore decessisset et quod ei relictum erat apud filiam remansisset, cogeretur filia id fideicommissum concubinae reddere.

Quod Celsus 'referebat', eum non libro, sed viva voce fecisse apparet. non caute Krueger p. 156 de Celsi operibus nobis non traditis ait.

De libertate relicta.

3. D. 12, 4, 3, 7. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 772[b]). — .. si servus, qui testamento heredi iussus erat decem dare et liber esse, codicillis pure libertatem accepit et id ignorans dederit heredi decem, an repetere possit? et refert patrem suum Celsum existimasse repetere eum non posse.

De deposito et mandato.

4. D. 17, 1, 39. Neratius libro septimo Membranarum (P. 52). — Et Aristoni et Celso patri placuit posse rem hac condicione deponi mandatumque (condicione fiduciae causa?) suscipi, ut res periculo eius sit qui depositum vel mandatum (depositi vel mandati causa?) suscepit.

Pernice III, 139 n. 2.

Non plane praetereundus videtur Pompeius Auctus, de quo Martial. 7, 51, 2—6 ait: 'Pompeium quaeres (et nosti forsitan) Auctum; Ultoris prima Martis in aede sedet: Iure madens varioque togae limatus in usu... Hunc licet a decima (neque enim satis ante vacabit) sollicites'. cf. Friedlaender III p. 450 sq.

V. NERVAE ET TRAIANI TEMPORUM IURIS CONSULTI.

1. Valerius Severus. — 2. Fulcinius Priscus. — 3. Minicius (Natalis?). — 4. Neratius Priscus. — 5 Titius Aristo. — 6. Iavolenus Priscus. — 7. Iuventius Celsus (filius).

1. VALERIUS SEVERUS

iurisconsultus Labeone minor natu a Iuliano, Paulo, Ulpiano laudatus, qui et respondendo et libris scribendis operam dedit, ceterum nobis ignotus.

I. Responsa.

Negotiorum gestorum.

1. D. 3, 5, 29. Iulianus libro tertio Digestorum (P. 45). — Ex facto quaerebatur: quendam ad siliginem emendam curatorem decreto ordinis constitutum; eidem alium subcuratorem constitutum siliginem miscendo corrupisse atque ita pretium siliginis, quae in publicum empta erat, curatori adflictum esse; quaque actione curator cum subcuratore experiri possit et consequi id, ut ei salvum esset, quod causa eius damnum cepisset. Valerius Severus respondit adversus contutorem negotiorum gestorum actionem tutori dandam.

2. D. ibid. — Idem respondit: ut magistratui adversus magistratum eadem actio detur, ita tamen, si non sit conscius fraudis. [secundum quae etiam in subcuratore idem dicendum est.]

17*

Ad legem Aeliam Sentiam?

3. D. 2, 4, 4, 3. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 260). — Parentes etiam eos accipi Labeo existimat, qui in servitute susceperunt, nec tamen (tantum?), ut Severus dicebat, ad solos iustos liberos.

cf. Gai. 1, 39. 'Iustae autem causae manumissionis sunt veluti si quis patrem aut matrem . . . manumittat'.

II. . . . libri.

De librorum indole certi nihil cognosci potest.

De dote.

1. D. 3, 3, 8 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro octavo ad edictum (P. 305). — . . . et filia familias poterit dare *cognitorem*[1] ad iniuriarum actionem. nam quod ad dotis exactionem cum patre dat *cognitorem*[1], supervacuum esse Valerius Severus scribit, cum sufficiat patrem dare ex filiae voluntate.

1 *Trib.* procuratorem.

De aqua cottidiana et aestiva.

2. D. 43, 20, 1, 21. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1570). — Quaesitum est, si quis ante annum aquam duxit, deinde sequenti tempore, hoc est intra annum, aqua influxerit ipsa sibi me non ducente, an hoc interdicto (sc. de aqua) locus sit. et refert Severus Valerius competere ei hoc interdictum, quasi duxisse videatur, licet penitus prospicientibus non videtur iste duxisse.

---

2. FULCINIUS PRISCUS

iuris consultus Labeone minor, Neratio maior natu (D. 31, 49, 1 'Labeo refert . ., Trebatium respondisse, quod . . Priscus Fulcinius falsum esse aiebat'. D. 39, 6, 43 'Neratius libro primo Responsorum. Fulcinius'), laudatus

una cum Fabio Mela (D. 25, 2, 3, 4 'Mela Fulcinius aiunt') et cum Atilicino (D. 25, 2, 6 pr. 'Atilicinus et Fulcinius aiunt'), ceterum nobis ignotus, qui et respondendo, ut videtur, et libris scribendis operam dedit.

Fulcinius laudatur tam libris ad Sabinum a Pomponio (D. 24, 1, 29 pr.), Paulo (D. 25, 2, 3, 4. 25, 2, 6 pr.), Ulpiano (D. 25, 1, 1, 3. 25, 1, 1, 3 pr.) quam libris ad edictum a Gaio (D. 11, 7, 29 pr.), Paulo (D. 43, 16, 8), Ulpiano (D. 42, 4, 7 pr.).

Iam videndum est, num 'Priscus' ille a iuris consultis nonnunquam laudatus Fulcinius habendus sit, quae res ideo valde dubia est, quod et Iavoleno et Neratio Prisci cognomen erat.

De Prisco referunt Iulianus (D. 39, 6, 21 'plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt'), Pomponius (D. 35, 1, 112, 3 'Priscus respondit'), Paulus (D. 41, 2, 1, 21. 41, 4, 2, 6 'Priscus ait'), Ulpianus (fr. 11, 28 'Priscus' et, si libris fides est, D. 7, 8, 10, 2 'et Priscus et Neratius putant'). atque in Iuliani fragmentis neque 'Fulcinius' neque 'Neratius' laudatur, sed tantum 'Iavolenus', quem praeceptorem suum designat (D. 40, 2, 5). itaque dubitari vix potest, quin Prisci quoque nomine ab illo praeceptor designetur. aliter sentit Lenel qui de Prisci cognomine neque apud Fulcinium neque apud Iavolenum, sed tantum apud Neratium quaerit Priscique responsum a Iuliano relatum inter Neratii fragmenta recepit (P. 99), sed ita, ut opere iam absoluto in addendis haec notaret: 'haud scio, an Prisci nomen in fr. 39, 6, 21 (Nerat. fr. 99) ad Fulcinium potius referendum sit'.

In Pomponii fragmentis et Fulcinius et Neratius laudantur, ita ut Prisci nomine modo hunc, modo illum videatur designasse. quod Neratii nomen ter invenitur (D. 30, 13. 35, 1, 6, 1. 41, 10, 3), Fulcinii semel (D. 24, 1, 29 pr.), parvi momenti est. sed ad rem expediendam fortasse facit, quod cum Fulcinii et Neratii nomina in libris ad Sabinum inveniantur, Prisci nomen in Epistularum libris extat, ita ut hoc nomine familiaris

quidam, qui consuluit, usus videatur esse. num ipse Pomponius Priscum consuluerit, cognosci nequit. cum vero illo loco quo Fulcinium laudat, non responsum eius affert, sed quod Fulcinius 'scripsit', Priscum autem respondisse tradit, Fulcinium non designari putaverim.

Paulus non modo Fulcinium laudat, sed etiam Iavolenum et Neratium; praeterea ad hunc libros scripsit. Fulcinii vero sententias affert in pluribus libris, sc. ad Sabinum, ad edictum, ad l. Iuliam et Papiam et ad Plautium. cum de Prisci sententia referatur libro LIV ad edictum, in quo Fulcinium quoque laudat (D. 43, 16, 8), fieri potest, ut Fulcinium Prisci nomine designaverit, quem alias 'Priscum Fulcinium' nominari legimus (D. 31, 49, 2). aliter sentit Lenel, qui P. I col. 778 n. 2 certe D. 41, 2, 1, 21 Neratium designari existimat collatis D. 41, 1, 13 et 41, 3, 47. at in D. 41, 2, 1, 21 de simili quidem re disputatur atque de qua Neratius dixit, sed non de eadem; de his vero rebus a multis disputatum esse constat. cf. D. 41. 2, 1, 22 'quidam contra putant, quoniam ipsos servos non possideant' (sc. municipes) et Gai. 2, 90 'an autem possessio adquiratur' (sc. per eas personas, quas in manu mancipiove habemus) quaeri solet, quia ipsas non possidemus'.

Ulpianus qui aeque atque Paulus non modo Fulcinium, sed etiam Iavolenum et Neratium laudat, Fulcinii sententias et libris ad Sabinum et ad edictum, Iavoleni libris ad Sabinum attulit, de Prisco, si quidem libri nostri fide digni sunt, et libris ad Sabinum (D. 7, 8, 10, 2 'et Priscus et Neratius putant') et libro singulari Regularum dicit. sed pro 'Priscus' illo loco Mommsen cum Stephano potius 'Proculus' legendum esse censet, quod Krueger p. 162 n. 126 quamvis dubitanter probat. at cum Neratius quoque in Responsorum libris Fulcinium laudaverit (D. 39, 6, 43), fieri potest, ut illo quoque loco Neratius Fulcinium et laudaverit et secutus sit. ceterum de tutela, de qua in altero Ulpiani fragmento 'Priscus' dixit, in Fulcinii quidem fragmentis nihil traditur.

Examinemus igitur in uno quoque auctore, quis Prisci nomine videatur designari.

Atque Pomponius, qui non quidem Iavoleni, sed Neratii et Fulcinii sententias affert, in Enchiridii illo fragmento celebri et Prisci Iavoleni et Prisci Neratii mentionem facit. libris ad Sabinum Neratii et libros laudat (D. 41, 10, 3 'Neratius scripsit') et responsa affert, ex. gr. D. 30, 13 ('Neratius respondit'), et ita quidem, ut pleno quoque Prisci Neratii nomine utatur (D. 34, 3, 8, 2), unde efficitur, cum Epistularum libris legatur 'Priscus respondit', de eodem Neratio sermonem esse.

In Iuliani fragmentis neque Iavoleni neque Neratii neque Fulcinii nomen invenitur; at Neratii quidem rationem videtur Iulianus habuisse. haec enim leguntur: D. 19, 1, 11, 13 'Neratius ait . . . sed Iulianus . . . probat'. D. 14, 6, 7 pr. 'Neratius . . . ait. idem Celsus . . . sed Iulianus adicit'. D. 15, 1, 11, 3 'Neratius et Nerva putant, item Neratius . . . scribit . .' itaque ille apud Iulianum Priscus cum Lenelio, qui D. 39, 6, 21 in Neratii fragmenta (99) recepit, Neratius haberi potest; sed tantum dubitationis remanet, ut Karlowa I 693 Prisci nomine hoc loco Fulcinium designari posse iudicet.

Quem Ulpianus Prisci nomine designare velit, cum et Iavolenum et Neratium et Fulcinium ubique solis his nominibus laudet, certo explorari nequit. in fragmento ex libris ad Sabinum desumpto et Stephano auctore emendato ('Priscus et Neratius putant') Prisci nomini potius Fulcinium quam Iavolenum subesse Karlowa l. l. ideo iudicat, quod Neratium Fulcinii rationem habuisse traditum sit.

In Pauli fragmentis Iavolenus atque Neratius nudis his nominibus designantur, Fulcinius vero modo simpliciter 'Fulcinius', modo 'Priscus Fulcinius' dicitur (D. 31, 49, 2), ut quem 'Priscum' nominat, eundem existimare liceat.

I. Responsa?

Fulcinii responsa quamquam non diserte traduntur, inter sententias eius esse possunt. cf. D. 39, 6, 43. 43,

16, 8. 13, 1, 13. accedit, quod 'Prisci' responsa quaedam ad Fulcinium videntur referri posse.

II. . . . libri.

In libris Fulcinii (D. 24, 1, 29 pr. Pomp. 'Fulcinius scripsit'), quorum neque nomen neque argumentum cognosci potest, priorum responsa tradita et examinata fuisse apparet D. 39, 6, 43. 31, 49, 2. ceterum priorum responsis propria fortasse admixta fuerunt: quod responsum Neratius e Fulcinii libris desumptum D. 39, 6, 43 pr. posuit, utrum ipsius Fulcinii an alterius sit, cognosci nequit. plerumque de iuris civilis institutis agitur, veluti de legatis, dote, furto. Fulcinii libri eiusdem, si quid video, fere generis fuerunt, cuius Atilicini, Minicii, Ursei, Plautii habendi sunt.

Fragmenta secundum ordinem Sabinianum collocavi.

De hereditatis aditione.

1? D. 39, 6, 21. Idem (Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Eum qui ut adiret hereditatem pecuniam accepisset, plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt mortis causa *ea*m[1] capere.

De legatis.

2. D. 31, 49, 2. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 949). — Labeo refert agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse Trebatium respondisse, quod . . Priscus Fulcinius falsum esse aiebat.

3? D. 7, 8, 10, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2576). — . . si sic relictus sit 'illi domus usu*m* fructu*m* habitandi causa', utrum habitationem solam an vero et usum fructum habeat, videndum. et Priscus[2] et Neratius putant solam habitationem legatam.

1 *Fl.* eum.
2 *Πρόκουλός τε ἅμα καὶ Νεράτιος* Stephanus ad Bas. 16, 8, 10.

De iure dotium.

4. D. 25, 1, 3 et 25, 3 pr. Ulpianus libro trigensimo sexto ad Sabinum (P. 2805). — Inter necessarias impensas esse Labeo ait moles in mare vel flumen proiectas. sed et si pistrinum vel horreum necessario factum sit, in necessariis impensis habendum ait. proinde Fulcinius inquit, si aedificium ruens quod habere mulieri utile erat refecerit, aut si oliveta reiecta restauraverit, vel stipulatio[1] damni infecti ne committatur praestiterit, | vel si vites propagaverit vel arbores curaverit vel seminaria pro utilitate agri fecerit, necessarias impensas fecisse videbitur.

5. D. 50, 16, 79, 1. Idem (sc. Paulus) libro sexto ad Plautium (P. 1127). — 'Utiles impensas' esse Fulcinius ait, quae meliorem dotem faciant, non ⟨tantum⟩ deteriorem esse non sinant, ex quibus reditus mulieri adquiratur, sicuti arbusti pastinationem ultra quam necesse fuerat, item doctrinam puerorum.

6. D. 11, 7, 29 pr. Gaius libro nono decimo ad edictum provinciale (P. 327). — Si mulier post divortium alii nupta decesserit, non putat Fulcinius priorem maritum, licet lucri dotem faciat, funeris impensam praestare.

De donatione inter virum et uxorem.

7. D. 24, 1, 29 pr. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum (P. 599). — Si mulier ex pecunia donata emptum servum vendidisset et alium emisset, posteriorem periculo mulieris esse Fulcinius scripsit.

Pomponius addit: 'quod non est verum, licet non ex re mariti emptus sit.'

8. D. 39, 6, 43. Neratius libro primo Responsorum (P. 82). — Fulcinius: inter virum et uxorem mortis causa donationem ita fieri, si donator iustissimum mortis metum habeat.

1 *Fl.* ex stipulatione.

De rerum amotarum actione.

9. D. 25, 2, 6 pr. Paulus libro septimo ad Sabinu (P. 1775). — Contra nurum . . socero hoc iudiciu dandum Atilicinus et Fulcinius aiunt, quotiens fil familias dos data est; socerum ob res divortii cau amotas furti agere non posse.

10. D. 25, 2, 3, 4. Paulus libro septimo ad Sab num (P. 1774). — Si filia familias res amoverit, Me Fulcinius aiunt de peculio dandam actionem, qu displicuit eam furti obligari, vel in ipsam ob re amotas dari actionem. sed si pater adiuncta filia r *uxoriae*[1] agat, non aliter ei dandam actionem, quai si filiam rerum amotarum iudicio in solidum et cu satisdatione defendat.

De possessione et usucapione.

11. D. 43, 16, 8. Idem (sc. Paulus) libro quinqua gensimo quarto ad edictum (P. 674ᵇ). — Fulciniu dicebat vi possideri, quotiens vel non dominus, cum tamen possideret, vi deiectus est.

12. D. 41, 2, 1, 21. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657ᶜ). — Si iusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit, videri mihi traditam Priscus ait; idemque esse, si nummos debitorem iusserim alii dare. non *esse*[2] enim corpore et tactu necesse adprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu. argumento esse eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas; nam pro traditis eas haberi, si in re praesenti consenserint, et vina tradita videri, cum claves cellae vinariae emptori traditae fuerint.

13? D. 41, 4, 2, 6. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 664). — Cum Stichum emissem

1 *Trib.* de dote.
2 *Fl.* est.

Dama per ignorantiam mihi pro eo traditus est. Priscus ait usu me eum non capturum, quia id quod emptum non sit, pro emptore usu capi non potest; sed si fundus emptus sit et ampliores fines possessi sint, totum *usu* capi[1], quoniam universitas eius possideatur, non singulae partes.

De condictione.

14. D. 13, 1, 13. Paulus libro trigensimo nono ad edictum (P. 567). — Ex argento subrepto pocula facta condici posse Fulcinius ait.

cf. Gai. 2, 79 '.. si ex auro aut argento meo vas aliquod feceris ..., ⟨quaeritur, utrum tuum sit quod ex meo effeceris,⟩ an meum ... sed eum .. cuius materia et substantia fuerit, furti adversus eum qui subripuerit, habere actionem; nec minus adversus eundem condictionem ei competere' (sc. maxime diversae scholae auctoribus visum est).

De missione in possessionem rei servandae causa.

15. D. 42, 4, 7 pr. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 1389). — Fulcinius existimat creditores rei servandae causa missos in possessionem ex his rebus ali non debere.

---

3. (L.?) MINICIUS (NATALIS?).

Quod in Iustiniani Digestorum fragmentis 'Minicius' a Pomponio ad Sabinum laudatur (D. 19, 1, 6, 4) et Iuliani libri 'ex Minicio' vel 'ad Minicium' afferuntur (P. 843—882), disputant viri docti, num is 'Minicius' idem sit atque vel ille 'Minicius Natalis', ad quem Traianum rescripsisse Ulpianus refert (D. 2, 12, 9), vel 'L. Minicius Natalis', de cuius honoribus CIL II, 4510. 4511.

1 *Trib.* longo tempore capi.

VIII, 2478. 4676 (antea Gruter Inscr. p. XLIX, 6. Orelli-Henzen III, 6498. 7081. cf. Wilmanns Exempla 1172) memoriae proditum est.

Atque Heineccium, quod hist. iur. § CCLXIII Minicium legatum Augusti pro praetore provinciae Moesiae inferioris fuisse existimabat, erravisse iam constat, cum legatus provinciae post a. 127 praefuerit. itaque cum ii quorum honores in inscriptionibus referuntur, filius et pater sint, illud tantum quaeritur, num iuris peritus ille Minicius et L. Minicius Natalis pater iidem habendi sint. quod K. Viertel in dissertatione doctissima qua 'Nova quaedam de vitis iurisconsultorum' profert, p. 21 sq. verum esse negat, plerisque eorum, qui postea de hac re dixerunt, quamvis dubitanter adstipulantibus. cf. Karlowa I p. 700sq. Krueger 2. 161 n. 125. Buhl Iulian. p. 54. Lenel P. II col. 699 n. 1. prosopographiam autem qui composuerunt viri doctissimi, Minicios illos ita diversos esse iudicant, ut hanc quaestionem ne attingant quidem (cf. II p. 376. 379). nihilo minus de re accuratius videndum est, et ita quidem, ut illius quoque Minicii, ad quem Plinius 7, 12 scribit et legis Miniciae, de qua Gaius 1, 78 et Ulpianus in libro singulari Regularum quaedam afferunt, ratio habeatur.

I. Minicius ille, quem Pomponius laudavit, Iulianus adnotavit, cum Sabini responsum rettulit (D. 19, 1, 6, 4 'Sabinum respondisse Minicius refert'), tum ipse responsa dedit (D. 6, 1, 61 'Minicius interrogatus . . . respondit'. D. 33, 3, 1 Iulian. l. I ex Minicio '. . . quaesitum est . . . respondit. Iulianus notat . . .'). quin etiam eundem ipsum Masurium de iure interrogasse viri docti plerique existimant, quia in Iuliani libro IV ex Minicio haec legantur (D. 12, 1, 22): '. . . quaesitum est . . . Sabinus respondit . . . interrogavi . . . respondit.' sed cum Iulianus in libris ex Minicio, in quibus propria quoque responsa videtur proposuisse (D. 3, 3, 76. 46, 8, 23 'Iulianus respondit') et certe suas sententias explicavit (D. 41, 2, 39 'puto'), ubi Minicii sententias affert, scripserit 'respondit' (D. 33, 3, 1.

23, 2, 49. 6, 1, 61), 'negavit' (D. 8, 3, 31. 22, 1, 26), ubicumque 'respondi' legitur, id quod D. 24, 1, 39 fieri videmus, aut de Iuliani responso cogitandum est aut 'respondit' scribendum, item de voce illa 'interrogavi' aut Iulianum interrogavisse aut legendum 'interrogavit' veri simile est, ut fragmento illi ne aequo plus tribuamus, cavendum sit.

II. L. Minicium Natalem, ad quem Traianum rescripsisse Ulpianus libro VII de officio proconsulis refert (D. 2, 12, 9 'Divus Traianus Minicio Natali rescripsit ferias a forensibus tantum negotiis dare vacationem, ea autem, quae ad disciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda, inter quae custodiarum quoque cognitionem esse'), proconsulatu vel proconsulis vice functum fuisse facile apparet.

III. L. Minicius Natalis, cuius in inscriptionibus illis mentio fit, utroque, ut videtur, bello Dacico legatus legionis alicuius fuit, circa a. 105 legatus legionis III Augustae (i. e. Numidiae), a. 106 vel 107 cum Q. Licinio Graniano consul suffectus, post a. 107, scilicet post Plinium, quocum amicitia videtur coniunctus fuisse (Plin. ep. 7, 12), curator alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis, legatus pro praetore provinciae Pannoniae inferioris, Hadriano principe, fere a. 119 vel 120, proconsul provinciae Africae. filium habuit L. Minicium Natalem quaestorem candidatum Hadriani Aug. et eodem tempore apud patrem leg. prov. Africae dioeceseos Carthaginiensis, a. 127 consulem suffectum.

Iam quin Minicius Natalis, de quo secundo loco dixi idem sit atque L. Minicius Natalis pater, dubitari vix potest. Karlowa I p. 701. Buhl p. 55. neque idonea ratio videtur esse qua iuris peritum illum eundem esse atque Minicium Natalem negemus. nam quod Krueger l. c. ait: 'Für die Identität des Verfassers (de libris a Minicio editis sermo est) mit dem ... Konsul des J. 107 Minicius Natalis bietet die Gleichheit des Geschlechtsnamens keinen genügenden Anhalt', illud opponendum est: non

solum idem nomen, sed etiam eandem aetatem et famam insignem ut de uno eodemque cogitemus, suadere.

Maxima vero dubitatio illis inde oritur, quod fragmento D. 12, 1, 22 cum ipso Masurio Sabino Minicium commercium habuisse probari videtur, id quod in consulem vix quadrare viri illi opinantur. at qui Minicium, ita quod non sine probabilitate fiat, adolescentem viginti annorum Sabinum circa a. 65 audiisse statuerit, eidem, postquam Hadrianus imperium nactus esset, illum paulo maiorem septuaginta annis praesertim cum filio legato Africae optime praeesse potuisse probabile videbitur.

Quae cum ita sint, de illius vita sic statuendum videtur: L. Minicius Natalis, in adulescentia Masurii Sabini auditor, postea et respondendo et libris, quibus et praeceptoris et propria responsa rettulit, componendis operam dabat. quos libros quo tempore ediderit, accuratius definiri nequit. Plinio, ut videtur, amico usus decessit post a. 119 vel 120. rescriptum illud a Traiano datum (D. 2, 12, 9) iam apparet non ad proconsulem Africae datum esse, id quod Karlowa I, 701 perperam iudicat, sed vel ad legatum Numidiae vel ad legatum Pannoniae inferioris; nam ut ad proconsules, ita ad legatos rescripta data esse ex. gr. et Vat. fr. § 223 et Collat. 15, 2, 2 demonstratur.

I. Lex Minicia.

1. Gai. 1, 78—80. — Quod .. diximus inter civem Romanam peregrinumque ⟨contracto matrimonio eum *Krueger vel, ut Mommsen mavult* nisi conubium sit⟩ qui nascitur, peregrinum esse, lege Minicia cavetur, ⟨qua lege effectum?⟩ est, ut s⟨i matrimonium inter cives Romanos peregrinosque non interveniente conubio contrahatur, is qui nascitur peregrini⟩ parentis condicionem s⟨equatur.⟩ eadem lege enim ex diverso cavetur, ut si peregrin⟨am cum⟩ qua ei conubium non sit, uxorem dux⟨erit civis Romanus⟩, peregrinus ex eo coitu nascatur. sed hoc maxime casu necessaria ⟨fuit⟩ lex Minicia; nam remota ea lege diversam condicionem

sequi deb⟨ebat, quia⟩ ex eis inter quos non est conubium, qui nascitur, iure gentium matris condicioni accedit. qua parte autem iubet lex ex cive Romano et peregrina peregrinum nasci, supervacua videtur; nam et remota ea lege hoc utique iure gentium futurum erat. adeo autem hoc ita est, ut ⟨ex cive Romano et Latina qui nascitur, Latinus nascatur, quamquam ad eos qui hodie Latini appellantur, lex Minicia non pertinet; nam comprehenduntur quidem peregrinorum appellatione in ea lege non⟩ solum exterae nationes et gentes, sed etiam qui Latini nominantur; sed ad alios Latinos pertinet, qui proprios populos propriasque civitates habebant et erant peregrinorum numero.

2. Ulpiani lib. sing. Regularum 5, 8. — Conubio interveniente liberi semper patrem sequuntur, non interveniente conubio matris condicioni accedunt, excepto eo qui ex peregrino et cive Romana peregrinus nascitur, quoniam lex M*inicia*[1] ex alterutro peregrino natum deterioris parentis condicionem sequi iubet.

Miniciam hanc legem quod L. Minicio Natali abiudicemus, cum vel sub Nerva principe leges rogatas esse tradatur (D. 47, 21, 3, 1. Karlowa I p. 624), nullam video rationem idoneam. cuius legis argumentum ad eandem fere aetatem referre licet, scilicet ad id tempus, quo et veteranis quibusdam principalibus constitutionibus conubium cum his Latinis peregrinisve, quas primas post missionem uxores duxerint, concedi (Gai. 1, 57) et peregrinis civitatibus quibusdam Latii ius vel a populo Romano vel a senatu vel a Caesare dari solebat (Gai. 1, 95). Minicius autem Natalis, qui ex utroque bello Dacico donis militaribus ornatus redierat, Romae de matrimoniis peregrinorum cum civibus Romanis non interveniente

1 *C.* Mensia, quae lectio antea in editionibus prolata ex eo demum tempore, quo Studemund in Gaii codice Veronensi 1, 78 legem Miniciam restituit, apud Ulpianum quoque emendata est.

conubio contractis legem rogandi et rationem potu habere et auctoritatem. ceterum optandum est, ut in ii quod ad matrimonia illa aetate in imperio Romano coı trahenda attinebat, inprimis de matrimonio quod iur gentium esse dicunt, diligentius quam adhuc factum eı inquiratur. id unum moneo, Gaium in iis quae 1, 7 de parte legis Miniciae supervacua et 1, 84. 85 de 'rı stituta' iuris gentium regula ait, regulas quibus ill aetate utebantur falso iam ad priorem aetatem referrı

II. Responsa.

Minicium responsa dedisse diserte traditum est. qua responsa cum in opere de quo infra videndum est, edidisse videatur, eadem hoc loco proponere supersedi. suffici seriem responsorum indicavisse.

De legatis tabernis.

1. D. 33, 3, 1. Iulianus libro primo ex Minicio (P. 845) v. infra p. 276.

De adquirendo rerum dominio.

2. D. 14, 2, 8. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 857) v. infra p. 278.

3. D. 41, 4, 10. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Minicium (P. 856) v. infra p. 277.

De servitutibus.

4. D. 8, 3, 31. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 852) v. infra p. 279.

De aqua.

5. D. 43, 20, 5, 1. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 869) v. infra p. 282.

De rei vindicatione.

6. D. 6, 1, 61. Iulianus libro sexto ex Minicio (P. 878) v. infra p. 285.

III. . . . libri.

De Minicii libris pleraque in Iuliani eiusdem operis recensione inveniuntur, cuius fragmenta Tribonianus in nova Digesta recepit. sed ne Iuliani quidem libros satis cognitos habemus, cum in plerisque fragmentis, scilicet triginta sex, libri 'ex Minicio', in tribus tantum, sicut in indice Florentino, 'ad Minicium' nominentur. accedit quod, quamquam in Ulpiani fragmento (D. 19, 1, 11, 15) haec leguntur: '(Iulianus) libro decimo apud Minicium ait', in Iustiniani Digestis alibi nusquam ultra sextum librum fragmenta extant et in indice Florentino diserte legitur: "Ἰουλιανοῦ ad Minicium βιβλία ἕξ'. itaque nonnulli viri docti pro 'libro X' potius 'libro V' scribendum esse putant (Krueger p. 161 n. 120), at Lenel P. I col. 484 n. 5 iure monet: 'inscriptionem falsam esse nullo modo constat, ignorantibus nobis, an universum Iuliani opus ad Iustiniani aetatem pervenerit'.

In recensendis Iuliani fragmentis Triboniani manus saepius agnoscitur. maximi autem momenti quaestio est de secernendis Minicii a Iuliani verbis. atque nonnunquam Iuliani notae diserte exhibentur: D. 33, 3, 1 'respondit. ... Iulianus notat: videamus ...' D. 6, 1, 61 'respondit. ... Iulianus notat: nam ...' in alio fragmento (D. 17, 1, 33) re proposita haec leguntur: 'Iulianus verius putat', bis scilicet D. 3, 3, 76 et 46, 8, 23, haec: 'Iulianus respondit'; nonnunquam nullo auctoris nomine addito tantem: 'respondit' (D. 41, 4, 10. 46, 1, 19. 23, 3, 49. 6, 1, 59), 'negavit' (D. 8, 3, 31. 43, 20, 5. 22, 1, 26), denique auctore non designato: 'respondi' (D. 24, 1, 39. 8, 5, 18), 'puto' (D. 41, 2, 39), 'cuius sententiae ... et ego sum' (D. 40, 12, 30).

In aliis eorum quae supra protuli fragmentorum Iuliani sententias referri manifestum est, quibus etiam altera pars fragmenti quod D. 47, 2, 60 legitur, attribuenda est, in quo sententia anonymi cuiusdam relata haec verba adduntur: 'hoc tamen ita accipiendum est ...' in aliis

vel glossatoris vel Triboniani manum suspicantes (D. 3, 3, 76. D. 46, 8, 23) Mommsen probante Kruegero p. 161 n. 121 'Iulianus' ante 'respondit' quasi glossema delendum censet, Lenel vero notat: 'potest, ut Trib. omissa Minicii opinione Iuliani adnotationem his verbis introduxerit'. 'dagegen möchte', inquit Krueger, 'D. 17, 1, 33: Rogatus ... Iulianus verius putat von den Kompilatoren ... trotz der Inscription nicht aus Iulianus ad Minicium selbst, sondern aus einer späteren Anführung, etwa bei Ulpian, entnommen sein'. Lenel vero genuinam orationem hanc fuisse conicit: 'non tenetur. Iulianus: verius puto'. utcumque haec res se habet, illud pro certo statuendum est, quod Krueger iudicat: 'Der Wechsel zwischen erster und dritter Person ... giebt keinen Anhalt dafür, daſs die erste Person auf Iulian gehe'; neque minus cavendum esse censco, ne verba 'respondi', 'puto', 'ego' aliaque eiusdem generis omnia ad Minicium referantur.

Equidem ea commata, in quibus legitur: 'verius est' (D. 33, 5, 12. 41, 4, 8. 41, 7, 7), potius Iuliano attribuenda iudico, fortasse ea quoque, in quibus talia leguntur: 'poterit' (D. 19, 1, 29), 'non poterit' (D. 46, 1, 19), 'se tuebitur' (D. 24, 1, 39) similiaque, nec minus ea, in quibus traditur, quid 'plerique' existiment (D. 17, 1, 33. 41, 4, 8), cuius generis multa in Iuliani libris leguntur.

Ut ad ipsum redeamus, Minicium priorum iuris consultorum, inprimis Sabini et Cassii, responsa attulisse videmus. haec enim leguntur: 'Sabinum respondisse Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4 Pomp. 'Sabinum refertur existimasse' D. 40, 12, 30 Iulian. l. V. 'Sabinus respondit' D. 12, 1, 22 Iul. l. IV. 'cuius (sc. Sabini) sententiae Cassius quoque est' D. 40, 12, 30 Iul. l. V. 'Cassius negavit' D. 19, 2, 32 Iul. l. IV. in aliis nonnullis fragmentis iuris consultorum priorum nomina a Triboniano deleta esse verisimile est. sed propria quoque responsa Minicium addidisse his probatur: 'Minicius interrogatus ... respondit ... Iulianus notat ...' D. 6, 1, 61 lib. VI. 'quae-

situm est ... respondit ... Iulianus notat: videamus' D. 33, 3, 1 lib. I.

Denique Minicium non modo civile ius, sed etiam honorarium spectasse satis apparet.

Quem vero rerum ordinem statuerit, cum ne de Iuliani quidem ordine satis constet, cognosci vix potest. in Iuliani illo fragmento, quod Ulpianus decimo Minicii libro videtur attribuere (supra p. 273), de emptione venditione mancipii agitur. in ceteris sex libris ab epitomatore, ut conicere licet, confectis cum alia tum haec tractata fuisse videmus: libro I legata et operas libertorum, libro II usucapionem et servitutes, libro III furta, libro IV adpromissores, emptionem venditionem et locationem conductionem, libro V ius dotium et stipulationes praetorias, libro denique VI rei vindicationem, ut videtur, et inter alia eum, 'qui potestatem sui non faciebat, ne secum agi posset'.

Videtur libro IV quidem de mancipio non sano, ergo de aedilicio edicto sermo fuisse (D. 21, 1, 50), sed mancipii emptio venditio, de qua Iulianus libro illo dixit, non venaliciorum venditio habenda est.

Itaque cum id tantum liceat statuere, ut Iulianum ita et Minicium a testamentis exordium fecisse, fragmenta secundum Iuliani libros proponere idoneum videtur.

Ex Iuliani libro I.

De legatis.

De usu fructu legato.

1? D. 7, 1, 67. Iulianus libro primo ex Minicio (P. 843). — Cui usus fructus legatus est, etiam invito herede eum extraneo vendere potest.

De habitatione legata.

2? D. 33, 2, 11. Idem (sc. Iulianus) libro primo ex Minicio (P. 844). — Habitationis legatum in singulos annos ab initio anni deberi constat.

Iulianus verbo 'constat' saepissime usus est. cf. P. 275. 282. 355. 397. 465. 478. 492. 551.

De fundo legato.

3? D. 35, 1, 30. Idem (sc. Iulianus) libro primo ex Minicio (P. 848). — Si separatim mihi totus fundus pure, tibi sub condicione <per vindicationem> legatus fuerit et tu decesseris, antequam condicio extiterit, non habebo necessitatem implere condicionem, utpote cum, etiamsi condicio defecerit, pars quam vindicaturus eras, mihi adcrescat.

De servo legato.

4? D. 33, 5, 12. Idem (sc. Iulianus) libro primo ex Minicio (P. 847). — Servo generaliter legato verius est omnes heredes, si eis electio data est, eundem dare debere; si non consentiant heredes, ex testamento eos teneri.

De tabernis legatis.

5. D. 33, 3, 1. Iulianus libro primo ex Minicio (P. 845). — Qui duas tabernas coniunctas habebat, eas singulas duobus legavit. quaesitum est, si quid ex superiore taberna in inferiorem inaedificatum esset, num inferior oneri ferundo in superioris tabernae loco contineretur. respondit servitutem impositam videri.

Locus corruptus fortasse sic emendari posse puto: num inferior oneri ferundo [in] superioris tabernae [loco con-] teneretur.

Sequuntur haec: 'Iulianus notat: videamus ...'

De legato debiti.

6? D. 30, 105. Idem (sc. Iulianus) libro primo ex Minicio (P. 846). — Legatum ita erat: 'quae Lucius Titius mihi debet, ea heres meus Cornelius dare damnas esto'. nihil amplius ex hoc legato quam actiones suas heres praestare debet.

De operis libertorum.

7? D. 38, 1, 27. Iulianus libro primo ex Minicio (P. 849). — Si libertus artem pantomimi exerceat, verum est debere eum non solum ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitam operam praebere; sicut eum quoque libertum, qui medicinam exercet, verum est voluntate patroni curaturum gratis amicos eius. neque enim oportet patronum, ut operis liberti sui utatur, aut ludos semper facere aut aegrotare.

Ex Iuliani libro II.

De verborum obligatione.

8? D. 45, 1, 62. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ex Minicio (P. 858). — Servus vetante domino si pecuniam ab alio stipulatus sit, nihilo minus obligat domino promissorem.

De usucapione.

9. D. 41, 4, 8. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ex Minicio (P. 855). — Si quis, cum sciret venditorem pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisset, plerique responderunt eum nihilo minus bona fide emptorem esse, idque verius est. quomodo enim mala fide emisse videtur, qui a domino emit? nisi forte et is, qui a luxurioso et protinus scorto daturo pecuniam servos emit, non usucapiet.

10? D. 41, 4, 10. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Minicium (P. 856). — Servus domino ancillam, quam subripuerat, pro capite suo dedit; ea concepit. quaesitum est, an dominus eum partum usucapere possit. respondit: hic dominus quasi emptor partum usucapere potest, namque res ei abest pro hac muliere et [genere] quodammodo venditio inter servum et dominum contracta est.

11? D. 41, 2, 39. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ex Minicio (P. 854). — Interesse puto, qua mente

apud sequestrum deponitur res. nam si omittendae possessionis causa[1], ad usucapionem possessio eius partibus non procederet; at si custodiae causa deponatur, ad usucapionem eam possessionem victori procedere constat.

12? D. 16, 3, 10. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 853). — (D. 16, 3, 9 Paulus l. XVII ad ed. In depositi actione si ex facto defuncti agatur adversus unum ex pluribus heredibus, pro parte hereditaria agere debeo; si vero ex suo delicto, pro parte non ago ...) nec adversus coheredes eius, qui dolo carent, depositi actio competit.

13[a]. D. 14, 2, 8. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 857[b]). — Qui levandae navis gratia res aliquas proici*a*nt, non hanc mentem habe*re*[2], ut eas pro derelicto habeant, quippe si invenerint eas, ablaturos et, si suspicati fuerint, in quem locum eiectae sunt, requisituros, ut perinde sint (sit?), ac si quis onere pressus in viam rem abiecerit mox cum aliis reversurus, ut eandem auferret.

13[b]. D. 41, 7, 7. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ex Minicio (P. 857[a]). — Si quis merces ex nave iactatas invenisset, num ideo usucapere non possit, quia non viderentur derelictae, quaeritur. sed verius est eum pro derelicto usucapere non posse.

De servitutibus.

14? D. 8, 2, 22. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 850). — Qui aedificium habet, potest servitutem vicino imponere, ut non solum de his luminibus, quae in praesentia erunt, sed etiam de his quae postea fuerint, caveat.

16? D. 8, 2, 34. Iulianus libro secundo ex Minicio

1 *Trib. adiecit* et hoc aperte fuerit approbatum.
2 *Trib.* proiciunt — habent.

(P. 851). — Et qui duas areas habet, alteram *mancipando*[1] servam alteri efficere potest.

De aqua.

16? D. 8, 3, 31. Iulianus libro secundo ex Minicio (P. 852). — Tria praedia continua trium dominorum erant. imi praedii dominus ex summo fundo imo fundo servitutem aquae quaesierat et per medium fundum domino concedente in suum agrum ducebat. postea idem summum fundum emit . deinde imum fundum, in quem aquam induxerat, vendidit. quaesitum est, num imus fundus id ius aquae amisisset, quia, cum utraque praedia eiusdem domini facta essent, ipsa sibi servire non potuissent. negavit amisisse servitutem, quia praedium, per quod aqua ducebatur, alterius fuisset, et quemadmodum servitus summo fundo, ut in imum fundum aqua veniret, imponi aliter non potuisset, quam ut per medium quoque fundum duceretur, sic eadem servitus eiusdem fundi amitti aliter non posset, nisi eodem tempore etiam per medium fundum aqua duci desisset aut tria simul praedia unius domini facta essent.

Ex Iuliani libro III.

De furtis.

17. D. 47, 2, 60. Idem (sc. Iulianus) libro tertio ex Minicio (P. 860). — Si is, qui rem commodasset, eam rem clam abstulisset, furti cum eo agi non *posse*[2], quia suum recepisset et ille commodati liberatus esset. 'Hoc tamen ita accipiendum est, si nullas retinendi causas is cui commodata res erat habuit; nam si impensas necessarias in rem commodatam fecerat, interfuit eius potius per retentionem eas servare quam ultro commodati agere, ideoque furti actionem habebit'.

1 *Trib.* tradendo.
2 *Trib.* potest.

18? D. 41, 1, 39. Iulianus libro tertio ex Minicio (P. 859). — Etiam furtivus servus bonae fidei emptori adquirit, quod ex re eius stipulatur aut *mancipio*[1] accipit.

De arboribus succisis?

19. D. 47, 7, 10. Iulianus libro tertio ex Minicio (P. 861). — Si gemina arbor esset et supra terram iunctura eius emineret, una*m* arbor*em* vide*ri* esse. sed si id qua iungeretur non extaret, totidem arbores *esse*[2], quot species earum supra terram essent.

cf. Plin. h. n. 17, 1, 7.

Ex Iuliani libro IV.

De legatis.

20? D. 19, 2, 32. Iulianus libro quarto ex Minicio (P. 865). — Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit et eum fundum legavit. Cassius negavit posse cogi colonum, ut eum fundum coleret, quia nihil heredis interesset. quod si colonus vellet colere et ab eo, cui legatus esset fundus, prohiberetur, cum herede actionem colonum habere, et hoc detrimentum ad heredem pertinere, sicuti si quis rem quam vendidisset nec dum tradidisset, alii legasset, heres eius emptori et legatario esset obligatus.

De condictione.

21? D. 46, 1, 19. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 866). — Servus inscio domino pro quodam fideiusserat et eo nomine pecuniam solverat. quaerebatur, dominus possetne ab eo cui soluta esset, repetere. respondit: *interest, quo nomine fideiusserit; nam si ex causa peculiari fideiussit, tunc id quod ex*

1 *Trib.* per traditionem.
2 Triboniani adiutor scripsit: 'una arbor videtur esse. sed . . . arbores sunt'.

peculio solverit, repetere dominus non poterit; quod ex dominica pecunia solverit, vindicabitur; si vero extra causam peculii fideiusserit, quod ex pecunia dominica solverit, aeque vindicabitur, quod ex peculio, condici poterit.

De verborum obligatione.

22. D. 17,1,33. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 868). — Rogatus ut fideiuberet si in minorem summam se obligavit, ⟨is pro quo se obligavit?⟩ recte tenetur; si in maiorem, ⟨non tenetur?⟩.

Iulianus verius putat quod a plerisque responsum est eum, qui maiorem summam quam rogatus erat fideiussisset, hactenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset, quia id fecisset, quod mandatum ei est; nam usque ad eam summam, in quam rogatus erat, fidem eius spectasse videtur qui rogavit.

23? D. 12,1,22. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 867). — Vinum quod mutuum datum erat, per iudicem petitum est. quaesitum est, cuius temporis aestimatio fieret, utrum cum datum esset an cum litem contestatus fuisset an cum res iudicaretur. Sabinus respondit, si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset; si dictum non esset, quanti tunc fuisset, cum petitum esset. interrogavi, cuius loci pretium sequi oporteat. respondit, si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset, si dictum non esset, quanti ubi esset petitum.

De emptione venditione.

24? D. 19,1,29. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 863). — Cui res sub condicione legata erat, is eam imprudens ab herede emit: actione ex empto poterit consequi emptor pretium, qu*ando*[1] ex causa legati rem habet.

1 *Fl.* quia non.

25? D. 21, 1, 50. Iulianus libro quarto ex M (P. 864). — Varicosus sanus non est.

De aqua.

26? D. 43, 20, 5, 1. Idem (sc. Iulianus) quarto ex Minicio (P. 869). — Inter duos qui e rivo aquam certis horis separatim ducebant, con ut permutatis inter se temporibus aqua uter quaero, cum amplius *biennio*[1] ita duxissent, ut n eorum suo tempore usus esset, num ius utendi sissent. negavit amisisse.

Ex Iuliani libro V.

De iure dotium.

27? D. 23, 3, 49. Idem (sc. Iulianus) libro q ex Minicio (P. 870). — Vir ab eo, qui uxori eius facere (dare?) volebat, certam pecuniam eo nomin pulatus est, deinde acceptam eam fecit. quaere essetne ea pecunia in dotem. respondit, si acce non fecisset et promissor solvendo esse desisset, reremus, an culpa mariti ea pecunia exacta non cum vero acceptam fecit, omnimodo periculum ad pertinebit; perinde enim est, ac si acceperit pecuni eandem promissori donaverit.

28. D. 24, 1, 39. Iulianus libro quinto ex M (P. 871). — Vir uxori pecuniam cum donare permisit ei, ut a debitore suo stipuletur. illa cu fecisset, priusquam pecuniam auferret, divortium quaero, utrum vir eam summam petere debeat an ea promissione propter donationis causam actio esset. respondi⟨t⟩ inanem fuisse eam stipulatio Sed si promissor mulieri ignorans solvisset, si q pecunia exstat, vindicare eam debitor potest. s actiones suas marito praestare paratus est, doli ma ceptione se tuebitur ideoque maritus hanc pecunia

1 *Trib.* tempore servitutibus praefinito.

bitoris nomine vindicando consequetur. sed si pecunia non exstat et mulier locupletior facta est, maritus eam petet; intellegitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier, quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

De stipulationibus praetoriis.

29. D. 3, 3, 76. Idem (sc. Iulianus) libro quinto ad Minicium (P. 872). — Titius cum absentem defenderet, satisdedit et prius quam iudicium acciperet desiit reus solvendo esse, quam ob causam defensor recusabat iudicium in se reddi oportere. quaero, an id ei concedi oporteat. [Iulianus?] respondit: defensor cum satisdedit, domini loco habendus est. nec multum ei praestaturus est praetor, si eum non coegerit iudicium accipere, cum ad *spon*sores[1] eius iri possit et hi quidquid praestiterint, a defensore consecuturi sint.

cf. supra p. 274.

30? D. 46, 8, 23. Idem (sc. Iulianus) libro quinto ex Minicio (P. 873). — Procurator cum peteret pecuniam, satisdedit amplius non peti; post iudicium acceptum extitit, qui et ipse procuratorio nomine eandem pecuniam peteret . quaesitum est, cum is, qui postea peteret, procurator non esset et propter hoc exceptionibus procuratoriis excludi posset, num *spon*sores[2] prioris procuratoris tenerentur. [Iulianus?] respondit: verius est non obligari *spon*sores[2]; nam in stipulatione cavetur non petiturum eum, cuius de ea re actio petitio persecutio sit, et ratum habituros omnes, ad quos ea res pertinebit. hic autem, qui procurator non est, nec actionem nec petitionem habere intellegendus est.

De in rem actione.

31? D. 40, 12, 30. Iulianus libro quinto ex Minicio (P. 875). — Duobus petentibus hominem in servitutem

1 *Trib.* fideiussores.
2 *Trib.* fideiussores.

pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero servus iudicatus est, commodissimum est eo usque cogi iudices, donec consentiant. si id non continget, Sabinum refertur existimasse duci servum debere ab eo qui vicisset, cuius sententiae Cassius quoque est.

Et ego sum. et sane ridiculum est arbitrari eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem eius tueri. commodius autem est favore libertatis liberum quidem eum esse, compelli autem pretii sui partem viri boni arbitratu victori suo praestare.

De aqua pluvia arcenda.

32? D. 39, 3, 25. Iulianus libro quinto ex Minicio (P. 874). — Is cuius fundo via debetur, aquae pluviae ⟨a via⟩ arcendae agere potest fundi sui nomine, quoniam deteriore via facta fundo nocetur.

Ex Iuliani libro VI.

De vinariis vasis legatis.

33? D. 50, 16, 206. Iulianus libro sexto ex Minicio (P. 881). — 'Vinaria' vasa proprie vasa torcularia esse placet; dolia autem et serias tamdiu in ea causa esse, quamdiu vinum haberent, cum sine vino esse desinerent, in eo numero non esse, quoniam ad alium usum transferri possent, veluti si frumentum in his addatur. eandem causam amphorarum esse, ut, cum vinum habeant, tum in vasis vinariis, cum inanes sint, tum extra numerum vinariorum sint, quia aliud in his addi possit.

Orationem corruptam viri docti varie emendare student. Mommsen scribi iubet: 'cum sine vino essent, desinere in eo numero esse'; Lenel verba 'esse desinerent' glossam putat et postea 'essent' scribendum.

De fructu fundi legato?

34? D. 22, 1, 26. Idem (sc. Iulianus) libro sexto ex Minicio (P. 880). — Venationem fructus fundi negavit esse, nisi fructus fundi ex venatione constet.

cf. Cassium D. 7, 1, 9, 5 supra p. 44.

De locatione conductione.

35? D. 2, 14, 56. Idem (sc. Iulianus) libro sexto ad Minicium (P. 876). — Si convenerit, ne dominus a colono quid peteret, et iusta causa conventionis fuerit, nihilo minus colonus a domino petere potest.

36. D. 19, 1, 6, 4. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 555). — ... si vas mihi vendideris ita, ut adfirmares integrum, si id integrum non sit, etiam id quod eo nomine perdiderim, praestabis mihi; si vero non id actum sit, ut integrum praestes, dolum malum dumtaxat praestare te debere. Labeo contra putat et illud solum observandum, ut nisi in contrarium id actum sit, omnimodo integrum praestari debeat, et est verum. quod et in locatis doliis praestandum Sabinum respondisse Minicius refert.

De in rem actione.

37? D. 6, 1, 59. Iulianus libro sexto ex Minicio (P. 877). — Habitator in aliena aedificia fenestras et ostia imposuit, eadem post annum dominus aedificiorum dempsit. quaero, is qui imposuerat possetne ea vindicare. respondit posse; nam quae alienis aedificiis conexa essent, ea quamdiu iuncta manerent, eorundem aedificiorum esse, simul atque inde dempta essent, continuo in pristinam causam reverti.

38. D. 6, 1, 61. Iulianus libro sexto ex Minicio (P. 878). — Minicius interrogatus, si quis navem suam aliena materia refecisset, num nihilo minus eiusdem navis maneret. respondit manere. sed si in aedificanda ea idem fecisset, non posse.

Iulianus notat: nam proprietas totius navis carin causam sequitur.

Verba 'num nihilo minus eiusdem navis maner non integra esse Pernice censet.

De bonis possidendis.

39? D. 8, 5, 18. Iulianus libro sexto ex Minic (P. 879). — Is, cuius familia vicinum prohibebat aqua ducere, sui potestatem non faciebat, ne secum a posset. quaerit actor, quid sibi faciendum esset. r spondi*t* oportere praetorem causa cognita iubere boı adversarii possideri et non ante inde discedere, qua is actori ius aquae ducendae constituisset et si qui quia aquam ducere prohibitus esset, siccitatibus detı menti cepisset, veluti si prata arboresve exaruisse*r* *restituisset*[1].

Ex Iuliani libro X.

De emptione venditione.

40? D. 19, 1, 11, 15. Idem (sc. Ulpianus) libro tr gensimo secundo ad edictum (P. 882). — .. libro decim apud Minicium ait (sc. Iulianus), si quis servum e condicione vendiderit, ut intra triginta dies duplaı promitteret, postea ne quid praestaretur, et empto hoc fieri intra diem non desideraverit, ita demum no teneri venditorem, si ignorans alienum vendidit; tun enim in hoc *tene*ri[2], ut per ipsum et per heredem eiu emptorem habere liceret. qui autem alienum scien vendidit, dolo, inquit, non caret et ideo empti iudici tenebitur.

4. L. NERATIUS PRISCUS

origine Saepinas, filius L. Neratii, frater Marcell (D. 33, 7, 12, 43), praefectus aerarii Saturni, consul suf fectus cum M. Annio Vero (D. 48, 8, 6) sub Domitian

1 *Fl.* exaruisset.
2 *Fl.* fieri *emend. Cuiacius.*

principe, fortasse a. 83 vel a. 87, Domitiano interfecto legatus pro praetore in provincia Pannonia, anno, ut videtur, 98 vel 99, a quo Plinius amicus Voconii Romani gratia beneficium aliquod petiit (ep. 2, 13), cui idem Saturninum commendavit (ep. 7, 8), accitus in consilium Traiani (D. 37, 12, 5), qui eum successorem elegisse traditur (vita Hadr. 4), nec minus in Hadriani consilium (ibid. 18), patronus scribarum quaestoriorum.

Iuris consultus Neratius cum multis litterarum commercio coniunctus inprimis Proculum secutus ex. gr. Marcello fratri suo respondit (D. 33, 7, 12, 43) et Rufino (D. ibid. § 35) et Aristoni (D. 19, 2, 19, 2).

Composuit praeterea libros de iure civili, scilicet ex Plautio, Epistolarum, Responsorum, Membranarum, Regularum, denique de nuptiis librum.

Scholae Proculianae princeps successit Iuventio Celso cum filio eius (Pomponius § 53), qui bis consul fuit, iterum a. 129 et quidem cum Neratio Marcello (C. 7, 9, 3).

Postquam Hadriano principe Membranarum libros composuit (D. 44, 2, 11 pr.), eodem principe videtur decessisse, priusquam Pomponius libros ad Sabinum composuit; in libro enim VI haec leguntur: 'Priscus Neratius existimabat' (D. 34, 3, 8, 2 P. 509).

Filium habuit Priscus Priscum VII virum epulonem, legatum Augusti pro praetore in Pannonia inferiore et Pannonia superiore, nepotem Fufidium Priscum, pronepotem Atticum. laudatur Neratia Marullina filia Neratii Prisci consulis, utrius autem, maioris Prisci an minoris, dubitatur. laudantur L. Neratii Prisci servus, Neratii Prisci serva, iuris consulti et fratris Neratiorum vilicus, Neratiorum cellarius. CIL IX, 2454. 2455. 2458. 2484. 2531. Wilmanns 1152—1158. Borghesi opp. V p. 350 sqq. Mommseni ind. Plinii ed. Keil p. 420. Hermes III p. 38 sqq. Prosopogr.

Quamquam ex iis quae diximus, num Neratius in hanc collectionem recipiendus sit, dubitari posse apparet, tamen cum Traiani aetate eum responsa dedisse constet (D. 37,

12, 5), non erat praetermittendus. itaque iuris consultum ita recepi, ut ea, quae sine dubio Hadriani demum aetate edidit, asterisco designarem.

In Neratii fragmentis laudantur veteres (D. 45, 1, 140, 1), Servius (D. 12, 4, 8), Labeo (D. 37, 10, 9. 39, 2, 47), Sabinus (D. 8, 6, 21), Proculus (D. 8, 3, 5, 1. 34, 2, 32, 5), Atilicinus (D. 8, 5, 5, 1), Fulcinius (D. 39, 6, 43), Celsus pater (D. 17, 1, 39), Aristo (D. 17, 1, 39. 18, 3, 5. 36, 3, 13).

Ipsum laudant (de 'Prisco' infra videndum est) Celsus filius, Pomponius (de quibus aeque infra accuratius dicam), Gaius tam Fideicommissorum libris (D. 36, 1, 65, 12 P. 398) quam libro singulari de casibus (D. 12, 6, 63. 38, 1, 49), Marcellus Digestorum libris (D. 50, 16, 85 P. 6), Scaevola Quaestionum libris (D. 33, 5, 18 P. 171), Papinianus item Quaestionum libris (l. XI D. 37, 12, 5 P. 195. l. XVII D. 7, 1, 33 pr. P. 254. l. XIX D. 31, 67, 8 P. 281. l. XXXVII D. 4, 3, 19 P. 380), Paulus praeter libros ad Neratium tam libris ad Sabinum (l. III D. 16, 2, 4 P. 1645. l. IV D. 33, 7, 13 pr. § 1 P. 1670. l. VI D. 8, 2, 19 pr. P. 1738. l. VII D. 23, 30 P. 1756. D. 24, 1, 26, 1 P. 1751. D. 24, 3, 17 pr. § 2 P. 1766[b]), ad Vitellium (D. 33, 7, 18, 2. 34, 2, 32, 5), ad legem Aeliam Sentiam (D. 28, 5, 56 P. 913) et legem Fufiam Caniniam (D. 35, 1, 37 P. 925), quam ad edictum (l. III D. 2, 14, 27 pr. P. 127[f]. l. IX D. 3, 5, 17 P. 190. l. XII D. 41, 3, 8 pr. P. 232. l. XXXII D. 17, 1, 22, 8 P. 487. D. 17, 1, 26, 7 P. 488. l. LIV D. 41, 2, 7 P. 658) et ad Plautium (l. V D. 18, 1, 57 pr. P. 1116. l. VI D. 42, 1, 21 P. 1131[b]. l. VIII D. 35, 1, 43, 3 P. 1156) et libris Quaestionum (D. 15, 3, 19 P. 1315), Responsorum (D. 22, 1, 14, 1 P. 1560), Manualium (Vat. fr. 54 P. 993), Ulpianus similiter tam libris ad Sabinum (l. V D. 28, 5, 9, 14 P. 2464. l. XVII D. 7, 1, 7, 3 P. 2558. Vat. fr. 75 P. 2562. Vat. 78. 79 P. 2564. Vat. 83 P. 2566. Vat. 85 P. 2569. D. 7, 8, 10, 2 P. 2576. l. XVIII D. 35, 1, 7 pr. P. 2559. l. XIX D. 40, 4, 7 P. 2597[k]. l. XX D. 33, 7, 12, 4. 35, 43 P. 2609.

2611. l. XXXI D. 23, 3, 5, 6. 8 P. 2751[e]. l. XXXII D. 24, 1, 5, 5 P. 2764[b]. D. 24, 1, 13, 2 P. 2769. l. XLI D. 47, 2, 43, 1 P. 2869), quam ad edictum praetoris (l. VI D. 3, 2, 11, 3 P. 284[b]. l. IX D. 3, 3, 27, 1 P. 317. l. XII D. 4, 6, 15, 3 P. 431. l. XV D. 5, 3, 13, 3 P. 512. l. XVI D. 6, 2, 9, 3 P. 570[d]. l. XVII D. 8, 5, 2, 2 P. 594. D. 8, 3, 3 pr. §§ 1. 2. 3 P. 596[a.b]. D. 8, 3, 5, 1 P. 596[e]. l. XVIII D. 9, 2, 9, 2 P. 614[b]. D. 9, 2, 23 pr. P. 616[b]. Coll. 12, 7, 7 P. 623[b]. l. XIX D. 10, 2, 18, 7 P. 633[b]. D. 10, 2, 20, 7 P. 634. l. XX D. 10, 3, 7, 1 P. 642. l. XXIII D. 9, 4, 21, 6 P. 681. D. 11, 3, 9, 3 P. 703[a]. D. 11, 3, 11 pr. P. 703[b]. l. XXIV D. 10, 4, 3, 11 P. 719. D. 10, 4, 9, 8 P. 722. l. XXV D. 11, 7, 20 pr. P. 753[c]. l. XXVI D. 12, 4, 3, 5 P. 772[b]. l. XXIX D. 15, 1, 9, 1 P. 852[c]. D. 15, 1, 11, 3 P. 852[d]. D. 14, 6, 7 pr. P. 876[b]. l. XXX D. 16, 3, 1, 20. 21 P. 895. l. XXXI D. 17, 1, 12, 5 P. 810[b]. D. 17, 2, 52, 16. 17 P. 922[c]. l. XXXII D. 21, 2, 37, 2 P. 930[b]. D. 19, 1, 11, 7—13 P. 931. D. 19, 1, 13, 14 P. 934. D. 18, 3, 4, 1 P. 937. D. 19, 2, 19, 2 P. 951. l. XXXV D. 27, 3, 9, 1 P. 1014. l. XXXVIII D. 13, 1, 12, 2 P. 1058[b]. l. LIII D. 39, 3, 1, 2 P. 1285. l. LVI D. 47, 10, 1, 8. 9 P. 1335. D. 47, 10, 7, 5 P. 1339. l. LIX D. 42, 4, 7, 16 P. 1390. l. LXXI D. 43, 24, 7, 1 P. 1593[b]. l. LXXIII D. 20, 3, 3 P. 1634. l. LXXV D. 44, 2, 9, 1 P. 1667. D. 44, 2, 11 pr. P. 1669. l. LXXVI D. 44, 4, 4, 18 P. 1680) et libris Disputationum (l. II D. 15, 1, 32, 2 P. 47. l. V D. 36, 1, 23, 3 P. 109. l. VIII D. 35, 2, 82 P. 144) et Fideicommissorum (D. 36, 1, 1, 19 P. 1872), denique incertus quidam apud Dositheum (fr. 15).

Genera librorum, in quibus Neratii sententias tractatas fnisse Iustiniani Digesta docent, haec fere sunt: (Pomponii Pauli Ulpiani) libri ad Sabinum, (Pauli) libri ad legem Aeliam Sentiam et ad legem Fufiam Caniniam, (Pauli et Ulpiani) libri ad edictum, (Celsi et Marcelli) libri Digestorum, (Scaevolae et Papiniani) libri Quaestionum, (Pauli) Responsorum, (Ulpiani) Disputationum, (Gaii et Ulpiani) Fideicommissorum.

Sed redeamus ad iuris consultos Neratii a atque notandum est, neque in Iavoleni aut Iulia mentis Neratium neque in Neratii fragmentis Iav aut Iulianum unquam laudari. de Iavoleno Sal scholae principe v. infra p. 291; Iulianum autem, q lenum magistrum habuit, de iisdem saepe rebu Neratium dixisse apparet, et ita quidem, ut mo sentiret (ex. gr. D. 4, 3, 19 'Neratius Priscus et I responderunt'. D. 3, 3, 27, 1 'et Neratius probat e nus'), modo dissentiret (ex. gr. D. 19, 1, 11, 13 'N ait . . . sed Iulianus . . . probat'. D. 14, 6, 7 pr. 'Nera ait. idem Celsus ... sed Iulianus adicit'). cf. Buhl Iulia

In Pomponii vero et Celsi fragmentis Neratii nunquam laudatur: ab illo non modo in libro si Enchiridii (D. 1, 2, 2, 53), sed etiam in libris Epist (D. 35, 1, 112, 3) et inprimis ad Sabinum (sc. l. III 1, 6, 1 P. 423, l. IV vel potius V D. 30, 13 P. 43 D. 30, 45 pr. P. 498. D. 34, 3, 8, 2 P. 509, l. VIII 7, 5 pr. P. 524, l. XIII D. 17, 2, 62 P. 586, l. XXII 10, 3 P. 696), a Celso in Digestorum libris (D. 191). ad Sabinum libros composuit Pomponius im Hadriano ante Iuliani Digesta edita, Celsus vero I rum libros vel ante Pomponii libros ad Sabinum quippe a Pomponio saepius adhibitos; Celsi enim v filii sententiae a Pomponio libris III (P. 418), V (P VI (P. 508), IX (P. 533b), XI (P. 573b. 574b), XV (P XXII (P. 691), XXVI (P. 720), XXXV (P. 796) quin e Celsi Digestorum libris desumptae sint, nequit. cf. Paling. apud Celsum 49 (l. VI), 74. (l. VIII), 125. 126b (l. XVI), 176 (l. XX), 207 (l 220 (l. XXVI). Celsi libros post edictum a Iulia stitutum conscriptos esse licet putare. cf. Krueger idem fortasse existimandum est de Neratii Membr libris a Celso Digestorum libro XXIII laudatis (D. 8, de quibus infra.

Denique videndum est, quatenus Prisci nomin tius a iuris consultis designetur (cf. supra p. 261 sq.)

Plinius quidem hoc nomine et Iavolenum significat (ep. 6, 15) et Neratium; scripsit autem non modo 'Prisco suo' (ep. 2, 13. 6, 8. 7, 8 et 19), sed etiam in epistolis ad alios datis de 'Prisco nostro' ait (ep. 7, 7 et 15). de Pomponio res mira videtur. nam cum in Enchiridii libro singulari et 'Priscum Iavolenum' vel 'Iavolenum Priscum' et 'Priscum Neratium' laudaverit (D. 1, 2, 2, 53), in reliquis fragmentis nusquam Iavoleni, Neratii vero vel 'Prisci Neratii' saepius mentio fit, ita ut 'Priscus' quoque, quod nomen non raro occurrit, Neratius videatur esse. at eorum, qui de Iavoleni sententiis dixerunt, fragmenta Tribonianus pleraque omisit (inter fragmenta CCXXXX in P. congesta haec tantum servata sunt: 2. 148. 200. 235—340), cum eorum, qui de Neratii sententiis dixerunt, fragmenta maiorem partem efficiant (sunt enim inter fragmenta CLXXXVIII in P. congesta haec: 1. 2. 10. 19. 27. 28. 30[b]. 38. 41. 43. 49. 56—64. 72—74. 79. 80. 86. 87. 89[b.c]. 91[a]. 92—97. 100—112. 114—130. 132—136. 138—151. 153—160. 163—166. 169—173. 175—182. 184—186. 188). itaque in paucis illis fragmentis, quibus de Iavoleni sententiis agitur, Pomponium nunquam, in his eundem saepius reperiri mirum non est. at cum Pomponius de Prisco Neratio dicere solitus sit (D. 1, 2, 2, 53. 24, 3, 8, 3), quem Marcellus (D. 50, 16, 85) et Papinianus (D. 4, 3, 19. 31, 67, 8. 37, 12, 5) et auctor incertus apud Dositheum (fr. 15) Neratium Priscum nominant, Iavolenum vero primo Priscum Iavolenum, postea laudato etiam Prisco Neratio potius Iavolenum Priscum nominaverit, dubitari nequit, quin Prisci nomine Neratium designare voluerit.

Paulum et Ulpianum, qui cognomine omisso et Iavolenum et Neratium laudant, solo Prisci nomine eundem Neratium designasse ideo verisimile est, quod uterque Pomponii libris usus est (v. ex. gr. Paul. D. 16, 2, 4 'quod et Neratio placebat et Pomponius ait'. Ulp. Vat. fr. 83 'et ita et Neratio et Aristoni videtur et Pomponius probat').

I. Senatusconsultum Neratio Prisco consule factum.

D. 48, 8, 6. Venuleius Saturninus libro primo de officio proconsulis. — Is qui servum castrandum tradiderit, pro parte dimidia bonorum multatur ex senatusconsulto, quod Neratio Prisco et Annio Vero consulibus factum est.

Castrari mares Domitianum vetuisse traditum est. Suet. Domit. 7. Dio Cass. 67, 2. quod praeceptum Eusebio teste (Chron. 2098) referendum videtur ad tempus non mense Octobri annorum 82 et 83, sed Octobri annorum 81 et 82 finitum. Friedlaender III p. 429. quod de eodem praecepto Venuleium Saturninum viri docti vulgo putant referre, ideo dubium est, quod de castrandis hominibus plura senatus consulta facta videntur, ut Paulus D. 5, 23, 18 aliud indicat de eo factum, 'qui hominem invitum libidinis aut promercii causa castravit castrandumve curavit'. accedit quod Dio Cassius non modo Domitianum, sed etiam Nervam legem tulisse tradit, ne quis eunuchum faceret (68, 2). quam rem eo explicari puto, quod secundum Ulpiani testimonium varia spadonum genera fuerunt (D. 50, 16, 128) et quidem arte factorum, scilicet castrati, thlibiae, thlasiae; castratione enim prohibita homines ingeniosi thlibias et thlasias facere instituerant. nam quemadmodum Hadrianus, qui Corneliae legis poena eos, qui spadones fecissent, teneri statuerat (D. 48, 8, 4, 2), qui thlibias fecissent, in eadem causa esse constituit, qua qui castravissent (D. 48, 8, 5), similiter iam antea Nervam senatusconsultum illud Domitiano principe factum contra ingeniosorum hominum artes tutatum esse putaverim. iam cf. Mommsen Strafrecht p. 637.

II. Responsa.

Cum Neratius responsa peculiaribus libris ediderit, hoc loco pauca proponenda sunt.

De bonorum possessione manumissoris.

1. D. 37, 12, 5. Papinianus libro undecimo Quaestionum (P. 195). — Divus Traianus filium, quem pater male contra pietatem adficiebat, coegit emancipare. quo postea defuncto pater ut manumissor bonorum possessionem sibi competere dicebat. sed consilio Neratii Prisci et Aristonis ei propter necessitatem solvendae pietatis (potestatis?) denegata est.

De beneficio a Caesare dato.

2. D. 50, 17, 191. Idem (sc. Celsus) libro trigensimo tertio Digestorum (P. 247). — Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viventi Caesar rescripserat, iam defuncto dedisse existimaretur, respondit non videri sibi principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius aestimationem esse.

Hoc fragmentum, quo fortasse de iure liberorum consulenti alicui Neratium respondisse Lenel conicit, ad legem Iuliam et Papiam explicandam scriptum esse constat.

III. Ex Plautio libri.

Laudantur semel idque ab Ulpiano libris ad edictum D. 8, 3, 5, 1 ('Neratius libris ex Plautio') et videntur post libros a Iavoleno ex Plautio factos compositi esse. post Neratium ex eodem Plautio libros fecerunt VII Pomponius (P. 326—371), Paulus XVIII (P. 1071—1247). atque in Pomponii fragmentis Neratius nusquam nominatur, in Pauli non modo Pomponius, sed etiam Iavolenus (D. 34, 2, 8 P. 1171) et Neratius, et hic quidem ter: libro V D. 18, 1, 67 pr. P. 1116 ('Neratius ait'), libro VI D. 42, 1, 2 P. 1131[b] ('Neratius scribit'), libro VIII D. 35, 1, 43, 3 P. 1156 ('Neratius libro primo Responsorum scribit'), ita ut priora fragmenta ex Neratii his libris desumpta videantur.

In Neratii fragmento quod unum diserte his libris attribuitur, laudantur Proculus et Atilicinus, quorum in Pomponii fragmentis nunquam, saepius apud Paulum mentio fit (de Proculo v. P. 1101. 1118. 1156, de Atilicino P. 1081. 1114. 1158[a]. 1172), qui et 'veterum' responsa (D. 47, 2, 67, 2 P. 1141 'veteres responderunt') vel constitutiones (D. 45, 1, 61 P. 1289 'veteres constituerunt') attulit.

De servitutibus.

1. D. 8, 3, 5, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 596[e]). — ... Neratius libris ex Plautio ait nec haustum nec appulsum pecoris nec cretae eximendae calcisque coquendae ius posse in alieno esse, nisi fundum vicinum habe*nti*; et hoc Proculum et Atilicinum existimasse ⟨Plautius⟩ ait. sed ipse dicit, ut maxime calcis coquendae et cretae eximendae servitus constitui possit, non ultra posse, quam quatenus ad eum ipsum fundum opus sit.

De emptione venditione.

2? D. 18, 1, 57 pr. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1116). — Domum emi, cum eum et ego et venditor combustam ignoraremus. Nerva Sabinus Cassius nihil venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt. sed si pars domus maneret, Neratius ait ⟨in⟩ hac quaestione multum interesse, quanta pars domus incendio consumpta ⟨sit, quanta⟩ permaneat [ut, si quidem amplior domus pars exusta est, non compellatur emptor perficere emptionem, sed etiam quod forte solutum ab eo est repetit; sin vero vel dimidia pars vel minor quam dimidia exusta fuerit, tunc coartandus est emptor venditionem adimplere aestimatione viri boni arbitratu habita, ut quod ex pretio propter incendium decrescere fuerit inventum, ab huius praestatione liberetur.]

Triboniani ea esse quae uncis inclusi negari nequit.

Gradenwitz, Interpolationen p. 46. Eisele, Z. d. Sav.-St. VII p. 30. Lenel ad Paul. 1116 n. 4. quae Neratius scripserit, certo erui nequit.

De re uxoria.

3? D. 42, 1, 21. Paulus libro sexto ad Plautium (P. 1131[b]). — Sicut .. cum marito agitur, ita et cum socero, ut non ultra facultates damnetur. an si cum socero ex promissione dotis agatur, in id quod facere potest, damnandus sit? quod *itidem*[1] aequum esse videtur. sed alio iure utimur, ut et Neratius scribit.

IV. De nuptiis liber.

Quod huius libri, quem Gellius 4, 4 laudat ('Neratius scripsit in libro quem de nuptiis composuit'), in iuris consultorum fragmentis a Triboniano receptis nusquam mentio fit, mirum non est. quo in libro componendo Neratium Servii libro de dotibus (I p. 226), quem in Membranarum quoque libro II attulit (D. 12, 4, 8 'Quod Servius in libro de dotibus scribit'), usum esse idem Gellius tradit ('Servius Sulpicius in libro quem scripsit de dotibus ... inquit ... haec eadem Neratius scripsit in libro ...'). a Neratio autem Gellium ea quae ut ex Servii libro petita profert, fortasse a Neratio mutuatum esse Karlowa I, 705 suspicatur. num Senecae libro de matrimonio (opp. ed. Frid. Haase III p. 428 sqq.) Neratius usus sit, non magis scimus quam num Modestinus, qui de ritu nuptiarum librum singularem edidit, cuius unum fragmentum extat (D. 23, 2, 42), ex Neratii libro hauserit. qui liber cur id quod Dirksen (Hinterl. Schriften I, 323) voluit, Membranarum librorum caput habeatur, idonea ratio non est.

1. Gell. 4, 4. — Sponsalia in ea parte Italiae, quae Latium appellatur, hoc more atque iure solita fieri scripsit Servius Sulpicius in libro, quem scripsit

1 *Fl.* et id.

de dotibus: 'Qui uxorem', inquit, 'ducturus erat, al eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matri monium ⟨datum iri; qui daturus erat, id eidem spon debat. item qui uxorem daturus erat, ab eo cui ean daturus erat, stipulabatur, eam in matrimonium⟩ duc tum iri; qui ducturus erat, itidem spondebat. is con tractus stipulationum sponsionumque dicebatur spon salia. tunc quae promissa erat, sponsa appellabatu qui spoponderat ducturum, sponsus. sed si post ea stipulationes uxor non dabatur aut non ducebatur, qu stipulabatur, ex sponsu agebat. iudices cognoscebant iudex quamobrem data acceptave non esset uxoı quaerebat. si nihil iustae causae videbatur, liten pecunia aestimabat, quantique interfuerat eam uxoren accipi aut dari, eum qui spoponderat ⟨ei⟩ qui stipu latus erat, condemnabat.' hoc ius sponsaliorum ob servatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas uni verso Latio lege Iulia data est. haec eadem Neratiu scripsit in libro quem de nuptiis composuit.

2? Gell. 4, 3, 2 v. I p. 227.

V. Responsorum libri III.

Neratium Responsorum libros III edidisse indice Flor. traditur ('Νερατίου responson βιβλία τρία'). primi et secundi et incerti libri fragmenta in Iustiniani Digestis referuntur ita, ut et Paulum et Ulpianum his libris usum esse videamus. Paul. l. VIII ad Plautium D. 35, 1, 43, 3 'Neratius libro primo Responsorum ait'. Ulp. l. V Disputationum D. 36, 1, 23, 3 'Neratius libro primo Responsorum scribit'. Ulp. l. XXIX ad edictum D. 14, 6, 7 pr. 'Neratius libro primo et secundo Responsorum ... ait'. Ulp. ibid. D. 15, 1, 9, 1 'Neratius libro secundo Responsorum scribit'. Ulp. l. XXXII ad edictum D. 19, 1, 11, 12 'Idem (sc. Neratius) libro secundo Responsorum ait'. Paul. l. IV Quaestionum D. 15, 3, 19 'Neratius libro ⟨...⟩ Responsorum ait'.

His maxime libris Neratii 'responsa' a posteris memoriae prodita deberi credendum est. afferuntur autem a Celso l. XXXIII Digestorum D. 50, 17, 191 ('Neratius consultus ... respondit'), a Pomponio libris III et IV ad Sabinum D. 35, 1, 6, 1 et D. 30, 13 ('Neratius respondit'), a Papiniano l. XVII et XXXVII Quaestionum D. 7, 1, 33 pr. ('Neratius ... respondit'); D. 4, 3, 19 ('Neratius Priscus et Iulianus responderunt'), a Paulo l. IV ad Sabinum D. 33, 7, 13, 1 ('Neratius respondit'), l. XII ad edictum D. 41, 3, 8 pr. ('Labeo Neratius responderunt'), l. I ad Neratium D. 47, 19, 6 ('respondit'), Ulpianus l. XIX ad edictum D. 10, 2, 20, 7 ('Neratius .. respondit').

Responsa maximam partem de iure civili data sunt, additis nonnullis vel de peculio vel de in rem verso, de quibus rebus vel Iavolenum libris ex Cassio dixisse vidimus. attulit priorum iuris consultorum sententias, ex. gr. Fulcinii (D. 39, 6, 43) et, ut conicere licet, Proculi (D. 34, 2, 32, 5) et Labeonis (D. 41, 3, 8 pr.).

De iisdem rebus in pluribus interdum libris Neratium dixisse Ulpianus testis est (D. 14, 6, 7 pr.); quod autem exemplum affert, id ad senatusconsultum Macedonianum pertinet. quod similiter de legatis et primo et secundo libro Neratium dixisse pluribus fragmentis probatur, singuli libri separatim et deinceps editi videntur.

Restat ut de incerti cuiusdam operis fragmento videamus, nonne Responsorum libris attribuendum sit. Paulus enim l. XIV Responsorum D. 22, 1, 14, 1 haec tradit '... Paulus respondit ... Neratius libro primo ita refert ...' quibus verbis Responsorum librum significari veri simillimum videtur, quamvis Paulum in Responsorum quoque libris Neratii responsa attulisse nullis, quantum video, praeterea testimoniis probetur. at in his ipsis libris Paulum responsa neglexisse, quae vel in aliis attulit, nemo putabit.

Librorum fragmenta secundum Sabinianum ordinem proponenda duxi. fragmenta supra p. 293 relata quamvis fieri potuerit, ut ipsa quoque in Responsorum libros reciperentur, hoc loco non iterum proposui.

Liber I.

De legatis.

De usufructu legato.

1. Vat. fr. § 75 (Ulp. l. XVII ad Sab.). — Idem (sc. Iulianus) ait, et si communi servo et separatim Titio usus fructus legatus sit, amissam partem usus fructus non ad Titium, sed ad solum socium pertinere debere quasi solum coniunctum. quam sententiam neque Marcellus neque Mauricianus probant; Papinianus quoque libro XVII Quaestionum ab ea recedit. quae sententia Nerati fuerit, est libro I Responsorum relatum.

Cum Papinianus Responsorum libro primo (P. 387—407) non de legatis, sed aliis de rebus agat, Neratii liber designatur.

2. Vat. fr. 79 (Ulp. l. XVII ad Sab. P. 2564). — Neratius putat cessare ius adcrescendi libro I Responsorum.

Sequuntur haec: 'cuius sententiae congruit ratio Celsi dicentis totiens ius adcrescendi esse, quotiens in duobus, qui solidum habuerunt, concursu divisus est'.

cf. D. 7, 2, 3 pr.

3. D. 7, 1, 33 pr. Papinianus libro septimo decimo Quaestionum (P. 254). — Si Titio fructus, Maevio proprietas legata sit et vivo testatore Titius decedat, nihil apud scriptum heredem relinquetur. et id Neratius quoque respondit.

Videtur fragmentum huic libro attribuendum.

De fideicommissis.

4. D. 35, 1, 43, 3. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1156). — Neratius libro primo Responsorum scribit, ex duobus scriptis heredibus si unus rogatus sit tibi hereditatem restituere, tu Titio certam summam dare, et beneficio legis Falcidiae in restituendo heres

utatur, quanto minus tibi praestiterit, tanto minus te Titio praestare non esse iniquum.

5. D. 36, 1, 23, 3. Ulpianus libro quinto Disputationum (P. 109). — .. si quis rogetur restituere hereditatem et vel servi decesserint vel aliae res perierint, placet non cogi eum reddere quod non habet. [culpae plane reddere rationem, sed eius quae dolo proxima est.] et ita Neratius libro primo Responsorum scribit.

Inclusa verba Pernice non Neratii esse censet.

6. D. 22, 1, 14, 1. Paulus libro quarto decimo Responsorum (P. 1560). — Neratius libro primo ita refert eum, qui .. rogatus esset, ut mulierem restitueret, partum eius restituere cogendum non esse, nisi tunc editus esset, cum in fideicommisso restituendo moram fecisset.

Paulus addit: 'neque interesse existimo, an ancilla specialiter an hereditas in fideicommisso sit'.

De operis libertorum.

7. D. 38, 1, 50 pr. Neratius libro primo Responsorum. — Operarum editionem pendere ex existimatione edentis; nam dignitati facultatibus consuetudini artificio eius convenientes edendas.

8. D. ibid. § 1. — Non solum autem libertum, sed etiam alium quemlibet operas edentem alendum aut satis temporis ad quaestum alimentorum relinquendum et in omnibus tempora ad curam corporis necessariam relinquenda.

cf. Gaius libro XIV ad edict. prov. D. 38, 1, 22, 2: 'In omnibus operis praecipue observandum est, ut temporis spatia, quae ad curam corporis necessaria sunt, liberto relinquantur'. cf. Kuebler, Z. d. Sav.-St. XI, 45.

De emptione venditione.

9[a]. D. 19, 1, 6, 1. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 554). — Si vendidi tibi insulam certa pe-

cunia et ut aliam insulam meam reficeres, agam e vendito, ut reficias; si autem hoc solum, ut reficere eam convenisset, non intellegitur emptio et venditi facta, ut et Neratius scripsit.

9b. D. 19, 5, 6. Neratius libro primo Responsorun — Insulam hoc modo, ut aliam insulam reficere vendidi. respondit nullam esse venditionem, sed civi intentione incerti agendum.

In secundo horum fragmentorum Neratii verba no modo in breve coacta, sed etiam mutata sunt. Pernic III, 1 p. 17.

De iure dotium?

10. D. 26, 7, 52. Neratius libro primo Respon sorum. — Curator pro minore non tantum doter dare debet, sed etiam impendia, quae ad nuptias fa cienda sunt.

11. D. 39, 6, 43. Neratius libro primo Respon sorum. — Fulcinius: inter virum et uxorem morti causa donationem ita fieri, si donator iustissimun mortis metum habeat. Neratius: sufficere existima tionem donantis hanc esse, ut moriturum se putet quam iuste nec ne susceperit, non quaerendum. quod magis tuendum est.

De furtis.

12. D. 47, 2, 84 pr. Neratius libro primo Responsorum. — Si quis ex bonis eius, quem putabat mortuum, qui vivus erat, pro herede res adprehenderit, eum furtum non facere.

13. D. ibid. § 1. — Ei cum quo suo nomine furti actum est, si servi nomine de alia re adversus eum agatur, non dandam exceptionem furti una facti.

Neratii verba a Triboniano mutata sic fortasse restituenda sunt: Si servi nomine de *eadem* re ⟨furto ablata⟩ adversus eum agatur, non dandam exceptionem *rei iudicatae.*

De verborum obligatione.

14. D. 16, 3, 30. Neratius libro primo Responsorum. — Si fideiussor pro te apud quem depositum est litis aestimatione damnatus sit, rem tuam fieri.

De sc. Macedoniano.

15. D. 14, 6, 7 pr. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum. — . . si filius familias fideiusserit, Neratius libro primo ... Responsorum cessare senatus consultum ait.

De peculio.

16. D. 15, 1, 55. Neratius libro primo Responsorum. — Is cum quo de peculio agebam a te vi exemptus est; quod tunc cum vi eximeres in peculio fuerit, spectari.

Liber II.

De legatis.

17. D. 7, 1, 61. Neratius libro secundo Responsorum. — *Usufructuarius novum rivum parietibus non potest inponere. aedificium inchoatum fructuarium consummare non posse placet, etiamsi eo loco aliter uti non possit, sed nec eius quidem usum fructum esse [nisi in constituendo vel legando usu fructu hoc specialiter adiectum sit, ut utrumque ei liceat].*

18. D. 45, 3, 22. Neratius libro secundo Responsorum. — Servum fructuarium ex re domini inutiliter fructuario stipulari, domino ex re fructuarii utiliter stipulari.

19. D. ibid. 24. Neratius libro secundo Responsorum. — Et si duorum usus fructus sit, quod ex operis suis alteri eorum stipulatus sit, pro ea dumtaxat parte, ex qua usus fructus eius sit, adquiri.

20. D. 33, 7, 23. Neratius libro secundo Responsorum. — Cum quaeratur, quod sit tabernae instru-

mentum, interesse, quod genus negotiationis in e exerceri solitum sit.

21. D. 32, 24. Neratius libro secundo Respor sorum. — Creditori ita potest legari, ne indebitu ab eo repeteretur.

De emptione venditione.

22. D. 19, 1, 11, 12. Ulpianus libro trigensim secundo ad edictum (P. 931). — Idem (sc. Neratius libro secundo Responsorum ait emptorem noxali iudici condemnatum ex empto actione id tantum consequ quanti minimo defungi potuit, idemque putat et si e stipulatu aget; et sive defendat noxali iudicio sive no quia manifestum fuit noxium servum fuisse, nihil minus vel ex stipulatu vel ex empto agere posse.

De sc. Macedoniano.

23. D. 14, 6, 7 pr. Ulpianus libro vicensimo none ad edictum (P. 876[b]). — .. si filius familias fideius serit, Neratius libro primo et secundo Responsorum cessare senatus consultum ait.

De peculio.

24. D. 15, 1, 9, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[c]). — ... si quid dominus ab eo qui rem peculiarem subripuit vel consecutus est vel consequi potest, in peculium esse [ei] imputandum Neratius libro secundo Responsorum scribit.

Ad exhibendum.

25[a]. D. 10, 4, 5, 4. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum (P. 720). — .. si ratis delata sit vi fluminis in agrum alterius, posse eum conveniri ad exhibendum Neratius scribit. unde quaerit Neratius, utrum de futuro dumtaxat damno an et de praeterito domino agri cavendum sit, et ait etiam de praeterito caveri oportere.

25b. D. 47, 9, 8. Neratius libro secundo Responsorum. — Ratis vi fluminis in agrum meum delatae ⟨tollendae⟩ non aliter potestatem tibi faciendam, quam si de praeterito quoque damno mihi cavisses.

25c. D. 39, 2, 9, 3. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1273). — Neratius .. scribit, si ratis in agrum meum vi fluminis delata sit, non aliter tibi potestatem tollendi faciendam, quam si de praeterito quoque damno mihi cavisses.

Liber III.

Certa huius libri fragmenta non traduntur.

Incertorum librorum fragmenta.

De testamentis.

26. D. 35, 1, 6, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 423). — Si servos certos quis manumisisset, heres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis Neratius respondit defici eum condicioue nec aestimabat, parere posset condicioni nec ne.

De hereditatis aditione.

27? D. 39, 6, 21. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Eum qui ut adiret hereditatem pecuniam accepisset, plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt mortis causa *eam* capere.

De legatis.

De instrumento fundi legato.

28? D. 33, 7, 18, 2. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2070). — Asinam molendariam et molam negat Neratius instrumento fundi contineri.

De tabernae cauponiae instrumento.

29. D. 33, 7, 13 pr. Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1670). — Tabernae cauponiae instrumento legato etiam institores contineri Neratius existimat.

De instrumento balneario.

30. D. ibid. § 1. — Instrumento balneario le etiam balneatorem contineri Neratius respondit.

De incerto homine legato.

31. D. 30, 13. Idem (sc. Pomponius) libro qu (quinto?) ad Sabinum (P. 439). — Cum incertus h <per vindicationem> legatus tibi esset, heres Stic servo tuo tradidit (mancipio dedit?). Neratius res dit, si voluntate domini tradidit (mancipio dedit?) ratum hoc dominus habuerit, perinde eum libera atque si Stichus legatus esset.

De vasis electrinis legatis.

32? D. 34, 2, 32, 5. Paulus libro secundo Vitellium (P. 2074b). — Neratius Proculum refert respondisse: vasis electrinis legatis nihil inter quantum ea vasa, de quibus quaeritur, argenti electri habeant[1], sed utrum argentum electro an e trum argento cedat? id ex aspectu vasorum faci intellegi posse. [quod si in obscuro sit, inspicien est, in utro numero ea vasa is, qui testamentum f habuerit.]

Familiae erciscundae.

33. D. 10, 2, 20, 7. Ulpianus libro nono dec ad edictum (P. 634). — Neratius .. respondit: e qui plures filios haberet, unum ex filiis ἀγωνοθε susceptorum professum esse et priusquam ho (munere?) fungeretur, mortuum esse omnibus f heredibus institutis, et quaesitum esse, an is fil quod in eam rem impendisset, familiae erciscun consequatur, eique respondisse <se> nulla action *eum*[2] consequi posse.

1 *Fl.* habebant.
2 *Fl.* idem *emend. Cuiacius.*

De societate.

34. D. 17, 2, 62. Pomponius libro tertio decimo ad Sabinum (P. 586). — Si Titius cum quo mihi societas erat decesserit egoque cum putarem Titii hereditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res vendiderim et partem pecuniae ex venditione redactae ego, partem Seius abstulerit, te, qui re vera Titio heres es, partem ad me redactae pecuniae societatis iudicio non consecuturum Neratio et Aristoni placebat, quia meae dumtaxat partis pretia percepissem, neque interesse*t*[1], utrum per se partes meas vendidissem an communiter cum eo, qui reliquas partes ad se pertinere diceret. alioquin eventurum, ut etiam, si duo socii rem vendiderint, unusquisque ⟨eius⟩ quod ad se pervenerit partem alteri societatis iudicio praestare debeat. sed nec te ex parte, quam hereditatis petitione forte a Seio consecuturus sis, quicquam mihi praestare debere, quia quod ad Seium pervenerit, tuarum partium pretium sit nec ad me habentem meum quicquam ex eo redire debeat.

35. D. 17, 2, 52, 16. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922[c]). — Socium universa in societatem conferre debere Neratius ait, si omnium bonorum socius sit. et ideo sive ob iniuriam sibi factam vel ex lege Aquilia, sive ipsius sive filii corpori nocitum sit, conferre debere respondit.

De fideiussore.

36. D. 4, 3, 19. Papinianus libro trigensimo septimo Quaestionum (P. 380). — Si fideiussor promissum animal ante moram occiderit, de dolo actionem reddi adversus eum oportere Neratius Priscus et Iulianus responderunt, quoniam debitore liberato per consequentias ipse quoque dimittitur.

1 *Fl.* interesse.

De usucapione.

37. D. 41, 3, 8 pr. Paulus libro duodecimo edictum (P. 232). — Labeo Neratius responderunt quae servi peculiariter nancti sunt, ⟨a domino inf quoque vel furioso⟩ usucapi posse, quia haec et ignorantes domini usucapiunt.

Lenel P. ad Paul. notat: 'In posteriore edicti p praetor ait: 'inve vinculis esset' non addito (ut in pı parte) verbo 'servitute': huc spectat fr. 232. cf. Ulp ad edict. 50, 17, 118'. cf. eiusdem viri doctissimi perpet. p. 96 n. 19.

cf. D. 41, 3, 47 Paulus libro III ad Neratium. emptam rem mihi procurator ignorante me meo noı adprehenderit, quamvis possideam, eam non usucapiam, ut ignorantes usuceperimus, in peculiaribus tantum r receptum est.

De in rem verso.

38. D. 15, 3, 19. Paulus libro quarto Quaestior (P. 1315). — Filius familias togam emit; moı deinde eo pater ignorans et putans suam esse dedic eam in funus eius. Neratius libro ⟨...⟩ Responsoı ait in rem patris versum videri, in actione autem peculio quod in rerum natura non esset, uno m aestimari debere, si dolo malo eius quocum ag factum esset. atquin si filio pater togam emere deb in rem patris res versa est non nunc quo funerabi sed quo tempore emit; funus enim filii aes alien patris est, et hoc Neratius quoque, qui de in ı verso patrem teneri putavit, ostendit negotium [id est sepulturam et funus filii] patris esse aes alien non filii.

Eisele Z. d. Sav.-St. XI, 6: 'Wenn nur nicht der g Passus: et hoc Neratius quoque ... non filii von Kompilatoren ist'.

VI. Epistularum libri.

Hi libri, quorum in indice Florentino mentio non fit, ab uno Ulpiano laudantur. quod in fragmentis ab Ulpiano allatis Neratii responsum profertur, libri Epistularum non alii viderentur esse atque Responsorum, nisi traderetur Responsorum libros tres scripsisse, Epistolarum quartus laudaretur. ante Neratium Epistularum libros ediderunt Labeo (II, 1 p. 147) et Proculus (supra p. 111); post eum Celsus (P. 13), Africanus (P. 1), Pomponius (P. 187—210).

Liber IV.

De legatis.

De instructo fundo legato.

1. D. 33, 7, 12, 35. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2611). — Neratius .. libro quarto Epistularum Rufino respondit instructo fundo et suppellectilem et vina et mancipia non solum ad cultum custodiamve villae, sed etiam quae, ut ipsi patri familias in ministerio <essent>, ibi essent, legato cedere.

De domu instructa legata.

2. D. ibid. § 43. — .. Neratius libro quarto Epistularum Marcello fratri suo respondit et vestem domus instructae legato contineri, *maxime*, inquit, *in proposita specie.* proponebatur enim, qui legaverat, argentum et rationes excepisse: *nam qui haec*, inquit, *excepit, non potest non videri de ceteris rebus, quae in ea essent, sensisse.*

Ex incertis libris.

De statulibero.

3? D. 35, 1, 112, 3. Idem (sc. Pomponius) libro duodecimo Epistularum (P. 203). — Priscus respondit statuliberum non utique ibi ubi pater familias decessit [aut ubi ipse relictus sit aut ubi velit], rationes reddere

debere, sed inter*dum*[1] proficisci ad eum, cui reddere debeat [utique si is rei publicae causa aberit].

Inclusa verba Pernice eicit.

Fragmentum Epistularum libris licet attribuere.

De fundi locatione conductione.

4. D. 19, 2, 19, 2. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951). — Illud nobis videndum est, si quis fundum locaverit, quae soleat instrumenti nomine conductori praestare, quaeque si non praestet ex locato tenetur. et est epistula Neratii ad Aristonem dolia utique colono esse praestanda et praelum et trapetum instructa funibus, si minus, dominum instruere ea debere; sed et praelum vitiatum dominum reficere debere. quod si culpa coloni quid eorum corruptum sit, ex locato eum teneri. fiscos autem, quibus ad premendam oleam utimur, colonum sibi parare debere Neratius scripsit; quod si regulis olea prematur, et praelum et suculam et regulas et tympanum et cocleas quibus relevatur praelum dominum parare oportere. item aenum, in quo olea calda aqua lavatur, ut cetera vasa olearia dominum praestare oportere, sicuti dolia vinaria, quae ad praesentem usum colonum picare oportebit.

A. Pernice: Ulpian. p. 24 n. 3 pro 'epistula Neratii ad Aristonem' potius 'epistula Aristonis ad Neratium' scribendum esse putat. sed quod Aristo ad Neratium epistulam dedit (D. 20, 1, 3 infra p. 372), eo non satis probatur illum ab hoc consultum fuisse.

VII. Regularum libri XV.

Quamquam in indice Florentino haec leguntur: 'Νερατίου regularion βιβλία δεκαπέντε', in Iustiniani Digestis

1 *Fl.* interim.

ultra librum decimum huius operis fragmenta nulla proponuntur. ante Neratium, nisi quod Q. Mucius ὅρων librum singularem composuit (I p. 103), eiusdem argumenti libri non videntur extitisse. post illum Regularum libros plures ediderunt: Pomponius (P. 372—377), Gaius (P. 483—485), Scaevola (P. 195—212), Paulus (P. 1425—1443), Licinius Rufinus (P. 1—16), Ulpianus (P. 2362—2386), Marcianus (P. 219—286), Modestinus (P. 173—280). qui quatenus Neratii libris usi sint, cognosci nequit; in Modestini tantum opere P. 187 libro non nominato Neratii sententia affertur, ut fortasse Regularum libri subsint. in paucis Neratii fragmentorum iuris consulti non laudantur, quod non librorum naturae convenire reliqua opera sententiis afferendis docent. extremis libris, quorum fragmenta non extant, de publico iure Neratius fortasse dixerat: certe et Scaevolam de iudiciis publicis et Modestinum de criminibus et de municipiis et coloniis dixisse constat.

In fragmentis librorum Regularum et Membranarum, quae quidem integrae ex ipsis Neratii libris in Iustiniani Digesta translata videantur, rectam, quae vocatur, orationem cursivis litteris exprimere supersedi.

Liber III.

De tutela.

1. D. 26, 1, 18. Neratius libro tertio Regularum. — Feminae tutores dari non possunt, quia id munus masculorum est [nisi a principe filiorum tutelam specialiter postulent].

Schlesinger Z. f. RG. VIII, 52. Eisele Z. d. Sav.-St. X, 316.

2. D. 26, 3, 2 pr. Neratius libro tertio Regularum. — Mulier liberis non recte testamento tutorem dat. sed si dederit, decreto praetoris vel proconsulis ex inquisitione confirmabitur nec satisdabit pupillo rem salvam fore.

3. D. ibid. § 1. — Sed et si curator a matre testamento datus sit filiis eius, decreto confirmatur ex inquisitione.

Liber IV.

De servitutibus.

4. D. 8, 3, 2 pr. Neratius libro quarto Regularum. — Rusticorum praediorum servitutes sunt: licere altius tollere et officere praetorio vicini, vel cloacam habere licere per vicini domum vel praetorium, vel protectum habere licere.

5. D. ibid. § 1. — Aquae ductus et haustus aquae per eundem locum ut ducatur, etiam pluribus concedi (in iure cedi?) potest. potest etiam, ut diversis diebus vel horis ducatur. si aquae ductus vel haustus aquae sufficiens est, potest et pluribus per eundem locum concedi (in iure cedi?), ut et iisdem diebus vel horis ducatur.

Liber V.

De adquirendo rerum dominio.

6. D. 41, 1, 15. Idem (sc. Neratius) libro quinto Regularum. — Qui .. in ripa fluminis aedificat, non suum facit.

7. D. 41, 3, 40. Neratius libro quinto Regularum. — Coeptam usucapionem a defuncto posse et ante aditam hereditatem impleri constitutum est.

Liber VI.

De emptione venditione.

8. D. 41, 1, 13 pr. Neratius libro sexto Regularum. — Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo eique sit tradita meo nomine, dominium mihi [id est proprietas] adquiritur etiam ignoranti.

9. D. ibid. § 1. — Et tutor pupilli pupillae similiter ut procurator emendo nomine pupilli pupillae proprietatem illis adquirit etiam ignorantibus.

Liber X.

De fideicommissis.

10. D. 30, 118. Neratius libro decimo Regularum. — Et eo modo relictum 'exigo', 'desidero uti des' fideicommissum valet; sed et ita: 'volo hereditatem meam Titii esse', 'scio hereditatem meam restituturum te Titio'.

cf. Gai. 2, 249.

Incerti libri fragmentum.

De his qui alieni iuris sunt?

11. D. 1, 7, 4. Modestinus libro secundo Regularum (P. 187). — Magistratum, apud quem legis actio est, et emancipare filios suos et in adoptionem dare apud se posse Neratii sententia est.

*VIII. Membranarum libri VII.

Quod index Flor. tradit: *Νερατίου μεμβράνων βιβλία ἑπτά* confirmatur fragmentis in Iustiniani Digesta receptis. qui libri Aristone defuncto ('Aristoni videbatur' D. 2, 14, 58. 'Aristo existimabat' D. 18, 3, 5) sub Hadriano principe compositi sunt; senatusconsulti enim Tertulliani mentio fit (D. 44, 2, 11 pr.) Hadriani temporibus facti (Inst. 3, 3, 2). libros vel post edictum a Iuliano compositum editos esse fortasse D. 7, 1, 17 et D. 16, 3, 18 indicant collatis D. 6, 2, 7, 11 et D. 16, 3, 1, 1. quocum aperte convenit, quod idem Ulpianus D. 16, 3, 1, 1 refert: 'Praetor ait: quod neque tumultus neque incendii neque ruinae neque naufragii causa depositum sit.' cf. infra. p. 318.

Laudantur et Servii liber de dotibus (D. 12, 4, 8) et Labeonis libri posteriores (D. 39, 2, 47. cf. D. 37, 10, 9), praeterea 'quod Sabino placet' (D. 8, 6, 12), 'quod Proculus scribit' (D. 24, 3, 17 pr.; cf. D. 24, 3, 17 pr.), 'quod Celso patri placuit' (D. 24, 3, 17 pr.), inprimis vero 'quod Aristoni placuit' (D. 17, 1, 39) vel 'placet' (D. 36, 3, 13) vel 'videbatur' (D. 2, 14, 58). vel 'Aristo existimabat' (D. 18, 3, 5).

D. 13, 1, 12, 2 P. 1058[1]). Pomponius quoque in Sabinum Neratii libris usus est D. 34, 3, 8, 2 10, 3, quod fragmentum inter Membranarum : recipere Lenel non dubitavit.

Iam de operis inscriptione, de qua viri docti videndum est. atque Birt: das antike Buchwese p. 93 sq. Neratium hac inscriptione ut modest usum esse conicit, quasi ὑπομνήματα proponer quod Krueger Z. d. Sav.-St. VIII p. 76 n. 2 vel id esse existimat, quod membranae papyro no fuerint (cf. Friedlaender in Martialis editione II ; itaque in iur. Rom. historia p. 170 idem vir d ait: 'die Membranae deuten mit dem Titel woh seltene und kostbare Material hin, auf welchem s fältigt worden'. id quod minime placet, cum librorum materiam iactare argentarii sit auctionem non iuris consulti sani sententias suas propone: que Birtii interpretatio sine dubio probanda es alia ratione ab eodem viro doctissimo aeque posita, de qua Marquardt II p. 798: 'Membrana weil man auf ihnen ohne Schwierigkeit ändern bessern konnte, zu Entwürfen von Reden, empfohlen und verwendet.' Neratius igitur Mem libros cum Labeonis Πιθανῶν libris conferri vo posteri 'Opinionum' libros ediderunt, ex. gr. libros VI, quorum fragmenta habes P. 2296—2 operis inscriptione ita intellecta optime, quae librorum indole cognoscuntur, conveniunt. non autem iuris, sed potius peritis illud opus destina iis rebus, quae explicantur, probatur.

Praeterea qui res in his libris tractatas perl

is Neratium cum de civili iure tum de honorario dixisse cognoscet. sed utriusque generis res per diversos libros sparsae sunt, ut libros singulos separatim et deinceps editos esse eo facilius iudicem, quod et Ulpianus D. 5, 3, 13, 3 ait: 'Neratius libro sexto Membranarum scribit ... idem esse libro septimo ait etiamsi', et in librorum serie certus rerum ordo agnosci nequit.

Quod ad singulorum librorum fragmenta collocanda attinet, quae de iure civili sunt, iis praeposui, quibus ius praetorium tractatur. in Palingenesia fragmentorum eadem series exhibetur, quae in Iustiniani Digestis deprehenditur.

Liber I.

De testamentis.

1. D. 28, 5, 55. Neratius libro primo Membranarum. — Pater filio impuberi servum heredem substituit liberumque esse iussit. eum pupillus vendidit Titio. Titius eum iam primo testamento facto in secundo testamento liberum heredemque esse iussit. superius testamentum Titii ruptum est, quia is servus et heres potest esse et, ut superius testamentum rumpatur, sufficit ita posterius factum esse, ut aliquo casu potuerit ex eo heres existere. quod ad vim autem eius institutionis pertinet, ita se res habet, ut, quamdiu pupillo ex ea substitutione heres potest esse, ex Titii testamento libertatem hereditatemque consequi non possit; si pupillus in suam tutelam pervenerit, perinde ex Titii testamento liber heresque sit ac si pupillo substitutus non fuisset; si pupillo heres exstitit, propius est, ut Titio quoque, si velit, heres esse possit.

Neratii verba a Triboniano interpolata videntur.

De legatis.

2. D. 47, 2, 65. Neratius libro primo Membranarum. — A Titio herede homo Seio ⟨per vindi-

cationem⟩ legatus ante aditam hereditatem Titio furtum fecit. si adita hereditate Seius legatum ad se pertinere voluerit, furti eius servi nomine aget cum eo Titius, quia neque tunc, cum faceret furtum, eius fuit, et, ut maxime quis existimet, si servus esse coeperit eius, cui furtum fecerat, tolli furti actionem, ut nec si aliénatus sit, agi possit eo nomine, ne post aditam quidem hereditatem Titii factus est, quia ea, quae legantur, recta via ab eo qui legavit ad eum cui legata sunt transeunt.

Neratii verba a Triboniano interpolata videntur.

De solidi capacitate inter virum et uxorem?

3. D. 50, 5, 4. Neratius libro primo Membranarum. — Tempus vacationis, quod datur eis qui rei publicae causa afuerunt, non ex eo die numerandum est, quo quis abesse desiit, sed cum quodam laxamento itineris; neque enim minus abesse rei publicae causa intellegendus est, qui *it* ad[1] negotium vel ab eo revertitur. si quis tamen plus iusto temporis aut itinere aut in ali*quo* loco commoratus consumpserit, ita ea (absentia?) interpretanda erit, ut ex eo tempore vacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuisset.

cf. Ulp. 15, 1.

De pigneraticia actione.

4. D. 20, 2, 4 pr. Neratius libro primo Membranarum. — Eo iure utimur, ut quae in praedia urbana inducta illata sunt pignori esse credantur, quasi id tacite convenerit. in rusticis praediis contra observatur.

5. D. ibid. § 1. — Stabula quae non sunt in continentibus aedificiis, quorum praediorum ea numero habenda sint, dubitari potest. et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a ceteris aedificiis separata

1 *Fl.* ad id.

sint. quod ad causam tamen talis taciti pignoris pertinet, non multum ab urbanis praediis differunt.

6? D. 20, 2, 3. Ulpianus libro septuagensimo tertio ad edictum. — Si horreum fuit conductum vel devorsorium vel area, tacitam conventionem de invectis illatis etiam in his locum habere putat Neratius.

Ulpianus addit 'quod verius est'.
Fragmentum eidem libro attribuendum duxi.

De lege Aquilia.

7. D. 9, 2, 53. Neratius libro primo Membranarum. — Boves alienos in angustum locum coegisti eoque effectum est, ut deicerentur: datur in te ad exemplum legis Aquiliae in factum actio.

cf. Gai. 3, 219.

De bonis distrahendis.

8. D. 27, 10, 9. Neratius libro primo Membranarum. — Cuius bonis distrahendis curatores facere senatus permisit, eius bona creditoribus vendere non permisit, quamvis creditores post id beneficium bona vendere mallent; sicut enim integra re potestas ipsorum est utrum velint eligendi, ita cum alterum elegerint, altero abstinere debent. multoque magis id servari aequum est, si etiam factus est curator, per quem bona distraherentur, quamvis nondum explicato eo negotio decesserit. nam et tunc ex integro alius curator faciendus est neque heres prioris curatoris onerandus, cum accidere possit, ut negotio vel propter sexus vel propter aetatis infirmitatem vel propter dignitatem maiorem minoremve, quam in priore curatore spectata erat, habilis non sit, possint etiam plures heredes ei existere neque aut per omnes id negotium administrari expediat aut quicquam dici possit, cur unus aliquis ex his potissimum onerandus sit.

De senatorum bonis vendendis senatusconsulto statuitur,

quod idem senatusconsultum esse iudico, de quo Gaius D. 27, 10, 5 tradit.

Liber II.

De adquirenda hereditate.

9. D. 29, 2, 59. Neratius libro secundo Membranarum. — Qui patri heres exstitit si idem filio impuberi substitutus est, non potest hereditatem eius praetermittere. quod sic recipiendum est, etiam si vivo pupillo mortuus erit, deinde pupillus impubes decesserit. [nam is qui heres exstiterit pupillo quoque heres necessario erit.] nam si ipsum invitum obligat, coniungi eam paternae hereditati et adcrescendi iure adquiri cuicumque patris heredi existimandum est.

De iure dotium.

10. D. 12, 4, 8. Neratius libro secundo Membranarum. — Quod Servius in libro de dotibus scribit, si inter eas personas, quarum altera nondum iustam aetatem habeat, nuptiae factae sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse, sic intellegendum est, ut, si divortium intercesserit, priusquam utraque persona iustam aetatem habeat, sit eius pecuniae repetitio, donec autem in eodem habitu matrimonii permanent, non magis id repeti possit, quam quod sponsa sponso dotis nomine dederit, donec maneat inter eos adfinitas; quod enim ex ea causa nondum coito matrimonio datur, cum sic detur tamquam in dotem perventurum, quamdiu pervenire potest, repetitio eius non est.

Utrum post librum de nuptiis (supra p. 295) editum an antea haec scripta sint, incertum est.

11. D. 25, 1, 15. Neratius libro secundo Membranarum. — Quod dicitur impensas, quae in res dotales necessario factae sunt, dotem deminuere, ita interpretandum est, ut, si quid extra tutelam necessariam in res dotales impensum est, id in ea causa sit; nam

tueri res dotales vir suo sumptu debet. alioquin etiam[1] cibaria dotalibus mancipiis data et quaevis modica aedificiorum dotalium refectio et agrorum quoque cultura dotem minuent, omnia enim haec in specie necessariarum impensarum sunt. sed ⟨ea⟩ ipsae res ita praestare intelleguntur, ut non tam impendas in eas, quam deducto eo minus ex his percepisse videaris. quae autem impendia secundum eam distinctionem ex dote deduci debeant, non tam facile in universum definiri, quam per singula ex genere et magnitudine impendiorum aestimari possunt.

De servitutibus praediorum rusticorum.

12. D. 8, 3, 3 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 516[a]). — . . sic possunt servitutes imponi, ut boves, per quos fundus colitur, in vicino agro pascantur. quam servitutem imponi posse Neratius libro secundo Membranarum scribit.

13. D. ibid. § 1. — Idem Neratius etiam ut fructus in vicini villa cogantur coactique habeantur et pedamenta ad vineam ex vicini praedio sumantur, constitui posse scribit.

14. D. ibid. § 2. — Eodem libro ait vicino, cuius lapidicinae fundo tuo immineant, posse te ⟨in iure⟩ cedere ius ei esse terram rudus saxa iacere posita habere, et ut in tuum lapides provolvantur ibique positi habeantur indeque exportentur.

De deposito.

15. D. 16, 3, 18. Neratius libro secundo Membranarum. — De eo, quod tumultus incendii ruinae naufragii causa depositum est, in heredem de dolo mortui actio est pro hereditaria portione et in simplum et intra annum quoque; in ipsum et in solidum et in duplum et in perpetuum datur.

1 *Fl.* tam.

Praetor ait: 'Quod neque tumultus neque incendii neque ruinae neque naufragii causa depositum sit, in simplum, earum autem rerum, quae supra comprehensae sunt, in ipsum in duplum, in heredem eius, quod dolo malo eius factum esse dicetur qui mortuus sit, in simplum, quod ipsius, in duplum iudicium dabo'. D. 16, 3, 1, 1 Ulp. utrum Neratius verba edicti a Iuliano compositi respexerit an Iulianus ius quo vel antea cives usi erant receperit, nescio.

De vadimonio?

16. D. 2, 11, 14. Neratius libro secundo Membranarum. — Si procurator ita stipulatus est, ut sistat dumtaxat eum quem stipularetur, non etiam poenam si status non esset stipularetur, propemodum nullius momenti est ea stipulatio, quia procuratoris, quod ad ipsius utilitatem pertinet, nihil interest sisti. sed cum alienum negotium in stipulando egerit, potest defendi non procuratoris, sed eius cuius negotium gesserit utilitatem in ea re spectandam esse, ut quantum domini litis interfuit sisti, tantum ex ea stipulatione non stato reo procuratori debeatur. eadem et fortius adhuc dici possunt, si procurator ita stipulatus esset 'quanti ea res erit', ut hanc conceptionem verborum non ad ipsius, sed ad domini utilitatem relatam interpretemur.

De usu verbi 'adhuc' v. E. Th. Schultze: Z. d. Sav.-St. XII p. 110.

Liber III.

De usufructu legato.

17^{a}. Vat. fr. 71. — Materiam .. ipse su⟨ccidere quantum ad villae refectionem poterit,⟩, ut ⟨putat Ne⟩ratius lib. III Membranarum, ⟨*quemadmodum calcein, inquit, coquere vel harenam fodere aliudve*⟩ *quid aedificio neces*⟨*sarium sumere*⟩.

17^{b}. D. 7, 1, 12 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2559^{b}). — . . . materiam . . ipsum

succidere quantum ad villae refectionem putat posse, *quemadmodum calcem*, inquit, *coquere vel harenam fodere aliudve quid aedificio necessarium sumere.*

18. D. 7, 1, 44. Neratius libro tertio Membranarum. — Usufructuarius novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest, quia tametsi meliorem excolendo aedificium domini causam facturus esset, non tamen id iure suo facere potest, aliudque est tueri quod accepisset *aliud* novum facere.[1]

De libertate relicta.

19. D. 40, 7, 17. Neratius libro tertio Membranarum. — Si decem heredi dedisset, iussus est liber esse. decem habet et tantundem domino debet: dando haec decem non liberabitur. nam quod statulibero ex peculio suo dare explendae condicionis causa concessum est, ita interpretari debemus, ut non etiam ex eo dare possit, quod extra peculium est. nec me praeterit hos nummos peculiares posse dici, quamvis, si nihil praeterea servus habeat, peculium nullum sit. sed dubitari non oportet, quin haec mens fuerit id constituentium, ut quasi ex patrimonio suo dandi eo nomine servo potestas esset, quia id maxime sine iniuria dominorum concedi videbatur. quod si ultra quis progredietur, non multum aberit, quin etiam eos nummos, quos domino subripuerit, dando statuliberum condicioni satisfacturum existimet.

De emptione venditione.

20. D. 19, 1, 31 pr. Neratius libro tertio Membranarum. — Si ea res, quam ex empto praestare debebam, vi mihi adempta fuerit, quamvis eam custodire debuerim, tamen propius est, ut nihil amplius quam actiones persequendae eius praestari a me emptori oporteat, quia custodia adversus vim parum proficit.

1 *Fl.* an novum faceret.

actiones autem eas non solum arbitrio, sed etiam periculo tuo tibi praestare debebo, ut omne lucrum ac dispendium te sequatur.

21. D. ibid. § 1. — Et non solum quod ipse per eum adquisii praestare debeo, sed et id, quod emptor iam tunc sibi tradito servo adquisiturus fuisset.

22. D. ibid. § 2. — Uterque nostrum eandem rem emit a non domino, cum emptio venditioque sine dolo malo fieret, traditaque ⟨utrique⟩ est: sive ab eodem emimus sive ab alio atque alio, is ex nobis tuendus est, qui prior iuste[1] adprehendit [hoc est, cui primum tradita est]. si alter ex nobis a domino emisset, is omnimodo tuendus est.

Eisele Z. d. Sav.-St. XI, 8.

24. D. 2, 14, 58. Neratius libro tertio Membranarum. — Ab emptione venditione, locatione conductione ceterisque similibus obligationibus quin integris omnibus consensu eorum, qui inter se obligati sint, recedi possit, dubium non est. Aristoni hoc amplius videbatur, si ea, quae me ex empto praestare tibi oporteret, praestitissem et cum tu mihi pretium deberes, convenisset mihi tecum, ut rursus praestitis mihi a te in re vendita omnibus, quae ego tibi praestitissem, pretium mihi non dares tuque mihi ea praestitisses, pretium te debere desinere, quia bonae fidei, ad quam omnia haec rediguntur, interpretatio hanc quoque conventionem admittit. nec quicquam interest, utrum integris omnibus in quae obligati essemus, conveniret, ut ab eo negotio discederetur, an in integrum restitutis his, quae ego tibi praestitissem, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine praestares. illud plane conventione, quae pertinet ad resolvendum id quod actum est, perfici non potest, ut tu quod iam ego tibi praestiti contra praestare mihi cogaris, quia eo modo non tam hoc agitur ut a pristino negotio

1 *Fl.* ius eius.

discedamus, quam ut novae quaedam obligationes inter nos constituantur.

De communione.

25. D. 10, 2, 54. Neratius libro tertio Membranarum. — Ex hereditate Lucii Titii, quae mihi et tibi communis erat, fundi partem meam alienavi, deinde familiae erciscundae iudicium inter nos acceptum est. neque ea pars quae mea fuit in iudicio veniet, cum alienata de hereditate exierit, neque tua, quia etiamsi remanet in pristino iure hereditariaque est, tamen alienatione meae partis exit de communione. utrum autem unus heres partem suam non alienaverit an plures, nihil interest, si modo aliqua portio alienata ab aliquo ex heredibus hereditaria esse desiit.

De nuptiis.

26. D.50,1,9. Neratius libro tertio Membranarum. — Eius, qui iustum patrem non habet, prima origo a matre eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet.

De materna origine cf. D. 50, 1, 1, 2, de eo qui matris condicionem sequitur, Gai. 1, 67 sqq.

De donatione inter virum et uxorem.

27. D. 23, 3, 53. Neratius libro tertio Membranarum. — Cum vir uxori donare vellet, debitor mulieris qui solvendo non erat dotem ei promisit. ad id dumtaxat, ad quod solvendo fuit, viri periculo ea res est, et si quid debitori ad solvendum facultatis accesserit, periculum ad eam summam quae accesserit crescet permanebitque etiam, si rursus pauperior factus erit, quia neque tum, cum dos promitteretur, donatio facta est nisi eius pecuniae quae a debitore servari non poterat, neque cum solvendo is esse coepit, donationis causa permaneat, cum eo loco res sit, quo esset, si tum quoque, cum promitteretur dos, locuples fuisset.

De Publiciana in rem actione.

28. D.6,2,17. Neratius libro tertio Membranarum. — Publiciana actio non ideo comparata est, ut res domino auferatur, eiusque rei argumentum est primo aequitas, deinde exceptio 'si ea res possessoris non sit', sed ut is, qui bona fide emit possessionemque eius ex ea causa nactus est, potius rem habeat ⟨quam quilibet alius praeter dominum, si is rem habeat⟩.

De servitutibus.

29. D. 8, 3, 3, 3. — Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum et, ut ait Neratius libro tertio Membranarum, sive ei ius hauriendi et adeundi ⟨in iure⟩ cessum sit, utrumque habebit, sive tantum hauriendi, inesse et aditum, sive tantum adeundi ad fontem, inesse et haustum. haec de haustu ex fonte privato.

30. D. ibid. — Ad flumen autem publicum idem Neratius eodem libro scribit iter debere ⟨in iure⟩ cedi, haustum non oportere, et si quis tantum haustum cesserit, nihil eum agere.

De aqua.

31. D. 43, 20, 6. Neratius libro tertio Membranarum. — De interdicto de aqua aestiva, item cottidiana quaerentes primum constituendum existimabamus, quae esset aqua aestiva, de qua proprium interdictum ad prioris aestatis tempus relatum reddi solet, hoc est aestiva aqua utrumne ex iure aestivo dumtaxat tempore utendi diceretur, an ex mente propositoque ducentis, quod aestate eam ducendi consilium haberet, an ex natura ipsius aquae, quod aestate tantum duci potest, an ex utilitate locorum, in quae duceretur. placebat igitur aquam ob has duas res, naturam suam utilitatemque locorum in quae deducitur, proprie appellari, ita ut, sive eius natura erit, ut nisi aestate

duci non possit, etiamsi hieme quoque desideraretur, sive omni tempore anni duci eam ipsius natura permitteret, si utilitas *reg*ionis[1], in quam ducitur, aestate dumtaxat usum eius exigeret, aestiva recte diceretur.

De iudicatum solvi stipulatione.

32. D. 46, 7, 16. Neratius libro tertio Membranarum. — Ex iudicatum solvi stipulatione ob rem non defensam cum uno ex *spon*soribus[2] agere volo. is, quod pro parte eius fit, solvere mihi paratus est: non debet mihi in eum dari iudicium. neque enim aequum est aut iudicio destringi aut ad infitiationem compelli eum, qui sine iudice dare paratus est, quo non amplius adversarius eius per iudicem ab eo consecuturus est.

Liber IV.

De usufructu legato.

33. D. 7, 1, 7, 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2558). — Neratius .. libro quarto Membranarum ait non posse fructuarium prohiberi, quo minus reficiat (sc. dominus aedium), quia nec arare prohiberi potest aut colere; nec solum necessarias refectiones facturum, sed etiam voluptatis causa, ut tectoria et pavimenta et similia facere, neque autem ampliare nec utile detrahere posse.

De tutela.

34. D. 46, 6, 11. Neratius libro quarto Membranarum. — Cum rem salvam fore pupillo cavetur, committitur stipulatio, si, quod ex tutela dari fieri oportet, non praestetur. [nam et si salva ei res sit, ob id non est, quia, quod ex tutela dari fieri oportet, non solvitur.]

Inclusa verba Pernice merito eicit.

1 *Fl.* personis.
2 *Trib.* fideiussoribus.

De servitutibus.

35. D. 8, 6, 12. Celsus libro vicensimo tertio Digestorum (P. 199). — Qui fundum alienum bona fide emit, itinere quod ei fundo debetur usus est: retinetur id ius itineris, atque etiam, si precario aut vi deiecto domino possidet; fundus enim qualiter se habens ita, ut in suo habitu possessus est, ius non deper*d*it, neque refert, iuste nec ne possideat, qui talem eum possidet. quare fortius et si aqua per rivum sua sponte perfluxit, ius aquae ducendae retinetur. quod et Sabino recte placet, ut apud Neratium libro quarto Membranarum scriptum est.

De centumvirali iudicio?

36. D. 44, 1, 21. Neratius libro quarto Membranarum. — Rei maioris pecuniae praeiudicium fieri videtur, cum ea quaestio in iudicium deducitur, quae vel tota vel ex aliqua parte communis est quaestioni de re maiori.

cf. Lenel Edict. p. 415.

De doli mali exceptione.

37. D. 44, 4, 11 pr. Neratius libro quarto Membranarum. — Si procurator agit, de dolo eius excipi non debet, quia aliena lis est isque rei extraneus, neque alienus dolus nocere alteri debet. si post litem contestatam dolo quid fecerit, an exceptio eo nomine in iudicium obicienda sit, dubitari potest, quia litis contestatione res procuratoris fit eamque suo iam quodammodo nomine exequitur. et placet de procuratoris dolo excipiendum esse. idem de tutore, qui pupilli nomine aget, dicendum est.

D. 44, 4, 4, 18. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1680). Quaesitum est, an de procuratoris dolo, qui ad agendum tantum datus est, excipi possit. et puto recte defendi, si quidem in rem suam procurator datus sit, etiam de praeterito eius dolo, hoc est si ante

acceptum iudicium dolo quid fecerit, esse excipiendum; si vero non in rem suam, dolum praesentem in exceptionem conferendum. si autem is procurator sit, cui omnium rerum administratio concessa est, tunc de omni dolo eius excipi posse Neratius scribit.

38. D. ibid. § 1. — In universum autem haec in ea re regula sequenda est, ut dolus omnimodo puniatur, et sit non alii cui, sed ipsi, qui eum admisit, damnosus.[1]

Liber V.

De legatis.

39. D. 30, 124. Neratius libro quinto Membranarum. — Si heredes nominatim enumerati dare quid damnati sunt, propius est, ut viriles partes debeant, quia personarum enumeratio hunc effectum habet, ut exaequentur in legato praestando, qui, si nominati non essent, hereditarias partes debituri essent.

De emptione venditione.

40. D. 18, 3, 5. Neratius libro quinto Membranarum. — Lege fundo vendito dicta, ut, si intra certum tempus pretium solutum non sit, res inempta sit, de fructibus, quos interim emptor percepisset, hoc agi intellegendum est, ut emptor interim eos sibi suo quosque iure perciperet; sed si fundus revenisset, Aristo existimabat venditori de his iudicium in emptorem dandum esse, quia nihil penes eum residere oporteret ex re, in qua fidem fefellisset.

cf. Pernice II² p. 187 sq.

De mandato emendi.

41. D. 17, 1, 35. Neratius libro quinto Membranarum. — Si fundum, qui ex parte tuus est, mandavi tibi ut emeres mihi, verum est mandatum posse ita

1 *Fl.* etsi .. damnosus futuris erit.

consistere, ut mihi ceteris partibus redemptis etiam tuam partem praestare debeas. sed si quidem certo pretio emendas eas mandaverim, quanticumque aliorum partes redemeris, sic et tua pars coartabitur, ut non abundet mandati quantitatem, in quam tibi emendum totum mandavi; sin autem nullo certo pretio constituto emere tibi mandaverim tuque ex diversis pretiis partes ceterorum redemeris, et tuam partem viri boni arbitratu aestimato pretio dari oportet.

De donatione inter virum et uxorem.

42. D. 24, 1, 44. Neratius libro quinto Membranarum. — Si extraneus rem viri ignorans eius esse ignoranti uxori, ac ne viro quidem sciente eam suam esse, donaverit, mulier recte eam usucapiet. idemque iuris erit, si is, qui in potestate viri erat, credens se patrem familias esse uxori patris donaverit. sed si vir rescierit suam rem esse, priusquam usucapiatur, vindicareque eam poterit nec volet et hoc et mulier noverit, interrumpetur possessio, quia transiit in causam ab eo factae donationis. ipsius mulieris scientia propius est, ut nullum adquisitioni dominii eius adferat impedimentum; non enim omnimodo uxores ex bonis virorum, sed ex causa donationis ab ipsis factae adquirere prohibitae sunt.

De iniuria.

43. D. 47, 10, 41. Neratius libro quinto Membranarum. — Pater, cuius filio facta est iniuria, non est impediendus, quo minus duobus iudiciis et suam iniuriam persequatur et filii.

cf. Gai. 3, 221.

De adquirendo rerum dominio?

44. D. 41, 1, 14. Neratius libro quinto Membranarum. — Quod in litore quis aedificaverit, eius erit;

nam litora publica non ita sunt, ut ea, quae in patrimonio sunt populi, sed ut ea, quae primum a natura prodita sunt et in nullius adhuc dominium pervenerunt. nec dissimilis condicio eorum est atque piscium et ferarum, quae simul atque adprehensae sunt, sine dubio eius, in cuius potestatem pervenerunt, dominii fiunt.

45. Ibid. § 1. — Illud videndum est, sublato aedificio, quod in litore positum erat, cuius condicionis is locus sit, hoc est utrum maneat eius cuius fuit aedificium, an rursus in pristinam causam reccidit perindeque publicus sit, ac si numquam in eo aedificatum fuisset. quod propius est, ut existimari debeat [si modo recipit pristinam litoris speciem].

Triboniani verba Pernice deprehendit.

De usucapione.

46. D. 41, 10, 5. Neratius libro quinto Membranarum. — Usucapio rerum, etiam ex aliis causis concessa inter*dum*[1], propter ea, quae nostra existimantes possideremus, constituta est, ut aliquis litium finis esset. sed id, quod quis, cum suum esse existimaret, possederit, usucapiet, etiamsi falsa fuerit eius existimatio. quod tamen ita interpretandum est, ut probabilis error possidentis usucapioni non obstet, veluti si ob id aliquid possideam, quod servum meum aut eius, cuius in locum hereditario iure successi, emisse id falso existimem, quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est.

Pernice II², 396 n. 5: 'Der erste Satz ist gewifs verunstaltet ... was ursprünglich da stand, läfst sich nicht feststellen ... mir scheint das Ganze für die Membranen zu allgemein und zu lehrhaft'.

De iuris errore.

47. D. 22, 6, 2. Neratius libro quinto Membranarum. — In omni parte error in iure non eodem

1 *Fl.* interim.

loco quo facti ignorantia haberi debebit, cum ius finitum et possit esse et debeat, facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat.

Liber VI.

De emptione venditione.

48. D. 21, 2, 48. Neratius libro sexto Membranarum. — Cum fundus 'uti optimus maximusque est' emptus est et alicuius servitutis evictae nomine aliquid emptor a venditore consecutus est, deinde totus fundus evincitur, ob eam evictionem id praestari debet quod ex duplo reliquum est; nam si aliud observabimus, servitutibus aliquibus et mox proprietate evicta amplius duplo emptor [quam] quanti emit consequeretur.

De iure dotium.

49. D. 25, 1, 16. Idem (sc. Neratius) libro sexto Membranarum. — Et ante omnia quaecumque impensae quaerendorum fructuum causa factae erunt, quamquam eaedem etiam colendi causa fiant ideoque non solum ad percipiendos fructus, sed etiam ad conservandam ipsam rem speciemque eius necessariae sint, eas vir ex suo facit nec ullam habet eo nomine ex dote deductionem.

De tutelis.

50. D. 12, 6, 41. Neratius libro sexto Membranarum. — Quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit solverit, repetitio est, quia nec natura debet.

De hereditatis petitione.

51. D. 37, 10, 9. Neratius libro sexto Membranarum. — Quod Labeo scribit, quotiens suppositus esse dicitur pupillus, cum quo de patris eius hereditate controversia est, curare praetorem debere, ut is in possessione sit, de eo puto eum velle intellegi, qui post mortem patris familiae, qui se sine liberis dece-

dere credidit, filius eius esse dici coepit; nam eius, qui adgnitus est ab eo, de cuius bonis quaeritur, iustior in ea re causa est quam postumi.

52. D. 5, 3, 13, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto decimo ad edictum (P. 512). — Neratius libro sexto Membranarum scribit ab herede peti hereditatem posse, etiamsi ignoret pro herede vel pro possessore defunctum possedisse.

De adquirendo rerum dominio?

53. D. 39, 2, 47. Neratius libro sexto Membranarum. — Quod conclave binarum aedium dominus ex aliis aedibus in aliarum usum convertit, non solum si contignatio, qua id sustinebitur, orietur ex parte earum aedium, in quarum usum conversum erit, earum fiet, sed etiam si transversa contignatio tota in aliarum aedium parietibus sedebit. sed et Labeo in libris posteriorum scribit binarum aedium dominum utrisque porticum superposuisse inque eam aditu ex alteris aedibus dato alteras aedes servitute [oneris] porticus servandae imposita vendidisse: totam porticum earum aedium esse quas retinuisset, cum per longitudinem utriusque domus extensa ⟨suspensa⟩ esset transversae contignationi, quae ab utraque parte parietibus domus, quae venisset, sustineretur. nec tamen consequens est, ut superior pars aedificii, quae nulli coniuncta sit neque aditum aliunde habeat, alterius sit, quam cuius est id cui superposita est.

?

54. D. 1, 3, 21. Neratius libro sexto Membranarum. — Et ideo rationes eorum, quae constituuntur, inquiri non oportet; alioquin multa ex his quae certa sunt subvertuntur.

cf. Iulianum D. 1, 3, 20. 'Non omnium quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest'.

Liber VII.

Legatorum servandorum causa.

55. D. 36, 3, 13. Neratius libro septimo Membranarum. — Ei quoque, cui legatorum actio datur in eum, qui praetermissa institutione ab intestato possidet hereditatem, legatorum satisdatur et, nisi satisdabitur, in possessionem legatorum servandorum causa mittitur; nam haec quoque praetor perinde salva esse vult atque ea quae iure civili debentur. idem Aristoni placet.

De verborum obligatione.

56. D. 15, 3, 18. Neratius libro septimo Membranarum. — Quamvis in eam rem pro servo meo fideiusseris, quae ita contracta est, ut in rem meam versaretur, veluti si, cum servus frumentum emisset quo familia aleretur, venditori frumenti fideiusseris, propius est tamen, ut de peculio eo nomine, non de in rem verso agere possis, ut unius dumtaxat in quoquo contractu de in rem verso sit actio, qui id ipsum credidit quod in rem domini versum est.

De hereditatis petitione.

57. D. 5, 3, 13, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto decimo ad edictum (P. 512). — (Neratius libro sexto Membranarum scribit ab herede peti hereditatem posse, etiamsi ignoret pro herede vel pro possessore defunctum possedisse.) idem esse libro septimo ait etiam si putavit heres eas res ex hac hereditate esse quae sibi delata est.

58. D. 5, 3, 57. Neratius libro septimo Membranarum. — Cum idem eandem hereditatem adversus duos defendit et secundum alterum ex his iudicatum est, quaeri solet, utrum perinde ei hereditatem restitui oporteat, atque oporteret, si adversus alium defensa non esset, ut scilicet si mox et secundum alium fuerit iudicatum, absolvatur is cum quo actum est, quia

neque possideat neque dolo malo fecerit, quo minus possideret quod iudicio revictus restituerit, an quia possit et secundum alium iudicari, non aliter restituere debeat quam si cautum ei fuerit, quod adversus alium eandem hereditatem defendit. [sed melius est officio iudicis cautione vel satisdatione victo mederi, cum et res salva sit ei qui in exsecutione tardior venit adversus priorem victorem.]

Inclusa verba non Neratii esse Pernice iure censet.

De exceptione rei iudicatae.

59. D. 44, 2, 27. Neratius libro septimo Membranarum. — Cum de hoc, an eadem res est, quaeritur, haec spectanda sunt: personae, id ipsum de quo agitur, causa proxima actionis. nec iam interest, qua ratione quis eam causam actionis competere sibi existimasset, perinde ac si quis, posteaquam contra eum iudicatum esset, nova instrumenta causae suae repperisset.

De usucapione.

60. D. 41, 3, 41. Idem (sc. Neratius) libro septimo Membranarum. — Si rem subreptam mihi procurator meus adprehendit, quamvis per procuratorem possessionem apisci nos iam fere conveniat, nihilo magis eam in potestatem meam redisse usuque capi posse existimandum est, quia contra statui captiosum erit.

De deposito.

61. D. 17, 1, 39. Neratius libro septimo Membranarum. — Et Aristoni et Celso patri placuit posse rem hac condicione deponi mandatumque (condicione fiduciae causa?) suscipi, ut res periculo eius sit qui depositum vel mandatum (depositi vel mandati causa?) suscepit, quod et mihi verum esse videtur.

Pernice III p. 139 n. 2.

Incertorum librorum fragmenta.

De operis libertorum.

62. D. 38, 1, 49. Gaius libro singulari de casibus (P. 5). — Duorum libertus potest aliquo casu singulis diversas operas uno tempore in solidum edere, veluti si librarius sit et alii patrono librorum scribendorum operas edat, alter vero peregre cum suis proficiscens operas custodiae domus ei indixerit; nihil enim vetat, dum custodit domum, libros scribere. hoc ita Neratius libris Membranarum scripsit.

De iure dotium.

63[a]. D. 24, 3, 17 pr. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1766[b]). — ... si socer ex promissione a marito conveniatur, solet quaeri, an idem ei honor habendus sit (sc. ut in id damnetur quod facere potest). Neratius libris Membranarum et Proculus scribunt hoc iustum esse.

63[b]. D. 42, 1, 21. Paulus libro sexto ad Plautium (P. 1131[b]). — Sicut .. cum marito agitur, ita et cum socero, ut non ultra facultates damnetur. an si cum socero ex promissione dotis agatur, in id quod facere potest, damnandus sit? quod *itidem*[1] aequum esse videtur. sed alio iure utimur, ut et Neratius scribit.

De condictione.

64. D. 12, 4, 3, 5. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 772[b]). — Si liber homo, qui bona fide serviebat, mihi pecuniam dederit, ut eum manumittam, et fecero, postea liber probatus an mihi condicere possit, quaeritur. et Iulianus libro undecimo Digestorum scribit competere manumisso repetitionem. Neratius etiam libro ⟨. . .⟩ Membranarum refert Paridem pantomimum a Domitia Neronis filia decem, quae ei

1 *Fl.* et id.

pro libertate dederat, repetisse per iudicem nec fuisse quaesitum, an Domitia sciens liberum accepisset.

De pantomimo vel histrione Paride et Domitia v. Tac. ann. 13, 19—22, qui 13, 27 de lite haec refert: 'scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur . . . nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat'.

Quod in Ulpiani fragmento de Neronis 'filia' dicitur, non Neratio, sed Ulpiano tribuendum videtur.

65. D. 13, 1, 12, 2. Ulpianus libro trigensimo octavo ad edictum (P. 1058). — Neratius libris Membranarum Aristonem existimasse refert eum, cui pignori res data sit, incerti condictione acturum, si ea subrepta est.

IX. Incerti operis fragmenta.

'Ad Neratium' libros IV, quorum fragmenta in Iustiniani Digestis exhibentur (P. 1020—1048), Paulum scripsisse constat. explanatum vero Neratii opus a Paulo esse, neque traditum est neque certo cognosci potest. cum notabile sit, Pauli ad Neratium fragmentis in Iustiniani Digestis fragmenta Neratii ex Responsorum libris desumpta non raro excipi, veluti:

D. 15, 1, 55. Neratius libro primo Responsorum.
D. 15, 1, 56. Paulus libro secundo ad Neratium.
D. 32, 24. Neratius libro secundo Responsorum.
D. 32, 25. Paulus libro primo ad Neratium.
D. 32, 26. Idem libro secundo ad Neratium.
D. 33, 7, 23. Neratius libro secundo Responsorum.
D. 33, 7, 24. Paulus libro tertio ad Neratium.
D. 47, 2, 84. Neratius libro primo Responsorum.
D. 47, 2, 85. Paulus libro secundo ad Neratium,

vir quidam doctus qui iam pridem de Neratio scripsit (I. C. Sickel, Lips. 1788), coniecit illas ad Neratium notas

ad eius Responsorum libros pertinere. ad quam coniecturam confirmandam quamquam addi potest, in Pauli fragmentis illis responsum quoque Neratii inveniri (D. 47, 19, 6), et idem fere quod Neratium respondisse Paulus D. 41, 3, 8 refert, libro III ad Neratium D. 41, 3, 47 tradi, tamen plus dubitationis remanet, quam ut Neratii fragmentis Responsorum libris tribuendis ea addere liceat, quae ex Pauli his libris quaeri possunt.

De iure inprimis civili Neratium dixisse apparet. quod de peculio quaedam addidit, in eo Iavolenum secutus videtur, quem libro XII ex Cassio de peculio et de in rem verso dixisse vidimus. priorum iuris consultorum sententias a Neratio prolatas Triboniani adiutor videtur abiecisse (D. 45, 1, 140 pr. 'De hac stipulatione ... apud veteres varium fuit. Paulus: sed verius est ...').

In Pauli fragmentis cum ea quae ad Neratium notavit, saepius diserte designentur (quibusdam praemissis legitur 'Paulus' P. 1029. 1030. 1033. 1034. 1036. 1037. 1040. 1043. 1048. 'Paulus notat' P. 1040. 'Neratius'... 'Paulus' P. 1023), unum fragmentum Pauli tantummodo notam exhibere dicitur (P. 1024). de ceteris fragmentis dubitari potest, utrum Neratii an Pauli sententiam exhibeant. quorum fragmentorum duo genera sunt, alterum eorum, quae unam sententiam separatam continent (ex. gr. P. 1020. 1022. 1025), alterum eorum, quibus plures sententiae coniunctae ita proferuntur, ut in priore parte Pauli nomen positum sit (P. 1027 D. 35, 1, 96 pr. ... Paulus: ... § 1 ... P. 1046 D. 45, 1, 140 pr. .. § 1 ... Paulus ... § 2 ...): in his Pauli nomen ad eam tantum sententiam, cui diserte adiectum est, spectare satis apparet. at neque ea fragmenta, in quibus Pauli nomen deest, neque fragmentorum partes, ad quas Pauli nomen insertum non pertinet, ideo Neratio attribuendae sunt, immo Pauli videntur esse. quin etiam Pauli oratio nonnunquam agnoscitur, ex. gr. fragmentum P. 1021 D. 7, 5, 4: 'ergo cautio etiam ab hoc exigenda erit' vel ideo Paulo attribuendum videtur, quod in aliis fragmentis haec leguntur: 'Paulus: ergo ... idem dicen-

dum est' P. 1027. 'Paulus: quemadmodum ergo ...' P. 1036.

Sed utut res se habet, ea fragmenta de quibus dubitari potest, utrum Pauli an Neratii sint, omittere malui.

Quod ad Neratii fragmenta proponenda attinet, primum monendum est, in Pauli libris ad Neratium singulis, ut conicere licet, separatim editis de variis iuris civilis capitibus dictum fuisse. sed fragmenta per quattuor libros distribuere cum plus audaciae quam utilitatis habeat, sententias argumento inter se finitimas ac similes secundum Sabinianum ordinem componendas duxi.

De legatis.

De usufructu legato.

1. D. 35, 1, 96. Paulus libro primo ad Neratium (P. 1027). — *Titio usus fructus servi legatus est, et si ad eum pervenire desisset, libertas servo data est. Titius vivo testatore decessit. libertas non valet, quia condicio nec initium accepit.*

Sequuntur haec: 'Paulus: ergo et si'.

De usu legato.

2. D. 7, 8, 23. Paulus libro primo ad Neratium (P. 1023). — Neratius. *Usuariae rei speciem is cuius proprietas est nullo modo commutare potest.*

Sequuntur haec: 'Paulus: deteriorem ...'

De fundo legato.

3. D. 33, 7, 24. Paulus libro tertio ad Neratium (P. 1043). — *Fundus, qui locatus erat, legatus est cum instrumento; instrumentum, quod colonus in eo habuit, legato cedit.*

Sequuntur haec: 'Paulus: an quod ...'

De legato condicionali.

4. D. 35, 1, 97. Idem (sc. Paulus) libro secunc ad Neratium (P. 1036). — ***Municipibus, si iurassent, leg tum est. haec condicio non est impossibilis.***

Sequuntur haec: 'Paulus: quemadmodum ergo . . .'

De fideicommissis.

5. D. 34, 1, 23. Paulus libro quarto ad Neratiun (P. 1048). — Neratius. ***Rogatus es, ut quendam educes ad victum necessaria ei praestare cogendus es.***

Sequuntur haec: 'Paulus: cur . . .'

De libertate relicta?

6. D. 40, 2, 24. Paulus libro secundo ad Neratiun (P. 1037). — ***Pupillus qui infans non est apud consilium recte manumittit.***

Sequuntur haec: 'Paulus: scilicet . . .'

De donatione inter virum et uxorem?

7. D. 24, 1, 63. Paulus libro tertio ad Neratium (P. 1043). — *De eo, quod uxoris in aedificium viri ita coniunctum est, ut detractum alicuius usus esse possit dicendum est agi posse, quia ⟨alia⟩ nulla actio est, e lege duodecim tabularum, quamvis decemviros non si credibile de his sensisse, quorum voluntate res eorum i alienum aedificium coniunctae essent.*

Sequuntur haec: 'Paulus notat . . .' fragmenti initiu quantum ad loquendi usum pertinet ('de eo quod uxori . . . coniunctum est'), Tribonianum sapit.

De furto.

8. D. 47, 19, 6. Paulus libro primo ad Neratiun (P. 1030). — *Si rem hereditariam, ignorans in ea caus esse, rubripuisti, furtum te facere respondit.*

Sequuntur haec: 'Paulus: rei hereditariae . . .'
Cuius responsum proponitur nescio.

De verborum obligationibus.

9. D. 45, 1, 140, 1. Paulus libro tertio ad Neratium (P. 1046). — *De hac stipulatione 'annua bima trima die id argentum ⟨sua⟩ quaque die dari?' apud veteres varium fuit.*

Sequuntur haec: 'Paulus: sed verius et hic tres esse trium summarum stipulationes', id quod Neratius videtur negasse.

10. D. 46, 2, 32. Paulus libro primo ad Neratium (P. 1029). — *Te hominem et Seium decem mihi dare oportet. stipulor ab altero novandi causa ita 'quod te aut Seium dare oportet': utrumque novatur.*

Sequuntur haec: 'Paulus: merito, quia'.

11. D. 15, 1, 56. Paulus libro secundo ad Neratium (P. 1033). — *Quod servus meus pro debitore meo mihi expromisit, ex peculio deduci debet et a debitore nihilo minus debetur. sed videamus, ne credendum sit peculiare fieri nomen eius, pro quo expromissum est.*

Sequuntur haec: 'Paulus: utique'.

De peculio.

12. D. 17, 1, 61. Paulus libro secundo ad Neratium (P. 1034). — *Quod filio familias ut peteret mandavi, emancipatus exegit; de peculio intra annum utiliter agam.*

Sequuntur haec: 'Paulus: sed et cum filio'.

X. Incertae sedis fragmenta.

Hac collocandi ratione usus sum, ut fragmenta magis ad ius civile pertinentia secundum Sabinianum ordinem disposita seiungerem ab iis quibus magis ius honorarium tractatur.

1. Ad ius civile.

De testamentis.

De herede instituendo.

1. D. 28, 5, 56. Paulus libro primo ad legem Aeliam Sentiam (P. 913). — Si is qui solvendo non

est primo loco Stichum, secundo eum cui ex fideicommissi causa libertatem debet, liberum et heredem instituerit, Neratius secundo loco scriptum heredem fore ait, quia non videtur creditorum fraudandorum causa manumissus.

Gai. 2, 154. '.. qui facultates suas suspectas habet, solet servum suum primo aut secundo vel etiam ulteriore gradu liberum ⟨esse iubere⟩ et heredem instituere...' cf. Ulp. 1, 41.

2. D. 28, 5, 9, 14. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2464). — Si quis ita scripserit 'Stichus liber esto et, posteaquam liber erit, heres esto', Labeo, Neratius et Aristo opinantur detracto verbo medio 'postea' simul ei et libertatem et hereditatem competere.

De legatis.

De legatorum generibus.

De legato per vindicationem.

3. Gai. 2, 195. — ... Nerva .. et Proculus ceterique illius scholae auctores non aliter putant rem legatarii fieri, quam si voluerit eam ad se pertinere.

De legato per damnationem.

4. D. 31, 67, 8. Idem (sc. Papinianus) libro nono decimo Quaestionum (P. 288). — Si rem tuam, quam existimabam meam, te herede instituto Titio legem, non est Neratii Prisci sententiae nec constitutioni (sc. divi Pii) locus, qua cavetur, non cogendum praestare legatum heredem.

Gai. 2, 202. '.. eoque genere legati etiam aliena res legari potest.' I. 2, 20, 4. '... quod .. diximus alienam rem posse legari, ita intellegendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse, non et si ignorabat; forsitan enim, si scisset alienam, non legasset. et ita divus Pius rescripsit.'

De herede intra tempus petere vetito.

5. D. 34, 3, 8, 2. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 509). — Illud videndum est, an eius temporis, intra quod petere heres vetitus sit, vel usuras vel poenas petere possit. et Priscus Neratius existimabat committere eum adversus testamentum, si petisset.

Pomponius addit: 'quod verum est'.

De usufructu legato.

De loci usufructu legato.

6ª. D. 8, 5, 2, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad edictum (P. 594). — .. Neratius scribit, si medii loci usus fructus legetur, iter quoque sequi, per ea scilicet loca fundi, per quae qui usum fructum ⟨in iure⟩ cessit constitueret, quatenus est ad fruendum necessarium.

6ᵇ. Vat. 54. — Sicut legato usu fructu loci sine servitute iter quoque per loca testatoris debetur, ita in iure cesso iter quoque contineri Neratius scribit.

De domus usufructu habitandi causa relicto.

7. D. 7, 8, 10, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2576). — .. si sic relictus sit 'illi domus usu*m* fructu*m* habitandi causa', utrum habitationem an vero et usum fructum habeat, videndum. et Proculus et Neratius putant solam habitationem legatam.

Ulpianus addit: 'quod est verum'.

De iure accrescendi.

8ª. Vat. fr. § 83 (Ulp.). — Non solum .. si duobus do lego usus fructus legetur, erit ius adcrescendi, verum ⟨et⟩ si alteri usus fructus, alteri proprietas; nam amittente usum fructum altero, cui erat legatus, magis iure adcrescendi ad alterum pertinet quam redit ad proprietatem. nec novum; nam et si duobus usus fructus legetur et apud alterum sit consolidatus, ius

adcrescendi non perit nec ei, apud quem consolidatus est, neque ab eo, et ipse, quibus modis amitteret ante consolidationem, iisdem et nunc ipso quidem iure non amittet, sed praetor secutus exemplum iuris civilis utilem actionem dabit fructuario. et ita <et> Neratio et Aristoni videtur.

8b. D. 7, 2, 3, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2566). — Non solum .. si duobus usus fructus legetur, est ius adcrescendi, verum et si alteri usus fructus, alteri fundus legatus est; nam amittente usum fructum altero, cui erat legatus, magis iure adcrescendi ad alterum pertinet quam redit ad proprietatem. nec novum; nam et si duobus usus fructus legetur et apud alterum sit consolidatus, ius adcrescendi non perit neque ei, apud quem consolidatus est, neque ab eo, et ipse, quibus modis amitteret ante consolidationem, isdem et nunc amittet. et ita et Neratio et Aristoni videtur.

9. Vat. 85 (Ulp. ad Sab.). — Si .. per damnationem usus fructus legetur, ius adcrescendi cessat ..., quoniam damnatio partes facit. proinde si rei alienae usus fructus legetur et ex Neroniano confirmetur legatum, sine dubio dicendum est ius adcrescendi cessare, si modo post constitutum usum fructum fuerit amissus ... an tamen in Neroniano, quoniam exemplum vindicationis sequimur, debeat dici utilem actionem amisso usu fructu ab altero alteri dandam, quaeri potest. et puto secundum Neratium admittendum.

De fundi instrumento legato.

10. D. 33, 7, 12, 4. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). — Saltuarium .. Labeo quidem putat eum demum contineri (sc. instrumento legato), qui fructuum servandorum gratia paratus sit, eum non, qui finium custodiendorum causa; sed Neratius etiam hunc.

De servis legatis.

11. D. 33, 5, 18. Scaevola libro tertio decimo Quaestionum (P. 171). — Homine legato Neratius ait nihil agi repudiato Pamphilo itaque eum ipsum eligi posse.

12. D. 35, 1, 37. Paulus libro singulari ad legem Fufiam Caniniam (P. 925). — Si quis eum, quem ipse manumittere non poterat, legaverit ita, ut eum legatarius manumitteret, [etsi a legato non repellatur,] non est compellendus ut manumittat, quoniam totiens secundum voluntatem testatoris facere compellitur, quotiens contra legem nihil sit futurum. idque Neratius scripsit, et tamen a legato non esse eum repellendum, quoniam magis legatarium aliquid commodum testator in hoc servo quam heredem habere voluisset.

Inclusa verba a Triboniano inserta esse Pernice III p. 36 n. 1 indicat.

13. D. 30, 45 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 498). — Si a substituto pupilli ancillas tibi legassem easque tu a pupillo emisses et antequam scires tibi legatas esse alienaveris, utile legatum esse Neratius et Aristo et Ofilius probant.

De Muciana cautione.

14. D. 35, 1, 7 pr. Ulpianus libro octavo decimo(?) ad Sabinum (P. 2595). — Mucianae cautionis utilitas consistit in condicionibus, quae in non faciendo sunt conceptae, ut puta 'si in Capitolium non ascenderit', 'si Stichum non manumiserit' et in similibus; et ita Aristoni et Neratio et Iuliano visum est.

Ad legem Falcidiam.

15. D. 35, 2, 82. Ulpianus libro octavo Disputationum (P. 144). — Quaerebatur, cum is qui solum in nomine quadringenta in bonis habebat ipsi debitori

liberationem, Seio autem quadringenta legaverit, si debitor vel solvendo non sit vel centum facere possit, quantum quisque habeat interventu legis Falcidiae. dicebam legem Falcidiam ex eo quod refici ex hereditate potest quartam heredi tribuere, residuum dodrantem inter legatarios distribuere. quare cum nomen minus solvendo est in hereditate, eius quod exigi potest pro rata fit distributio, residui venditio facienda est, ut id demum in hereditate computetur, quanti nomen distrahi potest. ... quod si nihil facere debitor potest, aeque in centum quinquaginta accepto liberandus est. de residuo venditionem nominis faciendam Neratius ait.

De fideicommissis.

16. D. 36, 1, 1, 19. Ulpianus libro tertio Fideicommissorum (P. 1872). — .. Neratius scribit, si heres rogatus restituere ⟨restituat⟩ totam hereditatem non deducta Falcidia rogato et ipsi, ut alii restituat, non utique debere eum ⟨fideicommissarium⟩ detrahere fideicommissario secundo quartam, nisi liberalitatem tantum ad priorem fideicommissarium heres voluit pertinere.

17. D. 36, 1, 65, 12. Gaius libro secundo Fideicommissorum (P. 398). — Si Titius rogatus sit hereditatem Maevio restituere, Maevius Seio certam pecuniam, et Titius quartae retinendae beneficio adversus Maevium usus fuerit, Neratius scribit Maevium quoque Seio eo minus aequum esse praestare, ne ipse de suo damnum sentiat.

De libertate relicta.

18. D. 40, 4, 7. Idem (sc. Ulpianus) libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597[k]). — Neratius scribit eius, cui libertas sic data est 'si mihi nullus filius erit cum moriar, Stichus liber esto', impediri libertatem postumo nato.

De statuliberis.

19. D. 40, 7, 5 pr. Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 524). — Statuliber rationem reddere iussus reliquum quod apparet solvit; de eo, quod obscurius est, satisdare paratus est. Neratius et Aristo .. putant liberum fore, ne multi ad libertatem pervenire non possint incerta causa rationis et genere negotii huius modi.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

20. D. 19, 1, 13, 14. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 934). — Si Titius fundum, in quo nonaginta iugera erant, vendiderit et in lege emptionis dictum est in fundo centum esse iugera et antequam modus manifestetur, decem iugera alluvione adcreverint, placet mihi Neratii sententia existimantis, ut, si quidem sciens vendidit, ex empto actio competat adversus eum, quamvis decem iugera adcreverint, quia dolo fecit nec dolus purgatur; si vero ignorans vendidit, ex empto actionem non competere.

21. D. 18, 3, 4, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 944). — (Si fundus lege commissoria venierit) . . . quod ait Neratius habet rationem, ut interdum fructus emptor lucretur, cum pretium quod numeravit perdit.[1]

Sequuntur haec: 'igitur sententia Neratii tunc habet locum, quae est humana, quando emptor aliquam partem pretii dedit.' Pernice II² p. 188 n. 1: 'dafs diese Worte von Ulpian herrühren, ist recht unwahrscheinlich.'

De servo vendito.

22. D. 15, 1, 32, 2. Ulpianus libro secundo Disputationum (P. 47). — Venditor servi si cum peculio

1 *Fl.* perdidit.

servum vendidit et tradiderit peculium, ne intra annum quidem de peculio convenietur; neque enim hoc pretium servi peculium est, ut Neratius scripsit.

23. D. 19, 1, 11, 7. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 931). — Venditorem, etiamsi ignorans vendiderit, fugitivum non esse praestare emptori oportere Neratius ait.

24. Ibid. § 8. — Idem Neratius, etiamsi alienum servum vendideris, furtis noxisque solutum praestare te debere ab omnibus receptum ait, et ex empto actionem esse, ut habere licere emptori caveatur, sed et ut tradatur ei possessio.

25. Ibid. § 9. — Idem ait non tradentem quanti intersit condemnari; satis autem non dantem, quanti plurimum auctorem periclitari oportet.

26. Ibid. § 10. — Idem Neratius ait propter omnia haec satis esse quod plurimum est praestari, id est ut sequentibus actionibus deducto eo quod praestitum est lis aestimetur.

27. Ibid. § 11. — Idem . . ait, si quid horum non praestetur, cum cetera facta sint, nullo deducto condemnationem faciendam.

28. Ibid. § 13. — Idem Neratius ait venditorem in re tradenda debere praestare emptori, ut in lite de possessione potior sit.

De emptore qui simplam pro dupla per errorem stipulatus est.

29. D. 21, 2, 37, 2. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 930[c]). — Si simplam pro dupla per errorem stipulatus sit emptor, re evicta consecuturum eum ex empto Neratius ait, quanto minus stipulatus sit, si modo omnia facit emptor, quae in stipulatione continentur; quod si non fecit, ex empto id tantum consecuturum, ut ei promittatur quod minus in stipulationem superiorem deductum est.

De mandato emendi servi.

30. D. 17, 1, 26, 7. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 488). — .. cum servus, quem mandatu meo emeras, furtum tibi fecisset, Neratius ait mandati actione te consecuturum, ut servus tibi noxae dedatur, si tamen sine culpa tua id acciderit; quod si ego scissem talem esse servum nec praedixissem, ut possis praecavere, tunc quanti tua intersit, tantum tibi praestari oportet.

31. D. 21, 1, 25, 3. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1773). — Procuratoris fit mentio in hac actione (sc. redhibitoria). sed Neratius procuratorem hic eum accipiendum ait, non quemlibet, sed cui universa negotia aut id ipsum, propter quod deterius factum sit (sc. mancipium), mandatum est.

De communione.

Familiae erciscundae.

32. D. 10, 2, 18, 7. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 633b). — ... si quis (sc. heredum) Titio debitum solverit, ne pignus veniret, Neratius scribit familiae erciscundae iudicio eum posse experiri.

Communi dividundo.

33. D. 10, 3, 7, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo ad edictum (P. 642). — Neratius scribit arbitrum, si regionibus fundum non vectigalem divisum duobus adiudicaverit, posse quasi in duobus fundis servitutem imponere.

34? D. ibid. § 3. — Ex quibusdam .. causis ⟨ubi⟩ vindicatio cessat, si tamen iusta causa est possidendi, utile communi dividundo competit, ut puta si ex causa debiti soluti *fiducia*[1] possideatur.

'Fr. 7 § 3 comm. div. 10, 3 ist allem Anscheine nach

1 *Trib.* ex causa indebiti soluti res. *emend. Keller.*

aus dem kurz vorher genannten Neratius abgeschrieben.' Pernice II² p. 436 n. 3.

De societate.

35. D. 17, 2, 52, 17. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922c). — Ibidem ait (sc. Neratius), socium omnium bonorum non cogi conferre quae ex prohibitis causis adquisierit.

36. D. 2, 14, 27 pr. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127f). — Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius Atilicinus Proculus, nec si in rem pactus sit, alteri nocere; tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit. idem Labeo.

cf. II 1 p. 97.

De iure dotium.

37. D. 23, 3, 5, 6. Ulpianus libro trigensimo primo ad Sabinum (P. 2751c). — Si pater [non quasi pater, sed] alio dotem promittente fideiussit et quasi fideiussor solverit, Neratius ait non esse profecticiam dotem, quamvis pater servare a reo id quod solvit non possit.

38. Ibid. § 8. — Si filius familias mutuatus creditorem delegavit, ut daret pro filia dotem, vel etiam ipse accepit et dedit, videri dotem ab avo profectam Neratius ait hactenus, quatenus avus esset dotaturus neptem suam; id enim in rem avi videri versum.

39. D. 23, 3, 20. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1756). — Iulianus scribit valere talem stipulationem 'cum morieris, dotis nomine tot dari'?, quia et pacisci soleant, ne a viva exigatur[1]. quod non esse simile accepi; aliud est enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus stipulari, quo matri-

1 *Fl.* exhibeatur.

monium futurum non sit. idque et Aristoni et Neratio et Pomponio placet.

40. D. 11, 7, 20 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo quinto ad edictum (P. 753[c]). — Neratius quaerit, si is, qui dotem dederat pro muliere, stipulatus [est] duas partes dotis reddi, tertiam apud maritum remanere, pactus sit, ne quid maritus in funus conferret, an funeraria maritus teneatur. et ait, si quidem ipse stipulator mulierem funeravit, locum esse pacto et inutilem ei funerariam fore; si vero alius funeravit, posse eum maritum convenire, quia pacto hoc publicum ius infringi non possit. quid tamen si quis dotem hac lege dederit pro muliere, ut ad ipsum rediret, si in matrimonio mortua esset, aut quoquo modo soluto matrimonio? numquid hic in funus non conferat? sed cum dos morte mulieris ad eum pervenerit, potest dici conferre eum.

41. D. 24, 3, 17, 2. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1766[b]). — Si in iudicio *rei uxoriae*[1] iudex ignorantia iuris lapsus condemnaverit maritum in solidum, Neratius Sabinus doli exceptione eum uti oportere aiunt eaque tutum fore.

De donationibus inter virum et uxorem.

42. D. 24, 1, 5, 5. Ulpianus libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 2764[b]). — Neratius ... venditionem donationis causa inter virum et uxorem factam nullius esse momenti, si modo, cum animum maritus vendendi non haberet, idcirco venditionem commentus sit, ut donaret; enimvero si, cum animum vendendi haberet, ex pretio ei remisit, venditionem quidem valere, remissionem autem hactenus non valere, quatenus facta est locupletior.

43. D. 24, 1, 26, 1. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1751). — Ex quibus causis inter virum et

1 *Trib.* dotis.

uxorem concessae sunt donationes, ex isdem et inter socerum et generum nurumve concessas Neratius ait.

De tutelis.

44. Dosith. 15. — Mulier sine tutoris auctoritate <inter amicos manumittere non potest>, nisi ius liberorum habeat; tunc enim <et> vindicta sine tutore potest manumittere. unde si mulier absens liberum esse iusserit, quae ius liberorum non habeat, quaesitum est, an <competat libertas> tutor<e> eius auctoritatem <ac>commodant<e> eo tempore, quo epistula scribitur servo a domina ... Neratius Priscus probat libertatem servo competere; sufficere enim, quando epistula scribitur, adhiberi auctoritatem tutoris.

45. D. 27, 3, 9, 1. Ulpianus libro vicensimo (*potius* trigensimo) quinto ad edictum (P. 1014). — Si duobus impuberibus fratribus tutor datus sit et alter eorum in legitimam tutelam fratris sui [perfectae aetatis constituti] reccidit, eum qui datus esset, tutorem esse desisse Neratius ait.

cf. C. 5, 30, 5 pr. Iustinianus.

46? Ulp. 11, 28. — Liberantur tutela masculi quidem pubertate. puberem autem Cassiani .. eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est qui generare possit, Proculeiani autem eum, qui quattuordecim annos explevit; verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit, et habitus corporis et numerus annorum.

De furtis.

47. D. 47, 2, 43, 1. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2869). — Falsus procurator furtum quidem facere videtur. sed Neratius videndum esse ait, an haec sententia cum distinctione vera sit, ut, si hac mente ei dederit nummos debitor, ut eos creditori perferret, procurator autem eos intercipiat, vera sit; nam et manent nummi debitoris, cum pro-

curator eos non eius nomine accepit, cuius eos debitor fieri vult, et invito domino eos contrectando sine dubio furtum facit. quod si ita det debitor, ut nummi procuratoris fiant, nullo modo eum furtum facere ait voluntate domini eos accipiendo.

De lege Aquilia.

48. D. 9, 2, 23 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 616). — .. Neratius scribit, si servus heres institutus occisus sit, etiam hereditatis aestimationem venire.

cf. Gai. 3, 212. 'Nec solum corpus in actione huius legis aestimatur; sed sane si servo occiso plus dominus capiat damni quam pretium servi sit, id quoque aestimatur, veluti si servus meus ab aliquo heres institutus antequam iussu meo hereditatem cerneret, occisus fuerit; non enim tantum ipsius pretium aestimatur, sed et hereditatis amissae quantitas'.

49. D. 9, 2, 9, 2. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[b]). — Si quis hominem fame necaverit, in factum actione teneri Neratius ait.

cf. Gai. 3, 219. 'Ceterum placuit ita demum ex ista lege actionem esse, si quis corpore suo damnum dederit; ideoque alio modo damno dato utiles actiones dantur, veluti si quis alienum hominem . . . incluserit et fame necaverit . . .'

50[a]. Collat. 12, 7, 7. Ulpianus libro XVIII ad edictum ... — Si forte servus, qui idem conductor est, coloni ad fornacem obdormisset et villa fuerit exusta, Neratius scribit ex locato conventum praestare debere, si neglegens in elegendis ministeriis fuit.

50[b]. D. 9, 2, 27, 9. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 623). — Si forn*a*carius servus coloni ad fornacem obdormisset et villa fuerit exusta, Neratius scribit ex locato conventum praestare debere, si neglegens in eligendis ministeriis fuit.

De iniuriis.

51. D. 47, 10, 7, 5. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1339). — Si mihi plures iniurias feceris, puta turba et coetu facto domum alicuius introeas et hoc facto efficiatur, *ut* simul et convicium patiar et verberer, an possim separatim tecum experiri de singulis iniuriis, quaeritur. et Marcellus secundum Neratii sententiam hoc probat cogendum iniurias, quas simul passus est, coniungere.

52. D. 47, 10, 1, 8. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1335). — Sive autem sciat quis filium meum esse vel uxorem meam, sive ignoraverit, habere me meo nomine actionem Neratius scripsit.

53. D. ibid. § 9. — Idem ait Neratius ex una iniuria interdum tribus oriri iniuriarum actionem neque ullius actionem per alium consumi, ut puta uxori meae filiae familias iniuria facta est: et mihi et patri eius et ipsi iniuriarum actio incipiet competere.

cf. Gai. 3, 221 'itaque si filiae meae quae Titio nupta est, iniuriam feceris, non solum filiae nomine tecum agi iniuriarum potest, verum etiam meo quoque et Titii nomine.

De condictione.

54. D. 12, 6, 63. Gaius libro singulari de casibus (P. 1). — Neratius casum refert, ut quis id quod solverit repetere non possit, quasi debitum dederit, nec tamen liberetur: velut si is, qui *cui*[1] certum hominem deberet, statuliberum dederit; nam ideo eum non liberari, quod non in plenum stipulatoris hominem fecerit, nec tamen repetere eum posse, quod debitum dederit.

55. D. 24, 1, 13, 2. Ulpianus libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 2769). — Cum quis acceperit, ut in suo aedificet, condici ei id non potest, quia

1 *Fl.* cum.

magis donari ei videtur. quae sententia Neratii quoque fuit; ait enim datum ad villam extruendam vel agrum serendum, quod alioquin facturus non erat is qui accepit, in speciem donationis cadere.

Ulpianus addit: 'ergo inter virum et uxorem hae erunt interdictae'.

De verborum obligatione.

56. D. 16, 2, 4. Paulus libro tertio (XI?) ad Sabinum (P. 1645). — ... et Neratio placebat ..., [ipso iure] eo minus fideiussorem ex *argentarii*[1] contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest[: sicut enim, cum totum peto a reo, male peto, ita et fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem quam reus condemnari potest].

Pauli verba a Triboniano corrupta esse viri docti consentiunt; at qua de re ille dixerit, non item. Mitteis Ib. f. Dogm. 28, 154 sqq. de fideiussore indemnitatis, Pernice II² p. 278 potius de argentarii contractu dictum fuisse merito conicit.

De adquirenda vel amittenda possessione.

57. D. 41, 2, 3, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658). — Neratius et Proculus et solo animo [non] posse nos adquirere possessionem, ⟨et⟩ si non antecedat naturalis possessio. ideoque si thensaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero, quia quod desit naturali possessioni, id animus implet.
Kuebler: Z. d. Sav.-St. XI, 51.

58? D. 41, 2, 1, 21. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657ᶜ). — Si iusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit, videri mihi traditam Priscus ait, idemque esse, si

1 *Trib.* omni.

nummos debitorem iusserim alii dare. non *esse*[1] enim corpore et tactu necesse adprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu. argumento esse eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas; nam pro traditis eas haberi, si in re praesenti consenserint, et vina tradita videri, cum claves cellae vinariae emptori traditae fuerint.

59. D. 41, 2, 7. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 660). — (D. 41, 2, 6, 1 Ulp. l. LXX ad ed. 'Qui ad nundinas profectus neminem reliquerit et, dum ille a nundinis redit, aliquis occupaverit possessionem, videri eum clam possidere Labeo scribit; retinet ergo possessionem is qui ad nundinas abiit. verum si revertentem dominum non admiserit[2], vi magis intellegi possidere, non clam.') sed et si nolit in fundum reverti, quod vim maiorem vereatur, amisisse possessionem videbitur; et ita Neratius .. scribit.

De usucapione.

60? D. 41, 4, 2, 6. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 664). — Cum Stichum emissem, Dama per ignorantiam mihi pro eo traditus est. Priscus ait usu me eum non capturum, quia id, quod emptum non sit, pro emptore usucapi non potest; sed si fundus emptus sit et ampliores fines possessi sint, totum *usu*[3] capi, quoniam universitas eius possideatur, non singulae partes.

61. D. 41, 10, 3. Pomponius libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 696[b]). — Hominem, quem ex stipulatione te mihi debere falso existimabas, tradidisti mihi. si scissem mihi nihil deberi, usu eum non capiam; quod si nescio, verius est, ut usucapiam[, quia ipsa

1 *Fl.* est.
2 Lenel qui apud Nerat. legit: 'verum si revertens dominus non admissus sit', apud Paul. tradita verba exhibet.
3 *Trib.* longo tempore.

traditio ex causa, quam veram esse existimo, sufficit ad efficiendum, ut id quod mihi traditum est pro meo possideam]. et ita Neratius scripsit.

Pomponius addit: 'idque verum puto'. de ratione a Triboniano adiecta v. Pernice II² p. 401. 406 n. 2.

Lenel fragmentum Membranarum libro V attribuit collata D. 22, 6, 2, sed argumento non satis idoneo usus.

62? D. 41, 10, 4 pr. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 769). — Si ancillam furtivam emisti fide bona ⟨quodque⟩ ex ea natum et apud te conceptum est ita possedisti, ut intra *annum*[1] cognosceres matrem eius furtivam esse, Trebatius (Neratius?) omni modo, quod ita possessum esset, usucaptum esse.

Pernice qui II p. 204 n. 44 Cuiacii coniecturam haud ita pravam esse ('gar nicht so übel') dixit, in altera libri editione p. 402 n. 3 magis dubitat, nec minus Lenel in P. apud Trebatium 77.

2. Ad ius honorarium.

Fragmenta disposui secundum edictum a Iuliano constitutum.

Qui nisi pro certis personis postulent.

63. D. 3, 2, 11, 3. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 284). — Non solent . . lugeri, ut Neratius ait, hostes vel perduellionis damnati nec suspendiosi nec qui manus sibi intulerunt non taedio vitae, sed mala conscientia.

Quod cuiuscunque universitatis nomine vel contra eam agatur?

64. D. 50, 16, 85. Marcellus libro primo Digestorum (P. 6). — Neratius Priscus tres facere existimat collegium.

1 *Trib.* intra constitutum usucapioni tempus.

Pernice fortasse de iuris sacri collegiis sermonem esse egregie conicit arg. leg. Genet. c. 67: 'neve quis quem in conlegium pontificum kapito sublegito cooptato nisi tunc cum minus tribus pontificibus ex iis qui coloniae Genetivae sunt erunt.'

De negotiis gestis.

65. D. 3, 5, 17. Paulus libro nono ad edictum (P. 190). — Proculus et Pegasus bonam fidem eum, qui in servitute gerere coepit, praestare debere aiunt; ideoque quantum, si alius eius negotia gessisset, servare potuisset, tantum eum, qui a semet ipso non exegerit, negotiorum gestorum actione praestaturum, si aliquid habuit in peculio, cuius retentione id servari pot*uit*[1]. idem Neratius.

Ex quibus causis maiores XXV annis in integrum restituuntur.

66. D. 4, 6, 15, 3. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 431). — .. quod simpliciter praetor edixit 'posteave' ita accipiendum est, ut, si inchoata sit bonae fidei possessoris detentatio ante [absentiam], finita autem reverso, restitutionis auxilium locum habeat non quandoque, sed ita demum, si intra modicum tempus quam rediit hoc contigit, id est dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, quaerit advocatum; nam eum, qui differt restitutionem, non esse audiendum Neratius scribit.

De noxalibus actionibus.

67. D. 9, 4, 21, 6. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 681). — Si iusiurandum exegit actor reusque iuravit (sc. in sua potestate servum se non habere), deinde postea noxali velit actor experiri, videndum est, an exceptio iurisiurandi debeat adversus

1 *Fl.* potest.

actorem dari. et Sabinus putat non esse dandam ... Neratius quoque dicebat post exactum iusiurandum posse actorem detracta noxae deditione experiri [si modo hoc contendat, posteaquam iuratum est coepisse in potestate habere].

Inclusa verba Pernice merito eicit.

De Publiciana in rem actione.

68. D. 6, 2, 9, 3. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 570[d]). — .. si hereditatem emero et traditam mihi rem hereditariam petere velim, Neratius scribit esse Publicianam.

cf. Gai. 4, 36 'datur .. haec actio (sc. Publiciana) ei qui ex iusta causa traditam sibi rem ... petit.'

De servo corrupto.

69. D. 11, 3, 9, 3. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 703[a]). — .. quaestionis est, aestimatio utrum eius dumtaxat fieri debeat, quod servus in corpore vel in animo damni senserit, hoc est quanto vilior servus factus sit, an vero et ceterorum. et Neratius ait tanti condemnandum corruptorem, quanti servus ob id quod subpertus sit (subierit?), minoris sit.

70. D. 11, 3, 11 pr. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 703[b]). — Neratius ait postea furta facta in aestimationem non venire.

Lenel apud Ulp. notat: 'interpolationem subesse apparet. suspicor scribendum esse: Neratius ait tanti ... minoris sit, furta autem facta in aestimationem non venire.'

In Digestis sequuntur haec: 'quam sententiam veram puto'. at Lenel oratione in eam quae supra proposita est formam redacta Ulpianum potius scripsisse conicit 'quam sententiam falsam puto'.

Ad exhibendum.

71. D. 10, 4, 3, 11. Ulpianus libro vicensimo (ad edictum (P. 719). — ... definit Neratius iu ad exhibendum hactenus cognoscere, an iust probabilem causam habeat actionis, propter qua hiberi sibi desideret.

72. D. 10, 4, 9, 8. Ulpianus libro vicensimo (ad edictum (P. 722). — .. utilitates, si quae ar sunt ob hoc quod non exhibetur vel tardius qu hibetur, aestimandae a iudice sunt. et ideo Ne ait utilitatem actoris venire in aestimationem quanti res sit, *quae utilitas*, inquit, *interdum n erit quam res erit.*

De peculio.

73. D. 15, 1, 11, 3. Ulpianus libro vicensimc ad edictum (P. 852[d]). — Est .. quaestionis, quod dominus semel deduxit cum conveniretur, si conveniatur, de peculio eximere debeat, an veluti solutum ei videatur semel facta deductio Neratius et Nerva putant, item Iulianus libro duod scribit, si quidem abstulit hoc de peculio, non (deduci, si vero eandem positionem peculii re debere eum deducere.

Depositi vel contra.

74. D. 16, 3, 1, 21. Ulpianus libro trigensi edictum (P. 895). — (Non tantum praeteritus in depositi actione veniet, sed etiam futurus, post litem contestatam.) inde scribit Neratius, deposita sine dolo malo amissa sit et post iu acceptum reciperaretur, nihilo minus recte ad r tionem reum compelli nec debere absolvi, nisi res idem Neratius ait, quamvis tunc tecum depositi sit, cum restituendi facultatem non habeas l forte clusis, tamen, si ante condemnationem resti facultatem habeas, condemnandum te nisi res

quia res apud te est; tunc enim quaerendum, an dolo malo feceris, cum rem non habes.

Mandati vel contra.

75. D. 17, 1, 12, 5. Ulpianus libro trigensimo primo ad edictum (P. 910[b]). — Si filio familias mandavi, ut pro me solveret, patrem, sive ipse solverit sive filius ex peculio, mandati acturum Neratius ait.

Ulpianus addit: 'quod habet rationem; nihil enim mea interest, quis solvat'.

76. D. 17, 1, 22, 8. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). — Si mandaverim servo tuo, ut quod tibi debeam solveret meo nomine, Neratius scribit, quamvis mutuatus servus pecuniam rationibus tuis quasi a me receptam intulerit, tamen, si nummos a creditore non ita acceperit, ut meo nomine daret, nec liberari me nec te mandati mecum acturum; quod si sic mutuatus sit, ut pecuniam meo nomine daret, utrumque contra esse, nec referre, alius quis an idem ipse servus nomine tuo quod pro me solvebatur acceperit.

De operis novi nuntiatione.

77. D. 8, 2, 19 pr. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1738). — .. Neratius ait, si talis sit usus tepidarii, ut adsiduum umorem habeat et id noceat vicino, posse prohiberi eum.

Aquae pluviae arcendae.

78. D. 39, 3, 1, 2. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). — Neratius scribit: *opus quod quis fecit, ut aquam excluderet, quae exundante palude in agrum eius refluere solet, si ea palus aqua pluvia ampliatur eaque aqua repulsa eo opere agris vicini noceat, aquae pluviae actione cogetur tollere.*

Qui fraudationis causa latitabit.

79. D. 42, 4, 7, 16. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 139). — .. videamus, si quis adversus in rem actionem latitet, an bona eius possideri venumque dari possint. extat Neratii sententia existimantis bona esse vendenda.

Ulpianus addit: 'et hoc rescripto Hadriani continetur ...'

Quod vi aut clam.

80. D. 43, 24, 7, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1594[b]). — Neratius .. scribit eum, cuius servus vi aut clam fecit, aut sua impensa ex interdicto opus restituere debere aut patientiam restituendi praestare et servum noxae dedere. plane si mortuo alienatove servo interdiceretur, patientiam dumtaxat praestare debere ait, ita ut et emptor eo interdicto possit conveniri [ut impensam praestet aut noxam det], dominoque operis sua impensa restituente aut damnato, quia non restitueret, emptorem liberari. eadem et si contra dominus servi vel opus restituisset vel litis aestimatione damnatus esset; quod si tantum noxae dedisset, adversus dominum operis utiliter interdici.

Inclusa verba Pernice merito eicit.

De exceptione rei iudicatae.

*81. D. 44, 2, 11 pr. Ulpianus libro septuagensimo quinto ad edictum (P. 1669). — Si mater filii impuberis defuncti ex senatus consulto bona vindicaverit idcirco, quia putabat rupto patris eius testamento neminem esse substitutum, victaque fuerit, quia testamentum patris ruptum non erat, postea autem apertis pupillaribus tabulis apparuit non esse ei substitutum, si peteret rursus hereditatem, obstaturam exceptionem rei iudicatae Neratius ait.

De senatus consulto Tertulliano Hadriani temporibus facto sermo est.

82. D. 44, 2, 9, 1. Ulpianus libro septuagensimo quinto ad edictum (P. 1667). — Si quis fundum, quem putabat se possidere, defenderit, mox emerit, re secundum petitorem iudicata an restituere cogatur? et ait Neratius, si actori iterum petenti obiciatur exceptio rei iudicatae, replicare eum oportere de re secundum se iudicata.

Duo fragmenta antecedentia Membranarum libro VII Lenel attribuit, ratione non satis idonea nisus.

Iudicatum solvi.

83. D. 3, 3, 27, 1. Ulpianus libro nono ad edictum (P. 317). — Si ex parte actoris litis translatio fiat, dicimus committi iudicatum solvi stipulationem a reo factam, idque .. Neratius probat.

Ulpiani verba plena sunt: 'et N. probat et Iulianus et hoc iure utimur ..'

---

5. TITIUS ARISTO

Cassii Longini, ut videtur, auditor (D. 4, 8, 40 'Cassium audisse se dicentem Aristo ait'. D. 17, 2, 19, 2 'Aristo refert Cassium respondisse'), 'haudquaquam indoctus vir' (Gell. 11, 18, 2), 'peritissimus privati iuris et publici' (Plin. ep. 8, 14 cf. 1, 221), Plinii amicus, litterarum commercio coniunctus cum Cerellio Vitali (D. 8, 5, 8, 5), Neratio Appiano (D. 40, 4, 46), Celso filio (D. 2, 14, 7, 2. 40, 7, 29, 1), Neratio Prisco (D. 20, 5, 3. 19, 2, 19, 2), qui tanta cum auctoritate respondendo operam dabat, ut vel a principe Traiano consuleretur (D. 37, 12, 5). libros quoque composuit, quorum de nomine et indole certi nihil traditum est. circa a. 97 morbo ita laborabat, ut de vita sponte finienda cogitaret. qua de re Plinius 1, 22 Catilio Severo suo haec scripsit:

'Diu iam in urbe haereo et quidem attonitus. perturbat me longa et pertinax valitudo Titi Aristonis, quem

singulariter et miror et diligo. nihil est enim illo gravius, sanctius, doctius, ut mihi non unus homo, sed litterae ipsae omnesque bonae artes in uno homine summum periculum adire videantur. quam peritus ille et privati iuris et publici! quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! nihil est quod discere velis, quod ille docere non possit: mihi certe, quotiens aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. iam quanta sermonibus eius fides, quanta auctoritas, quam pressa et decora cunctatio! quid est quod non statim sciat? et tamen plerumque haesitat, dubitat diversitate rationum, quas acri magnoque iudicio ab origine causisque primis repetit, discernit, expendit. ad hoc quam parcus in victu, quam modicus in cultu! soleo ipsum cubiculum eius ipsumque lectum ut imaginem quandam priscae frugalitatis aspicere. ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert recteque facti non ex populi sermone mercedem sed ex facto petit. in summa non facile quemquam ex istis qui sapientiae studium habitu corporis praeferunt huic viro comparabis. non quidem gymnasia sectatur aut porticus nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat, sed in toga negotiisque versatur, multos advocatione, plures consilio iuvat. nemini tamen istorum castitate pietate iustitia fortitudine etiam primo loco cesserit. mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret, ut dolori resistat, ut sitim differat, ut incredibilem febrium ardorem immotus opertusque transmittat. nuper me paucosque mecum quos maxime diligit advocavit rogavitque ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, sponte exiret e vita, si tantum difficilis et longa, resisteret maneretque; dandum enim precibus uxoris, dandum filiae lacrimis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent inanes, voluntaria morte desereret . . . et medici quidem secunda nobis pollicentur . . .'

Ad Titium ipsum datas habes eiusdem duas epistulas 5, 3 et 8, 14, quarum prior ad nostram rem nihil attinet,

alteram infra in responsis referam. Aristonem Afranii Dextri consulatum vidisse annumque 105 (Plin. ep. 8, 14, 12) vita superasse comprobatur.

Auditores videtur habuisse inprimis et Neratium Priscum (D. 18, 3, 17, 5 'Aristo existimabat'. D. 2, 14, 58 'Aristoni . . . videbatur'. D. 13, 1, 12, 2 'Neratius . . . Aristonem existimasse refert') et Sextum Pomponium (D. 46, 3, 16 'Aristo dicebat'. D. 36, 1, 74 'Aristo aiebat'. D. 17, 2, 62 'Aristoni placebat').

Aristonem veterum diligenter rationem habuisse constat, in his Catonis (D. 24, 3, 44 pr.), Q. Mucii (D. 40, 7, 29, 1), Servii (D. 4, 8, 40). accedunt Ofilius (D. 30, 45 pr.), Labeo (D. 33, 9, 3, 2. 43, 24, 5 pr.), alii. at vestigiis eorum non adeo inhaerebat, ut eosdem non raro relinqueret (D. 35, 2, 1, 9). notavit praeterea et Labeonem (D. 28, 5, 17, 5), et Sabinum (D. 7, 8, 6. cf. D. 33, 9, 3, 1) et Cassium (D. 7, 1, 17, 1. cf. D. 39, 2, 28). dixit quoque contra Pegasum (D. 28, 5, 19).

Nonnullae sententiae Traiani aetatem prae se ferunt. eius generis sunt inprimis, quae de patre, qui filium contra pietatem male adficiebat (D. 37, 12, 5) et de loco, in quo servus sepultus est (D. 11, 7, 2 pr.), statuit.

Aristonem Neratius nonnunquam consuluit (in epistula Neratii ad Aristonem, quam Ulpianus D. 19, 2, 19, 2 commemorat, quamvis Neratius ipse quoque suam sententiam proposuerit, a Neratio Aristonem interrogatum fuisse, non illum huic consulenti respondisse satis apparet), et saepe secutus est. haec enim leguntur: 'idque et Aristoni et Neratio . . . placet' D. 23, 3, 20, 'et ita Aristoni et Neratio ... visum est' D. 35, 1, 7 pr. saepius, quod in enumerationibus frequenter fit, minor natu maiori praeponitur: 'Neratius et Aristo et Ofilius probant' D. 30, 45 pr., 'Neratio et Aristoni placebat' D. 17, 2, 62, 'Neratius et Aristo . . putant' D. 40, 7, 5 pr., 'consilio Neratii Prisci et Aristonis' D. 37, 12, 5, apud Ulpianum 'Labeo, Neratius et Aristo' D. 28, 5, 9, 14, denique in Neratii

ipsis verbis ex Membranarum libris allatis D. 17, 1, 39 'Et Aristoni et Celso patri placuit, ... quod et mihi verum esse videtur', D. 36, 3, 13 'idem Aristoni placet'. in aliis vero Aristonem reliquit: D. 2, 14, 58 'dubium non est. Aristoni hoc amplius videbatur ...' D. 18, 3, 5 'Aristo existimabat'.

Pomponius plurimas Aristonis sententias attulit cum in libris ex Plautio (D. 1, 8, 10. 23, 2, 40), Epistularum libris (D. 26, 7, 61. 40, 5, 20), ex Variis Lectionibus (D. 4, 8, 40. 40, 4, 46), Fideicommissorum (D. 36, 1, 74), tum in libris ad Q. Mucium (D. 40, 7, 29, 1) et ad Sabinum (l. III D. 41, 1, 19, P. 414, l. IV D. 38, 1, 4, P. 432, l. VI D. 30, 45 pr. P. 498, l. VIII D. 40, 7, 5 pr. P. 524, l. XIII D. 17, 2, 62 P. 586, l. XIV D. 40, 7, 11 P. 597, l. XV D. 46, 3, 16 P. 609[b]. D. 18, 5, 1 P. 615[h], l. XXII D. 36, 1, 22 P. 695. D. 19, 5, 16, 1 P. 702 et l. XXIX D. 26, 9, 1 P. 741), neque minus in libris ad edictum praetoris (D. 4, 4, 16, 2. 39, 5, 18 pr. §§ 1. 2). eundem Aristonis Digestorum libros adiectis notis iterum edidisse satis indicant Pauli verba male distorta D. 24, 3, 44 pr. 'est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto'. ac plerumque Pomponius Aristonis sententias probavit; haec enim leguntur 'et Aristoni videtur et Pomponius probat' Vat. fr. 83. 'est relatum apud Sextum Pomponium ... ibique Aristoni consentit' D. 24, 3, 44 pr. qua in re Pomponii quoque ipsius verba tradita sunt, veluti librorum ad Sabinum D. 38, 1, 4 'haec ita Aristo scripsit, cuius sententiam puto veram' vel librorum ad Q. Mucium D. 40, 7, 29, 1 'verissimum est, quod et Aristo Celso rescripsit'.

Quod ad Iulianum attinet, haec leguntur: D. 37, 5, 6 'Salvius Aristo Iuliano salutem', quae verba nisi ad alium quendam Aristonem spectant, potius ita legenda sunt: Salvius Iulianus Aristoni s. Aristonis autem sententias allatas Iulianus non raro probavit (D. 35, 2, 1, 9 'Aristo a veterum opinione recessit; ait enim ... idque Iulianus probat'. D. 12, 1, 9, 8 'Aristo

scribit ... Iulianus quoque de hoc interrogatus ... scribit veram esse Aristonis sententiam'. D. 35, 1, 7 pr. 'et ita Aristoni et Neratio et Iuliano visum est'), qui eiusdem sententias in iisdem Digestorum libris, in quibus Pomponium laudat, rettulit (l. XXX D. 28, 5, 42 P. 440[b] et l. XXXV Vat. fr. 88 P. 508. cf. Vat. § 83 P. 506); et rettulit non modo libro X diserte laudato (D. 12, 1, 9, 8 P. 148), sed etiam libris, ut videtur, XXXII (D. 35, 1, 7 pr. P. 468), XXXV (Vat. fr. § 83 P. 506), LXI (D. 35, 2, 1, 9 P. 752[a]). qui ad Iuliani Digesta notas adiecit Mauricianus, nonnunquam Aristonis sententias contra Iulianum videtur defendisse; certe D. 2, 14, 7, 2, quo loco Iulianum reprehendit, contractum illud 'quod Aristo συνάλλαγμα dicit', ei opposuit.

Quod ad posteriores attinet, neque in Gai neque in Scaevolae fragmentis Aristo laudatur, in Papiniani semel (D. 37, 12, 5), saepissime in Pauli Ulpianique, quorum uterque Aristonis sententias in libris ad Sabinum attulit: Paulus l. III (D. 36, 1, 20, 1 P. 1638[c]) et VII (D. 23, 3, 20 P. 1756. D. 25, 2, 6, 5 P. 1775), Ulpianus l. V (D. 28, 5, 9, 14 P. 2464), VII (D. 28, 5, 17, 5 P. 2488. D. 28, 5, 19 P. 2489), VIII (D. 29, 2, 28 P. 2492), XV (D. 30, 14 pr. P. 2532), XVII (D. 7, 1, 7, 3 P. 2558. Vat. fr. 83. 88 P. 2566. 2570. D. 7, 8, 6 P. 2575[c]. D. 7, 8, 14, 1 P. 2581), XVIII (D. 7, 1, 17, 1 P. 2585. D. 35, 1, 7 pr. P. 2591), XIX (D. 30, 28 pr. P. 2597), XXII (D. 33, 9, 3, 1 P. 2641), XLIV (D. 34, 2, 25, 1 P. 2913[b]), uterque fortasse ex Pomponii libris ad Sabinum; uterque praeterea in libris ad edictum praetoris: Paulus l. XLVIII (D. 39, 2, 18, 10 P. 625) et LXXII (D. 45, 1, 83, 1 P. 798), Ulpianus l. IV (D. 2, 14, 7, 2 P. 242), XI (D. 4, 4, 16, 2 P. 406), XVII (D. 8, 5, 8, 5 P. 601), XXV (D. 11, 7, 2 pr. P. 724), XXVI (D. 12, 1, 9, 8 P. 769), XXXIV (D. 25, 4, 1, 13 P. 985), XXXVIII (D. 13, 1, 12, 2 P. 1058[b]), LX (? D. 28, 8, 5 pr. P. 1397), LXVIII (D. 43, 8, 2, 7 P. 1493), LXX (D. 43, 20, 1, 19 P. 1570. D. 43, 21, 3, 6 P. 1584), LXXI (D. 43, 24, 1, 8 D. 43, 24, 3, 8 D. 43, 24, 5 pr. P. 1592[a.b.c] D. 43, 24,

11, 11 P. 1597), LXXXI (D. 39, 2, 28 P. 1755). Ulpianum porro quaedam ex Pomponii libris ad edictum hausisse apparet: v. ex. gr. l. XI (D. 4, 4, 16, 2 'Pomponius .. refert libro vicensimo octavo ... Aristonem putasse'), l. LXXI (D. 39, 5, 18 'Aristo ait ... et ita Pomponius eum existimare refert ... denique refert Aristonem putare').

Ulpianum Paulumque Aristonis sententias saepissime probare docent quae apud utrumque leguntur, scilicet apud Ulpianum haec: 'eleganter Aristo .. respondit' D. 2, 14, 7, 2. 'Aristo .. scribit ... quod sane verum est' D. 43, 24, 11, 11. 'Pomponius ... ait, Aristonem .. adnotare, haec vera esse. et sunt vera' Vat. 88. 'Aristo scribit ... quae sententia benignior est' D. 7, 8, 14, 1. 'Aristo .. non male adicit' D. 39, 2, 28. apud Paulum haec: 'Aristo ... recte putat' D. 25, 2, 3, 5. 'Aristo a veterum opinione recessit ... idque Iulianus recte probat' D. 35, 2, 1, 9, Aristonis sententiam reprobatam esse Ulpianus semel tradit D. 40, 4, 2 'Aristo ait ... mihi videtur posse dici ... quo iure utimur', item Paulus D. 45, 1, 83, 1: 'Aristo existimavit; sed .. magis est ut.'

Denique, ut alios omittam, Marcianus in Institutionum libris Aristonis sententias attulit (l. VI D. 30, 88 P. 104, l. VII D. 33, 7, 17, 1 P. 123), aliamque ius fecisse videtur tradere ('secundum Aristonis sententiam constat' D. 30, 88).

I. Responsa.

Quibus consulentibus responsa Aristo dederit, nonnunquam in Iustiniani Digestis traditum est: Celso filio (D. 2, 14, 7; 40, 7, 29, 1), Neratio Prisco (D. 20, 3, 3), Cerellio Vitali (D. 8, 5, 8, 5), Neratio Appiano (D. 40, 6, 46), Traiano principi (D. 37, 12, 5). illud praeterea verisimile est ipsum responsa neque collegisse neque edidisse, sed Neratium praecipua quaedam Aristonis responsa Membranarum libris proposuisse (D. 18, 3, 5; 13, 1, 12, 2), quibus Pomponius in variis libris, scilicet ad Sabinum (D. 17, 2, 62; 46, 3, 16), ad Q. Mucium (D. 40, 7, 29, 1),

ex Plautio (D. 23, 2, 40), Digestorum (D. 4, 4, 16, 2), Variarum Lectionum (D. 40, 4, 26) alia addidit.

De senatus decretis.

1. Plin. ep. VIII, 14. — C. Plinius Aristoni suo s. Cum sis peritissimus et privati iuris et publici, cuius pars senatorium est, cupio ex te potissimum audire, erraverim in senatu proxime necne, non ut in praeteritum, serum enim, verum ut in futurum, si quid simile inciderit, erudiar ... peto, primum ut errori, si quis est error, tribuas veniam, deinde medearis scientia tua, cui semper fuit curae sic iura publica ut privata, sic antiqua ut recentia, sic rara ut assidua tractare. adque ego arbitror illis etiam quibus plurimarum rerum agitatio frequens nihil esse ignotum patiebatur genus quaestionis quod adfero ad te aut non satis tritum aut etiam inexpertum fuisse ...

Referebatur de libertis Afrani Dextri consulis[1], incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. hos alius, quis? inquis: ego; sed nihil refert, post quaestionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. quarum sententiarum tanta diversitas erat ut non possent esse nisi singulae ... ego postulabam ut tribus sententiis constaret suus numerus, nec se brevibus indutiis duae iungerent. exigebam ergo ut qui capitali supplicio adficiendos putabant discederent a relegante, nec interim contra absolventis mox dissensuri congregarentur, quia parvolum referret an idem displiceret, quibus non idem placuisset. illud etiam mihi permirum videbatur eum quidem, qui libertos relegandos, servos supplicio adficiendos censuisset, coactum esse dividere sententiam, hunc autem qui libertos morte multaret cum relegante numerari. nam si oportuisset dividi sententiam unius, quia res duas comprehendebat, non reperiebam quem-

1. qui a. 105 videtur diem supremum obiisse.

admodum posset iungi sententia duorum tam diversa censentium. adque adeo permitte mihi sic apud te tamquam ibi, sic peracta re tamquam adhuc integra, rationem iudicii mei reddere, quaeque tunc carptim multis obstrepentibus dixi nunc per otium iungere. fingamus tres omnino iudices in hanc causam datos esse, horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolvi: utrumne sententiae duae collatis viribus novissimam periment? an separatim una quaeque tantundem quantum altera valebit, nec magis poterit cum secunda prima conecti quam secunda cum tertia? igitur in senatu quoque numerari tamquam contrariae debent quae tamquam diversae dicuntur. ... sed quid ego similis docenti? cum discere velim an sententias dividi, an iri in singulas oportuerit. optinui quidem quod postulabam; nihilo minus tamen quaero, an postulare debuerim. quemadmodum optinui? qui ultimum supplicium sumendum esse censebat, nescio an iure, certe aequitate postulationis meae victus, omissa sententia sua accessit releganti; veritus scilicet ne, si dividerentur sententiae, quod alioqui fore videbatur, ea quae absolvendos esse censebat numero praevaleret. etenim longe plures in hac una quam in duabus singulis erant. tum illi quoque qui auctoritate eius trahebantur transeunte illo destituti reliquerunt sententiam ab ipso auctore desertam secutique sunt quasi transfugam quem ducem sequebantur. sic ex tribus sententiis duae factae, tenuitque ex duabus altera tertia expulsa, quae, cum ambas superare non posset, elegit ab utra vinceretur. vale.

Quid Aristo rescripserit, quamquam traditum non est, nihilo minus Plinii epistula ad Aristonis ingenium definiendum attinet.

De bonorum possessione.

2. D. 37, 12, 5. Papinianus libro undecimo Quaestionum (P. 195). — Divus Traianus filium, quem

pater male contra pietatem adficiebat, coegit emancipare. quo postea defuncto pater ut manumissor bonorum possessionem sibi competere dicebat; sed consilio Neratii Prisci et Aristonis ei propter necessitatem solvendae pietatis (potestatis?) denegata est.

De legatis et fideicommissis.

3. D. 33, 2, 22. Ulpianus libro quinto decimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 2035). — 'Patrimonii mei reditum omnibus annis uxori meae dari volo'. Aristo respondit ad heredem uxoris non transire, quia aut usui fructui simile esset aut huic legato 'in annos singulos'.

4. D. 36, 1, 3, 2. Ulpianus libro tertio Fideicommissorum (P. 1873). — .. Pomponius scribit, si deductis legatis restituere quis hereditatem rogatur, quaesitum est, utrum solida legata praestanda sint et quartam ex solo fideicommisso detrahere possit, an vero et ex legatis et ex fideicommisso quartam detrahere possit? et refert Aristonem respondisse ex omnibus detrahendam, hoc est ex legatis et fideicommisso.

5. D. 4, 4, 16, 2. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 406). — Pomponius .. refert libro vicensimo octavo, cum quidam heres rogatus esset fratris filiae complures res dare ea condicione, ut, si sine liberis decessisset, restitueret eas heredi et haec defuncto herede heredi eius cavisset se restituturam, Aristonem putasse in integrum restituendam.

De libertate relicta.

6. D. 40, 4, 46. Pomponius libro septimo ex Variis Lectionibus (P. 825). — Aristo Neratio Appiano[1] re-

1 Mommsen pro 'Appiano' potius 'Prisco' scribendum esse conicit.

scripsit, testamento liber esse iussus, cum annorum triginta esset, antequam ad eam aetatem perveniret si in metallum damnatus sit ac postea revocetur, sine dubitatione cum libertate legatum ad eum pertinere neque metallorum poena ius eius mutari; nec aliud, si heres esset sub condicione institutus; futurum enim eum etiam necessarium.

7. D. 40, 7, 29, 1. Pomponius libro octavo decimo ad Quintum Mucium (P. 275). — Quintus Mucius scribit: pater familias in testamento scripserat 'si Andronicus servus meus heredi meo dederit decem, liber esto'. deinde de his bonis coeperat controversia esse; qui se lege heredem aiebat esse, is eam hereditatem ad se pertinere dicebat, alter, qui hereditatem possidebat, aiebat testamento se heredem esse. *contra*[1] eum sententia dicta erat, qui testamento aiebat se heredem esse. deinde Andronicus quaerebat, si ipsi viginti dedisset, quoniam secundum eum sententia dicta est, futurusne esset liber an nihil videatur sententia, qua vicit, ad eam rem valere? ⟨respondit valere.⟩ quapropter si viginti heredi scripto dedisset et res contra possessorem iudicata esset, illum in servitute fore. Labeo hoc, quod Quintus Mucius scribit, ita putat verum esse, si re vera lege ab intestato heres fuit is qui vicit; nam si iniuria iudicis victus esset scriptus verus heres ex testamento, nihilo minus eum paruisse condicioni ei dando et liberum fore. sed verissimum est, quod et Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam heredi ab intestato, secundum quem sententia dicta est, quoniam lex duodecim tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videretur; non interesse, quo genere quisque dominus eius fieret et ideo hunc quoque ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est, et liberum futurum eum, qui ei dedisset pecuniam. hunc autem, id est possessorem hereditatis,

1 *Fl.* secundum.

cui data esset summa, si victus esset hereditatis petitione, cum ceteris hanc quoque pecuniam victori restituere debere.

De manumissione.

8. D. 40, 9, 16, 3. Idem (sc. Paulus) libro tertio ad legem Aeliam Sentiam (P. 918). — Aristo respondit a debitore fisci, qui solvendo non erat, manumissum [ita] revocari in servitutem debere [si non diu in libertate fuisset, id est non minus decennio; plane ea, quae in fraudem fisci in sinus eius collata sunt, revocanda].

Traianum de iure fisci edictum proposuisse traditum est fr. de iure fisci § 6. atque lege Aelia Sentia cautum erat, ut qui in fraudem creditorum servos manumitteret, nihil ageret (Gai. 1, 37), quod ius cum usque ad illam aetatem ad cives tantum pertinuisset, ex Hadriani auctoritate ad peregrinos quoque extendendum senatus censuit (Gai. 1, 47). sed iam Traiani aetate de libertatibus a fisci debitore in fraudem fisci datis tractatum esse apparet. certe Aristonem de hac re consultum fuisse Paulus l. l. tradit, sed quae eum de Aristonis responso tradidisse Tribonianus ait, maximam dubitationem movent. atque Pernice II[2] p. 369 quidem verba 'id est non minus decennio' subditicia esse iudicat. sed longius progrediendum pluraque segreganda esse censeo. nam verba 'in sinus eius collata' Scaevolam quidem sapiunt (D. 22, 3, 27) et Ulpianum (D. 48, 8, 2) et Tribonianum (C. 1, 17, 2, 1), non sapiunt illius aetatis iurisconsultos. accedit, quod qui servum manumittit, nihil in sinus suos confert. genuinum Aristonis responsum fortasse exhibet fragmentum de iure fisci § 19: 'a debitore fisci in fraudem datas libertates retrahi placuit.' quae sententia quod senatus consulto illo ex Hadriani auctoritate facto in librum de iure fisci recepta est, inde elucet, an senatus consultum an ad eam quoque de qua agitur rem pertineret, quosdam prudentes dubitasse.

Qui Aristonem consuluit, cum fisci advocatus demum ab Hadriano institutus sit (vita Hadriani § 20), videtur vel procurator Caesaris esse, cui 'rationes' mandatae erant, vel praetor fiscalis a Nerva constitutus, cui 'inter fiscum et privatos' ius dicendum fuisse Pomponius D. 1, 2, 2, 32 refert. cf. Hirschfeld VG. p. 31, 49.

De emptione venditione.

9. D. 18, 3, 5. Neratius libro quinto Membranarum. — Lege fundo vendito dicta, ut, si intra certum tempus pretium solutum non sit, res inempta sit, de fructibus, quos interim emptor percepisset, hoc agi intellegendum est, ut emptor interim eos sibi suo quosque iure perciperet; sed si fundus revenisset, Aristo existimabat venditori de his iudicium in emptorem dandum esse, quia nihil penes eum residere oporteret ex re, in qua fidem fefellisset.

cf. Pernice II[2] p. 187.

10. D. 2, 14, 7 pr. § 1. 2. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 242). — Iuris gentium conventiones quaedam actiones pariunt, quaedam exceptiones. quae pariunt actiones, in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus, ut emptio venditio, locatio conductio, societas, commodatum, depositum et ceteri similes contractus. sed et si in alium contractum res non transeat, subsit tamen causa, .. Aristo Celso respondit esse obligationem. ut puta dedi tibi rem ut mihi aliam dares, dedi ut aliquid facias; hoc συνάλλαγμα esse et hinc nasci civilem obligationem.

Sequuntur haec: 'et ideo puto recte Iulianum a Mauriciano reprehensum in hoc: dedi tibi Stichum ut Pamphilum manumittas; manumisisti; evictus est Stichus. Iulianus scribit in factum actionem a praetore dandam; ille ait civilem incerti actionem, id est praescriptis verbis

sufficere; esse enim contractum, quod Aristo συνάλλαγμα dicit, unde haec nascitur actio'.

De societate.

11. D. 17, 2, 62. Pomponius libro tertio decimo ad Sabinum (P. 586). — Si Titius cum quo mihi societas erat decesserit egoque cum putarem Titii hereditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res vendiderim et partem pecuniae ex venditione redactae ego, partem Seius abstulerit, te, qui re vera Titio heres es, partem ad me redactae pecuniae societatis iudicio non consecuturum Neratio et Aristoni placebat, quia meae dumtaxat partis pretia percepissem, neque interesset, utrum per se partes meas vendidissem an communiter cum eo, qui reliquas partes ad se pertinere diceret. alioquin eventurum, ut etiam, si duo socii rem vendiderint, unusquisque ⟨eius⟩ quod ad se pervenerit partem alteri societatis iudicio praestare debeat. sed nec te ex parte, quam hereditatis petitione forte a Seio consecuturus sis, quicquam mihi praestare debere, quia quod ad Seium pervenerit, tuarum partium pretium sit nec ad me habentem meum quicquam ex eo redire debeat.

De nuptiis.

12. D. 23, 2, 40. Pomponius libro quarto ex Plautio (P. 340). — Aristo respondit privignae filiam non magis uxorem duci posse quam ipsam privignam.

De condictione.

13. D. 13, 1, 12, 2. Ulpianus libro trigensimo octavo ad edictum (P. 1058[b]). — Neratius libris Membranarum Aristonem existimasse refert eum, cui pignori res data sit, incerti condictione acturum, si ea subrepta est.

cf. Pfluеger Z. d. Sav.-St. XVIII p. 112.

De iure vicinorum.

14. D. 8, 5, 8, 5. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 601). — Aristo Cerellio Vitali respondit non putare se ex taberna casiaria fumum in superiora aedificia iure immitti posse, nisi ei rei ⟨serviunt; nam⟩ servitutem talem admittit. idemque ait: *et ex superiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet; in suo enim alii hactenus facere licet, quatenus nihil in alienum immittat,* fumi autem sicut aquae esse immissionem. posse igitur superiorem cum inferiore agere ius illi non esse id ita facere. Alfenum denique scribere ait posse ita agi: ius illi non esse in suo lapidem caedere, ut in meum fundum fragmenta cadant. dicit igitur Aristo eum, qui tabernam casiariam a Minturnensibus conduxit, a superiore prohiberi posse fumum immittere, sed Minturnenses ei ex conducto teneri; agique sic posse dicit cum eo, qui eum fumum immittat, ius ei non esse fumum immittere. ergo per contrarium agi poterit ius esse fumum immittere, quod et ipsum videtur Aristo probare.

cf. D. 8, 5, 8, 6 Ulp. l. XVII ad ed. 'Apud Pomponium dubitatur libro quadragensimo primo Lectionum, an quis possit ita agere: licere fumum non gravem, puta ex foco, in suo facere aut non licere. et ait magis non posse agi . . .'

De pigneraticia actione.

15. D. 20, 3, 3. Paulus libro tertio Quaestionum (P. 1307). — Aristo Neratio Prisco scripsit: *etiamsi ita contractum sit, ut antecedens dimitteretur, non aliter ⟨alter⟩ in ius pignoris succedet, nisi convenerit, ut sibi eadem res esset obligata. neque enim in ius primi succedere debet, qui ipse nihil convenit de pignore; quo casu emptoris causa melior efficietur.*

II. Decreta Front<on>iana.

Triboniano teste Pomponius in libro primo senatusconsultorum D. 29, 2, 99 haec scripsit: ‘Aristo in decretis Frontianis ita refert’. quibus cum decretis Pauli liber Decretorum (P. 56—80) videtur comparandus, praeterquam quod hoc opere imperatoris, illo consulis cuiusdam, id quod Pomponii liber senatus consultorum aperte indicat, decreta proponebantur. Karlowa I p. 700. Atei quoque Capitonis consulis decreti memoriam in iuris consultorum libris extare supra II p. 267 vidimus. Aristo igitur consulis cuiusdam decreta memorabilia, scilicet ex senatus sententia facta, videtur edidisse, quocum convenit quod eundem Aristonem ‘de senatus decretis’ consultum esse supra p. 365 vidimus.

Iam quaeritur, quis ille consul fuerit. Mommsen Z. f. RG. VII 476 n. 3 ait: ‘vielleicht ist zu lesen decreta Frontiniana und zu denken an den als Staatsmann und Schriftsteller gleich ausgezeichneten Sex. Iul. Frontinus, Konsul zum ersten Mal unter Domitian, zum zweiten Male im J. 97, zum dritten Mal im J. 100’. Karlowa l. c. fortasse, id quod magis placet, de Cornelio Frontone, consule anni 100, agi conicit. cf. Lenel P. I col. 59 n. 1.

D. 29, 2, 99. Pomponius libro primo senatus consultorum (P. 806). — Aristo in decretis Front<on>ianis ita refert: cum duae filiae patri necessariae heredes exstitissent, altera se paterna abstinuerat hereditate, altera bona paterna vindicare totumque onus suscipere parata erat. sanctum Cassium praetorem causa cognita actiones hereditarias utiles daturum recte pollicitum ei, quae ad hereditatem patris accesserat denegaturumque ei, quae se abstinuerat.

De Cassio praetore v. supra p. 27. decretum de quo sermo est, ad senatus consultum Velleianum pertinere Lenel P. II col. 149 n. 1 recte conicit: ‘animadvertas de filiabus agi, non de filiis’.

III. Digestorum libri.

In Iustiniani Digestis D. 24, 3, 44pr. haec leguntur: 'Paulus libro quinto Quaestionum. . . . Nerva et Cato responderunt, ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto. ibidem Aristoni consentit'. quibus de verbis interpretandis, utrum de Aristonis an de Pomponii Digestis sermo fiat eximie dubitatur. atque Mommsen Z. f. RG. VII p. 477 Pomponii opus, quo Aristonis sententias contulerit, designari existimat consentientibus Kruegero Z. d. Sav.-St. VII p. 94; Gesch. p. 164 et Karlowa I p. 670. 700. alii viri docti non Pomponium, sed Aristonem Digesta edidisse Pauli verbis significari iudicant, inprimis H. Pernice Misc. p. 35: 'Digesta ab Aristone ... kann ... sprachlich nur bedeuten Digesten, welche Aristo geschrieben hat ...' cui assentitur Lenel P. col. 61 n. 1. mihi vero verba, quae mire distorta Paulo attribuuntur, potius a Triboniano videntur ita confecta esse, ut quae Paulus de Nervae Aristonis Pomponii sententiis rettulerat, ea pessime in breve coegerit. quid Pauli verba re vera sibi velint explorari non potest; illud unum dicendum est, fieri posse, ut Paulus Digestorum libros ab Aristone confectos iterum a Pomponio editos esse tradiderit. quod Lenel, qui apud Aristonem notat: 'Pomponius . . Digesta illa, epitomata forsitan, denuo videtur edidisse', apud Pomponium autem (II col. 79) haec tantum profert: 'Notae ad Aristonis Digesta', librum illum quintum a Paulo allatum Aristonis Digestis attribuit, probari nequit. Pomponius enim 'ibidem' Aristoni consentire dicitur, quod ad verba 'libro quinto' non potest non pertinere.

In Digestorum libris Aristonem et priorum responsa sententiasque rettulisse, ex. gr. Cassii (D. 17, 2, 29, 2 'Aristo refert Cassium respondisse'), notis plerumque adiectis (D. 7, 1, 7, 3 'Cassius . . scribit . . et Aristo notat'. D. 39, 2, 28 'Cassius scribit ... Aristo autem ... adicit'. D. 7, 1, 17, 1 'Aristo apud Cassium notat'. D. 7, 8, 6

'Aristo notat apud Sabinum'. D. 28, 5, 17, 5 'Labeo ... scripsit nec Aristo .. notant'. D. 33, 9, 3, 1 'Aristo notat') et propria responsa sententiasque addidisse satis apparet (D. 7, 8, 14, 1; 12, 1, 9, 8; 19, 5, 14, 3; 25, 1, 11 pr.; 25, 4, 1, 13; 28, 8, 5 pr.; 33, 9, 3, 11; 43, 24, 11, 11 'Aristo scribit'. D. 38, 1, 4; 46, 3, 16 'Aristo ... scripsit'. D. 26, 7, 61 'apud Aristonem scriptum est'); nam quae ita scripsisse traditur, inprimis eum in Digestorum libris protulisse oportet.

Fragmenta ita disposui, ut ea quae ad ius civile pertinent, iis quae spectant ad ius honorarium praemitterem.

1. De iure civili.

Fragmenta ordinem Sabinianum secutus propono.

De testamentis.

De heredibus instituendis.

1. D. 28, 5, 19. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2489). — Ex facto .. agitatum Pomponius et Arrianus referunt, si quis vacua parte relicta ita instituerit: 'si mihi Seius heres non erit', quem non instituerat, 'Sempronius heres esto', an hic occupare possit vacantem portionem. et Pegasus quidem existimat ad eam partem admitti. Aristo contra putat, quia huic pars esset data, quae nulla esset.

2. D. 28, 5, 17, 5. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2488). — Quod si quis dupundium distribuit et tertium sine parte instituit, hic in alium assem, *scilicet*[1] in trientem venit, ut Labeo libro quarto Posteriorum scripsit, nec Aristo vel Aulus (Iavolenus?), utpote probabile, notant.

3. D. 25, 4, 1, 13. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum (P. 985). — ... si servus heres institutus fuerit, si nemo natus sit, Aristo scribit huic quoque

1 *Fl.* hic non in alium assem, sed.

servo quamvis non omnia, quaedam tamen circa partum custodiendum arbitrio praetoris esse concedenda.

Servum ab eo institutum fortasse Aristo spectat, qui facultates suas suspectas habet (Gai. 2, 154), de quo Sabinum quoque dixisse vidimus (II 1 p. 352). agitur autem de senatusconsulti Planciani, Vespasiani, ut videtur, aetate facti praeceptis (D. 25, 3, 1 et 3, 2).

Ulpianus addit: 'quam sententiam puto veram; publice enim interest partus non subici ... ideoque etiam servus iste, cum sit in spe constitutus successionis, qualisqualis sit, debet audiri rem et publicam et suam gerens'.

De legatis.

De codicillis.

4. D. 29, 7, 9. Marcellus libro nono Digestorum (P. 118). — Aristo negavit valere codicillos ab eo factos, qui pater familias nec ne esset, ignorasset.

Sequuntur haec: 'Ulpianus notat: nisi veteranus fuit; tunc enim et testamentum valebit.'

De usufructu legato.

5[a]. Vat. fr. § 88 (Ulp. l. XVII ad Sab. P. 2570). — Iulianus subicit Sextum quoque Pomponium *re*ferre, si per damnationem usus fructus ⟨cum⟩ liberis uxori legetur, singulare hoc esse atque ideo fili personam matri ⟨accedere, ne sine liberis ad usum fructum mater⟩ accederet, nec esse legatarios, sed matre mortua liberos quasi heredes usum fructum habituros. ego, inquit Pomponius, quaero, quid si mixti fuerint liberis extranei heredes? ⟨et⟩ ait filios pro legatariis habendos et mortui partem interituram, Aristonem autem adnotare haec vera esse.

5[b]. D. 7, 2, 8. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — Si mulieri cum liberis suis usus fructus legetur, amissis liberis ea usum fructum habet; sed et

matre mortua liberi eius nihilo minus usum fructum habent iure adcrescendi; nam et Iulianus libro trigensimo ⟨quinto⟩ Digestorum ait idem intellegendum in eo qui solos liberos heredes scripserit, licet non ut legatarios eos nominaverit, sed ut ostenderet magis velle se matrem ita frui, ut liberos secum habeat fruentes. sed et Pomponius quaerit: quid si mixti fuerint liberi et extranei heredes? et ait filios legatarios esse intellegendos et per contrarium, si voluit eos liberos simul cum mater frui, debere dici matrem legatariam esse intellegendam et per omnia similem esse et in hoc casu iuris eventum.

6ª. Vat. fr. § 83 (Ulp. l. XVII ad Sab. P. 2566). — Non solum .. si duobus do lego usus fructus legetur, erit ius adcrescendi, verum ⟨et⟩ si alteri usus fructus, alteri proprietas; nam amittente usum fructum altero, cui erat legatus, magis iure adcrescendi ad alterum pertinet quam redit ad proprietatem. nec novum; nam et si duobus usus fructus legetur et apud alterum sit consolidatus, ius adcrescendi non perit ne*que*[1] ei, apud quem consolidatus est, neque ab eo, et ipse, quibus modis amitteret ante consolidationem, iisdem et nunc ipso quidem iure non amittet, sed praetor secutus exemplum iuris civilis utilem actionem dabit fructuario. et ita ⟨et⟩ Neratio et Aristoni videtur ...

6ᵇ. D. 7, 2, 3, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — Non solum .. si duobus usus fructus legetur, est ius adcrescendi, verum et si alteri usus fructus, alteri fundus legatus est, nam *et reliqua sicut supra usque ad finem:* isdem et nunc amittet; et ita et Neratio et Aristoni videtur ...

7. D. 7, 8, 14, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2581). — .. si usu fructu legato usus adimatur, Aristo scribit nullam esse ademptionem.

8. D. 7, 1, 7, 3. Ulpianus libro septimo decimo

1 *Cod.* nec.

ad Sabinum (P. 2558). — Cassius .. scribit libro octavo iuris civilis fructuarium per arbitrum cogi reficere, quemadmodum adserere cogitur arbores, et Aristo notat haec vera esse.

9. D. 7, 1, 17, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2585). — Ex eo, ne deteriorem condicionem fructuarii faciat proprietarius, solet quaeri, an servum dominus coercere possit. et Aristo apud Cassium notat plenissimam eum coercitionem habere, si modo sine dolo malo faciat, quamvis usufructuarius nec contrariis quidem ministeriis aut inusitatis artificium eius corrumpere possit nec servum cicatricibus deformare.

De habitatione legata.

10. D. 7, 8, 6. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575°). — Non solum autem cum marito, sed et cum liberis libertisque habitare et cum parentibus poterit (sc. mulier, cui usus relictus est), et ita et Aristo notat apud Sabinum.

De penu legata.

11. D. 33, 9, 3 pr. § 1. 2. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — Qui penum legat quid legato complectatur, videamus. et Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis penu legata contineri, quae esui potuique sunt. idem Sabinus libris ad Vitellium scribit. ... sed Aristo notat etiam quae esui potuique non sunt contineri legato, ut puta ea, in quibus esse solemus, oleum forte, garum muriam mel ceteraque his similia. *plane*, inquit, *si penus esculenta legetur, Labeo libro nono Posteriorum scribit nihil eorum cedere, quia non haec esse, sed per ea solemus.* Trebatius in melle contra scribit, merito, quia mel esse solemus. sed Proculus omnia haec contineri recte scribit, nisi contraria mens testatoris appareat.

12. D. ibid. § 11. — Vasa quoque penuaria quin contineantur, nulla dubitatio est. Aristo autem scribit dolia non contineri.

De veste legata.

13. D. 34, 2, 25, 1. Ulpianus libro quadragensimo quarto ad Sabinum (P. 2913[b]). — Aristo etiam coactilia vesti cedere ait et tegimenta supselliorum huic legato cedere.

De ancillis legatis.

14. D. 30, 45 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 498). — Si a substituto pupilli ancillas tibi legassem easque tu a pupillo emisses et antequam scires tibi legatas esse alienaveris, utile legatum esse Neratius et Aristo et Ofilius probant.

De instrumento piscatorio legato.

15. D. 33, 7, 17, 1. Marcianus libro septimo Institutionum (P. 123). — Instrumento piscatorio contineri Aristo ait naucellas, quae piscium capiendorum causa comparatae sunt.

De legato debiti.

16. D. 30, 28 pr. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597). — Si creditori meo, tutus adversus eum exceptione, id quod ei debeo legem, utile legatum est, quia remissa ⟨ei⟩ exceptio videtur, sicut Aristo ait id quod honoraria actione mihi debetur si legetur mihi, legatum valere, quia civilis mihi datur actio pro honoraria.

De legati petitione.

17. D. 30, 88. Marcianus libro sexto Institutionum (P. 104). — .. si non alias voluit pater habere eum (sc. filium, cui heredi pro parte instituto legatum quoque reliquit) legatum, nisi hereditatem retineat, tunc neque adversus coheredem dandam ei legati peti-

tionem secundum Aristonis sententiam constat, cum ipsi filio non videretur esse solvendo hereditas.

Quae sequuntur: 'et hoc ita est, licet non condicionaliter expressisset, intellexisse tamen manifestissime adprobetur', non Marciani, sed Triboniani habenda sunt. cf. Gradenwitz, Z. d. Sav.-St. VII, 82 sq. Pernice III, 10 n. 3.

18. D. 30, 14 pr. Ulpianus libro quinto decimo ad Sabinum (P. 2532). — Si ita sit adscriptum 'si cui legavero bis, semel heres ei dato' vel 'ut semel debeatur', et eidem duas quantitates adscripserit vel duos fundos, an utrumque debeatur? et ait Aristo unum videri legatum.

Sequuntur haec: 'nam quod ademptum est, nec datum videri secundum Celsi et Marcelli sententiam, quae vera est'. pro 'videri' cum Lenelio 'videtur' legere non opus est, cum extremis verbis oratio obliqua, quae vocatur, contineatur, qua Celsi et Marcelli sententiam ab Ulpiano traditam induisse Tribonianus videtur satis habuisse.

Ad legem Falcidiam.

19. D. 35, 2, 1, 9. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam (P. 921[c]). — Si usus fructus legatus sit, qui et dividi potest, non, sicut ceterae servitutes individuae sunt, ⟨individuus est⟩, veteres quidem aestimandum totum usum fructum putabant et ita constituendum, quantum sit in legato. sed Aristo a veterum opinione recessit; ait enim posse quartam partem ex eo sic ut ex corporibus retineri.

De cautione Muciana.

20. D. 35, 1, 7 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2595). — Mucianae cautionis utilitas consistit in condicionibus quae in non faciendo sunt conceptae, ut puta 'si Capitolium non ascenderit', 'si Stichum non manumiserit' et in similibus, et ita Aristoni . . . visum est.

Ulpiani verba plena haec sunt: 'Aristoni et Neratio et Iuliano visum est. quae sententia et constitutione divi Pii comprobata est'.

De fideicommissis.

21. D. 32, 95. Maecianus libro secundo Fideicommissorum (P. 12). — 'Quisquis mihi heres erit, damnas esto dare fideique eius committo, uti det, quantas summas dictavero dedero'. Aristo res quoque corporales contineri ait, ut praedia mancipia vestem argentum, quia et hoc verbum 'quantas' non ad numeratam dumtaxat pecuniam referri ex dotis relegatione et stipulationibus emptae hereditatis apparet et 'summae' appellatio similiter accipi deberet, ut in his argumentis quae relata essent ostenditur. voluntatem praeterea defuncti, quae maxime in fideicommissis valeret, ei sententiae suffragari; neque enim post eam praefationem adiecturum testatorem fuisse res corporales, si dumtaxat pecuniam numeratam praestari voluisset.

22. D. 36, 1, 74. Pomponius libro quarto Fideicommissorum (P. 218). — Heres praecepto fundo rogatus erat hereditatem restituere. fundus alienus erat. Aristo aiebat videndum, utrum omnimodo penes heredem fundum esse voluit testator an ita demum, si ipsius est; sed sibi superius placere.

Sequuntur Pomponii verba: 'ideoque aestimatio eius retinenda est'.

23. D. 36, 1, 20, 1. Paulus libro tertio ad Sabinum (P. 1638°). — 'Te rogo, Luci Titi, hereditatem meam cum Attio partiaris'. ex senatus consulto Trebelliano in eum, cui restituta est hereditas, actiones competere Aristo ait, quia pro hoc accipiendum sit 'rogo hereditatem illam restituas'.

Sequuntur haec: 'nec verba spectantur senatus consulti, sed sententia quibuscumque verbis, dum testator senserit, ut hereditas sua restituatur'. pro 'senatus consulti' Faber 'fideicommissi' legendum censet. at totum

comma neque Aristonis neque Pauli esse iudico, sed Triboniani de Trebelliano senatus consulto nova quaedam statuentis. Inst. 2, 23, 7.

Cf. Gai. 2, 254 sq. 'per quod senatusconsultum (sc. Pegasianum) ipse <heres> onera hereditaria sustinet, ille autem qui ex fideicommisso reliquam partem hereditatis recipit, legatarii partiarii loco est, id est eius legatarii cui pars bonorum legatur ... in utrumque actiones hereditariae pro rata parte dantur, in heredem quidem iure civili, in eum vero qui recipit hereditatem, ex senatusconsulto Trebelliano'.

24. D. 36, 1, 22. Pomponius libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 695). — Heres cum debuerat quartam retinere, totam hereditatem restituit nec cavit sibi stipulatione proposita. similem eum esse Aristo ait illis, qui retentiones, quas solas habent, omittunt; sed posse eum rerum hereditariarum possessionem vel repetere vel nancisci et adversus agentem doli mali exceptione uti; posse eum et debitoribus denuntiare, ne solveretur.

De libertate relicta.

25. D. 40, 4, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto ad Sabinum (P. 2464[c]). — Si quis ita heredem instituerit 'Titius heres esto. si Titius heres non erit, Stichus heres esto; Stichus liber esto', non esse Stichum liberum Aristo ait Titio herede existente.

26. D. 28, 5, 9, 14. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2464). — Si quis ita scripserit 'Stichus liber esto et, posteaquam liber erit, heres esto', Labeo, Neratius et Aristo opinantur detracto verbo medio 'postea' simul ei et libertatem et hereditatem competere.

27. D. 40, 5, 20. Pomponius libro septimo Epistularum (P. 190). — Apud Iulianum ita scriptum est: 'si heres rogatus servum manumittere ex Trebelliano senatus consulto hereditatem restituerit, cogi debebit

anumittere ...' ... Aristo et Octavenus putabant unc servum, de quo quaereretur, fideicommissae hereditatis non esse, quia testator rogando heredem, ut m manumitteret, non videtur de eo restituendo nsisse.

De statuliberis.

28. D. 40, 7, 5 pr. Pomponius libro octavo ad ıbinum (P. 524). — Statuliber rationem reddere iuss reliquum quod apparet solvit, de eo, quod obscuıs est, satisdare paratus est. Neratius et Aristo .. ıtant liberum fore, ne multi ad libertatem pervenire ın possint incerta causa rationis et genere negotii ıiusmodi.

29. D. 40, 7, 11. Pomponius libro quarto decimo l Sabinum (P. 597). — Si heres pecuniam donasset atulibero, ut sibi eam daret et liber esset, non fieri ıerum Aristo ait; sed si in plenum ei donasset, fieri ıerum.

De operis libertorum.

30. D. 38, 1, 4. Idem (sc. Pomponius) libro quarto . Sabinum (P. 432). — A duobus manumissus utrile operas promiserat. altero ex his mortuo nihil est, ıare non filio eius, quamvis superstite altero, operam detur petitio. nec hoc quicquam commune habet .m hereditate aut bonorum possessione; perinde enim ıerae a libertis ac pecunia credita petitur. haec ita risto scripsit.

Pomponius addit: 'cuius sententiam puto veram; nam ıam praeteritarum operarum actionem dari heredi exıneo sine metu exceptionis placet. dabitur igitur et ro altero patrono.'

De emptione venditione.

31. D. 2, 14, 58. Neratius libro tertio Membraırum. — Ab emptione venditione, locatione conıctione ceterisque similibus obligationibus quin in-

tegris omnibus consensu eorum, qui inter se obligati sint, recedi possit, dubium non est. Aristoni hoc amplius videbatur, si ea, quae me ex empto praestare tibi oporteret, praestitissem et cum tu mihi pretium deberes, convenisset mihi tecum, ut rursus praestitis mihi a te in re vendita omnibus, quae ego tibi praestitissem, pretium mihi non dares tuque mihi ea praestitisses, pretium te debere desinere, quia bonae fidei, ad quam omnia haec rediguntur, interpretatio hanc quoque conventionem admittit. nec quicquam interest, utrum integris omnibus, in quae obligati essemus, conveniret, ut ab eo negotio discederetur, an in integrum restitutis his, quae ego tibi praestitissem, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine praestares.

cf. D. 2, 14, 7, 6. Ulpianus libro quarto ad edictum, 'wo trotz allem doch wohl exceptiones beizubehalten ist, vielleicht nach Aristo'. Pernice II² p. 187 n. 3.

32. D. 18, 5, 1. Pomponius libro quinto decimo ad Sabinum (P. 615b). — ... Aristo dixit posse (sc. emptione venditione contracta) ita pacisci, ut unus maneat obligatus ...

Pomponii plena verba sunt: 'quod Aristo ... obligatus, non est verum, quia ...'

De societate.

33. D. 17, 2, 29, 2. Ulpianus libro trigensimo ad Sabinum (P. 2742). — Aristo refert Cassium respondisse societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum totum[1], alter damnum sentiret, et hanc societatem leoninam solitum appellare.

De iure dotium.

34. D. 23, 3, 20. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1756). — Iulianus scribit valere talem stipulationem 'cum morieris, dotis nomine tot dari'? quia

1 *Fl.* tantum.

et pacisci soleant, ne a viva ex*ig*atur[1]. quod non esse simile accepi; aliud est enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus stipulari, quo matrimonium futurum non sit. idque et Aristoni et Neratio et Pomponio placet.

35. D. 24, 3, 44 pr. Paulus libro quinto Quaestionum (P. 1333). — Si socer a genero heres institutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre cum herede eius filiam de dote acturam Nerva et Cato responderunt, ut est relatum apud Sextum Pomponium digestorum ab Aristone libro quinto.

Paulus addit: 'ibidem Aristoni consensit'. non de Aristonis, sed de Pomponii libro quinto sermonem esse supra p. 374 exposui.

36. D. 25, 1, 11 pr. Ulpianus libro trigensimo sexto ad Sabinum (P. 2807[d]). — In voluptuariis (sc. impensis) .. Aristo scribit nec si voluntate mulieris factae sunt, *retent*ionem[2] parere.

De rebus amotis.

37. D. 25, 2, 6, 2—5. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1775). — Si post divortium maritus decesserit, heres eius rerum amotarum iudicio uti potest ... sed si morte mariti solutum sit matrimonium, heres mariti hereditatis petitione vel ad exhibendum actione eas (sc. res amotas) consequi poterit. Aristo et condici ei (sc. mulieri) posse .. putat, quia ex iniusta causa apud eam essent.

Fortasse sententia potius ad caput de condictione (infra p. 386) referenda est.

De tutelis.

38. Vat. fr. 197—199 (Ulp. de off. pr. tut.). — An bello amissi a tutela excusare debeant? ... utrum

1 *Fl* exhibeatur.
2 *Trib.* exactionem.

in acie dumtaxat amissus an tempore belli amissus prosit? Aristo in acie amissum dumtaxat.

Ulpianus addit: 'ego puto per tempus belli amissum debere prodesse, ne publica strages patri noceat'. at idem Ulpianus libro vicensimo ad legem Iuliam et Papiam (D. 27, 1, 18) Aristonem sequitur: 'bello amissi ad tutelae excusationem prosunt. quaesitum est autem, qui sunt isti, utrum hi qui in acie sunt interempti, an vero omnes omnino, qui per causam belli parentibus sunt abrepti... melius igitur probabitur eos solos qui in acie amittuntur, prodesse debere...'

39. D. 26, 9, 1. Pomponius libro vicensimo nono ad Sabinum (P. 741). — Ob dolum malum vel culpam tutoris Aristo ait pupillum possessorem condemnandum.

De condictione.

40. D. 12, 1, 9, 8. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 769). — Si nummos meos tuo nomine dedero velut tuos absente te et ignorante, Aristo scribit adquiri tibi condictionem.

Sequuntur haec: 'Iulianus quoque ... scribit veram esse Aristonis sententiam'. reliqua a Triboniano mutata sunt. cf. Pernice III 222 n. 4.

De verborum obligatione.

41. D. 46, 3, 16. Pomponius libro quinto decimo ad Sabinum (P. 609[b]). — Sub condicione debitori si acceptum feratur, postea condicione existente intellegitur iam olim liberatus. et hoc etiam si solutio re fiat, accidere Aristo dicebat. scripsit enim, si quis, qui sub condicione pecuniam promisit, dedit eam ea condicione, ut, si condicio exstitisset, in solutum cederet, existente condicione liberari eum nec obstare, quod ante eius pecunia facta est ⟨cui dedit quam deberetur ei; nam ex postfacto creditorem eum intellegi iam eo tempore, quo pecunia eius facta est⟩.

De in rem actionibus.

42. D. 26, 7, 61. Idem (sc. Pomponius) libro vicensimo Epistularum (P. 210). — Apud Aristonem ita scriptum est: *quod culpa tutoris pupillus ex hereditate desiit possidere, eius aestimatio in petitione hereditatis sine ulla dubitatione fieri debebit ita, si pupillo de hereditate cautum sit.* cautum autem esse videtur etiam si tutor erit idoneus, a quo servari possit id, quod pupillus ex litis aestimatione subierit.

Sequuntur haec: 'sed si tutor solvendo non est, videndum erit, utrum ...'

43. D. 45, 1, 83, 1. Paulus libro septuagensimo secundo ad edictum (P. 798). — Si Stichum stipulatus de alio sentiam, tu de alio, nihil actum erit. quod et in iudiciis Aristo existimavit.

Paulus addit: 'sed hic magis est, ut is petitus videatur, de quo actor sensit'.

De adquirendo rerum dominio.

44. D. 41, 1, 19. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). — Liber homo, qui bona fide mihi servit, [id] quod ex operis suis aut ex re mea pararet, ad me pertinere sine dubio Aristo ait; quod vero quis ei donaverit aut ex negotio gesto adquisierit, ad ipsum pertinere. sed hereditatem legatumve non adquiri mihi per eum, quia neque ex re mea [neque ex operis suis] id sit nec ulla eius opera esset in legato, in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur, quo de[1] et Varium Lucullum aliquando dubitasse, sed verius esse non adquiri, etiamsi testator ad me voluisset pertinere. sed licet ei <cui serviet> minime adquirit, attamen, si voluntas evidens testatoris appareat, restituendam esse ei hereditatem.

1 *Fl.* quod.

De adquirendo rerum dominio.

45. D. 1, 8, 10. Pomponius libro sexto ex Plautio (P. 349). — Aristo ait, sicut id, quod in mare aedificatum sit, fieret privatum, ita quod mari occupatum sit, fieri publicum.

De donationibus.

46. D. 39, 5, 18 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1606). — Aristo ait, cum mixtum sit negotium cum donatione, obligationem non contrahi eo casu, quo donatio est, et ita et Pomponius eum existimare refert.

47. Ibid. § 1. — Denique refert Aristonem putare, si servum tibi *mancipav*ero[1] ad hoc, ut eum post quinquennium manumittas, non posse ante quinquennium ⟨fiduciae⟩ agi, quia donatio aliqua inesse videtur; aliter atque, inquit, si ob hoc tibi *mancipio de*dissem[2], ut continuo manumittas; hic enim nec donationi locum esse et ideo esse obligationem.

48. Ibid. § 2. — Idem Aristo ait, si donationis (fiduciae?) causa in hoc *mancipio de*tur[3] servus, ut post quinquennium manumittatur, sit autem alienus, posse dubitari an usucapiatur, quia aliquid donationis interveniret.

Pernice II[2] 339 n. 1.

2. De iure honorario.

a. Ad edictum aedilium curulium.

De mancipiis vendundis.

49. D. 21, 1, 30, 1. Paulus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 836). — Quas impensas necessario in curandum servum post litem contestatam emptor fecerit, imputabit, praecedentes impensas

1 *Trib.* tradidero.
2 *Trib.* tradidissem.
3 *Trib.* tradatur.

nominatim comprehendendas Pedius; sed cibaria servo data non esse imputanda Aristo ⟨ait⟩, nam nec ab ipso exigi, quod in ministerio eius fuit.

De permutatione.

50. D. 19, 4, 2. Idem (sc. Paulus) libro quinto ad Plautium (P. 1117). — Aristo ait, quoniam permutatio vicina esset emptioni, sanum quoque furtis noxisque solutum et non esse fugitivum servum praestandum, qui ex ⟨ea⟩ causa daretur.

b. Ad edictum praetoris urbani.

De recepto arbitrio.

51. D. 4, 8, 40. Pomponius libro undecimo ex Variis Lectionibus (P. 832). — Arbiter calendis Ianuariis adesse iussit et ante eum diem decessit; alter ex litigatoribus non adfuit. procul dubio poena minime commissa est; nam et Cassium audisse se dicentem Aristo ait in eo arbitro, qui ipse non venisset, non esse commissam, quemadmodum Servius ait, si per stipulatorem stet, quo minus accipiat, non committi poenam.

De deposito.

52. D. 17, 1, 39. Neratius libro septimo Membranarum. — Et Aristoni et Celso patri placuit posse rem hac condicione deponi mandatumque (hac condicione fiduciae causa?) suscipi, ut res periculo eius sit qui depositum vel mandatum (depositi vel mandati causa?) suscepit.

Pernice III 139 n. 2.

De missione in possessionem legatorum servandorum causa.

53. D. 36, 3, 13. Neratius libro septimo Membranarum. — Ei quoque, cui legatorum actio datur in eum, qui praetermissa institutione ab intestato possidet

hereditatem, legatorum satisdatur et, nisi satisdabitur, in possessionem legatorum servandorum causa mittitur; nam haec quoque praetor perinde salva esse vult atque ea quae iure civili debentur. idem Aristoni placet.

De damno infecto.

54. D. 39, 2, 18, 10. Paulus libro quadragensimo octavo ad edictum (P. 625). — .. **si venditor interposuerit stipulationem (sc. damni infecti), etiam id damnum continebit, quod post traditionem emptori contigerit. quod esse iniquissimum Aristo ait, quoniam, si emptor quoque damni infecti stipulatus esset, duobus promissor eiusdem nomine obligaretur [nisi forte id contra se habeat, quia in hoc fit stipulatio, quanti ea res erit, ut possit videri nihil interesse iam venditoris].**

De iure deliberandi.

55. D. 29, 2, 28. Ulpianus libro octavo ad Sabinum (P. 3492). — Aristo existimat praetorem aditum facultatem facere debere heredi rationes defuncti ab eo petere, penes quem depositae sunt, deliberanti de adeunda hereditate.

cf. Gai. 2, 167.

Ne quid in loco publico.

56. D. 43, 8, 2, 7. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1493). — Si quis quod in publico loco positum habuit, reficere voluit, hoc interdicto (sc. ne quid in loco publico fiat) locum esse Aristo ait ad prohibendum eum reficere.

De loco religioso.

57. D. 11, 7, 2 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo quinto ad edictum (P. 724). — Locum ⟨fundi Italici?⟩ in quo servus ⟨civis Romani⟩ sepultus est religiosum esse Aristo ait.

Sermo est neque de mancipio in provinciali solo sepulto (Gai. 2, 7 'in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri') neque de provincialis hominis servo, quippe iuris Quiritium non participe, sed de servo civis Romani. Pernice I p. 114 ait: 'Dieser Satz (scilicet quod Aristo proposuit) ist nur eine praktische Folgerung aus dem alten Sacralrechte, was manes serviles anerkannte und feiern liefs'. at quamquam apud Varronem de LL. 6, 24 loco satis depravato haec leguntur: 'hoc sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulcrum Accae, ut quod ibi; prope faciunt diis Manibus servilibus sacerdotes', tamen locum in quo servus sepultus erat, ante Aristonem religiosum habitum non esse Ulpiani verbis videtur probari. neque Aristonis sententiam continuo omnibus placuisse licet statuere; potius notas ab Ulpiano relatas Tribonianus demum videtur abiecisse. ceterum de loco religioso illa fere aetate disputatum esse idem Ulpianus D. 11, 7, 2, 5 probat, qui haec refert: 'Celsus ... ait: non totus qui sepulturae destinatus est locus religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est'. de servorum sepulcris v. Pernice: Sitz.-Ber. der Berl. Akademie 1886 p. 1179 et Mommsen Z. d. Sav.-St. XVI p. 217.

De aqua.

58. D. 43, 20, 1, 19. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1570). — Aristo putat eum demum interdictum hoc (sc. de aqua cottidiana) habere, qui se putat suo iure uti, non eum, qui scit se nullum ius habere et utitur.

59. Ibid. § 20. — Idem ait eum, qui hoc anno aquam duxerit nec vi nec clam nec precario et eodem anno vitiose usus est, recte tamen hoc interdicto usurum, quod referri ad id tempus, quod sine vitio fuerit; esse enim verum hoc anno non vi non clam non precario usum.

De rivis.

60. D. 43, 21, 3, 6. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1584). — Aristo et de cuniculo restituendo, per quem vapor trahitur, in balneariis vaporibus putat utilem actionem competere; et erit dicendum utile interdictum (sc. de rivis) ex hac causa competere.

cf. D. 8, 5, 8, 7. Ulpianus l. XVII ad ed. Idem (sc. Pomponius) ... et in balineis (*potius* balneariis) .. vaporibus cum Quintilla cuniculum pergentem in Ursi Iuli instruxisset, placuit potuisse tales servitutes imponi.

Quod vi aut clam.

61. D. 43, 24, 1, 8. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592). — ... Aristo ait eum quoque vi facere, qui, cum sciret se prohibitum iri, per vim molitus est, ne prohiberi possit.

62? D. 43, 24, 3, 7. 8; 43, 24, 5 pr. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592b). — Clam facere videri Cassius scribit eum, qui celavit adversarium neque ei denuntiavit, si modo timuit eius controversiam aut debuit timere. idem (item?) Aristo putat eum quoque clam facere, qui celandi animo *cav*et[1] eum, quem prohibiturum se intellexerit et id existimat aut existimare debet se prohibitum iri. | aut qui aliter fecit, quam denuntiavit, vel qui decepto facit eo, ad quem pertinuit non fieri[2], vel consulto tum denuntiat adversario, cum eum scit non posse prohibere, vel tam sero pronuntiat, ut venire prohibiturus, prius quam fiat, non possit. et haec ita Labeonem probare Aristo ait.

63. D. 43, 24, 11, 11. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1597). — Aristo .. scribit non ⟨omnimodo⟩ possessori esse denuntiandum;

1 *Fl.* habet.
2 *Fl.* facere.

nam si quis, inquit, fundum mihi vendiderit et necdum tradiderit et vicinus, cum opus facere vellet et sciret me emisse et in fundo morari, mihi denuntiaverit, esse eum tutum futurum, quod ad suspicionem clam facti operis pertineret.

De damno infecto.

64. D. 39, 2, 28. Ulpianus libro octogensimo primo ad edictum (P. 1755). — In hac stipulatione venit, quanti ea res erit. et ideo Cassius scribit eum, qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinae ea aedificia, quorum nomine sibi cavit, fulsit, impensas eius rei ex stipulatu consequi posse. idemque iuris esse, cum propter vitium communis parietis qui cavit sibi damni infecti, onerum eorum relevandorum gratia, quae in parietem incumbunt, aedificia sua fulsit. in eadem causa est detrimentum quoque propter emigrationem inquilinorum, quod ex iusto metu factum est. Aristo autem ... adicit, sicuti hic exigit Cassius, ut si ⟨iis⟩ iustus metus migrandi causam praebuerit, ita in eius personam qui fulsit eadem Cassium *a*dicere[1] debuisse, si iusto metu ruinae fulcire coactus est.

IV. ... liber.

Liber Aristonis, quem Gellius (v. infra) significat, similiter atque Sabini liber de furtis quem supra idem Gellius laudat, proprium opusculum videtur fuisse, quamvis titulus non addatur. Mommseni coniecturam p. 475 suspicantis Gellium Aristonis notas ad Sabinum respicere, Krueger p. 164 n. 151 vix probandam iudicat.

Gell. 11, 18, 16. — .. memini legere me in libro Aristonis iureconsulti, hautquaquam indocti viri, apud veteres Aegyptios, quod genus hominum constat et in artibus reperiendis sollertes extitisse et in cognitione rerum indaganda sagaces, furta omnia fuisse licita et inpunita.

1 *Fl.* dicere.

V. Incertae omnino sedis fragmenta.

De iure deliberandi.

1. D. 28, 8, 5 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro septuagensimo ad edictum (P. 1397). — Aristo scribit non solum creditoribus, sed et heredi instituto praetorem subvenire debere hisque copiam instrumentorum inspiciendorum facere, ut perinde instruere se possint, expediet nec ne agnoscere hereditatem.

De in factum actione.

2. D. 19, 5, 16, 1. Pomponius libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 702). — Permisisti mihi, ut sererem in fundo tuo et fructus tollerem. sevi nec pateris me fructus tollere. nullam iuris civilis actionem esse Aristo ait; an in factum dari debeat, deliberari posse.

Pomponius addit: 'sed erit de dolo'.

De glande aliena depasta.

3. D. 19, 5, 14, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2867). — Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim; nam neque ex lege duodecim tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie neque [de] damni iniuriae agi posse. [in factum itaque erit agendum.]

Extrema verba Ulpiani, non Aristonis videntur esse.

---

6. IAVOLENUS PRISCUS

vel pleno nomine C. (potius L.) Octavius Titius Tossianus Iavolenus Priscus, natus ante a. 60, origine fortasse Nedinensis (Hirchfeld ad CIL III, 2864), legatus

egionis quartae Flaviae (i. e. in Moesia), legatus legionis ertiae Augustae (i. e. in Africa), legatus Augusti pr. pr. exercitus Africani) a. 83, iuridicus provinciae Britanniae, onsul suff. anni incerti, paullo post a. 83 puto, legatus onsularis provinciae Germaniae superioris a. 90, legatus onsularis Syriae, proconsul provinciae Africae, pontifex . 106 vel 107 (CIL III, 2864 cum addendis p. 1062. Ephem. epigr. V, 652 sq.), 'interest officiis, adhibetur onsiliis', Passenni Paulli, splendidi equitis Romani et in rimis eruditi, amicissimus (Plin. ep. 6, 15), non Plinii, t videtur, qui eum 'dubiae sanitatis' esse iudicavit.[1] ulius Capitolinus Iavolenum vel in Antonini Pii consilio uisse tradit (Ant. P. c. 12 'ususque est iuris peritis Vindio Vero, Salvio (Fulvio?) Valente, Volusio Maeciano, Ulpiano Marcello et Iavoleno'), errori tribuendum videtur.

'Libertus ut puto eius L. Iavolenus Phoebus inter alatores pontificum et flaminum a. 102 VI, 2184, 10. 2185, 8. ex familia eius videntur L. Iavoleni VI, 19663 –19665. 19667. XIV, 2546'. Prosopogr. II p. 439.

Gaii Cassii fortasse auditor (cf. D. 42, 5, 28), postea cholae Sabinianae princeps successit Caelio Sabino (Pomponius § 53). non modo ius civile publice respondit (Plin. l. c.), ed etiam libris scribendis operam dedit. composuit autem x Labeonis libris posterioribus X, ex Gaii Cassii iuris

1 C. Plinius Romano suo s. Mirificae rei non interfuisti; e ego quidem, sed me recens fabula excepit. Passennus 'aullus ... scribit elegos ... is cum recitaret, ita coepit dicere Prisce, iubes'. ad hoc Iavolenus Priscus (aderat enim, ut 'aullo amicissimus) 'ego vero non iubeo'. cogita qui risus ominum, qui ioci.

Quod Plinius addit: 'Est omnino Priscus dubiae sanitatis, iterest tamen officiis . . ., quo magis quod tunc fecit et ridiulum et notabile fuit. interim Paullo aliena deliratio aliuantum frigoris attulit. tam sollicite recitaturis providendum st non solum ut sint ipsi sani verum etiam ut sanos adhibeant', inus dubiae sanitatis illum fuisse probatur, quam illud: Pliium homini iurisconsulto verba vel alienis rebus distracto lapsa vel consulto, sed ioci causa effusa satis maligne crimini ertisse.

civilis libris XV, denique ex Plautii opere principali V suos libros, edidit praeterea Epistularum libros XIV.

Auditores habuit praeter alios, quibuscum postea quoque litterarum commercio coniunctus videtur (v. infra ubi de Epistularum libris agetur), inprimis Salvium illum Julianum, qui libro XLII Digestorum D. 40, 2, 5 Iavolenum praeceptorem suum dicit ('Iavolenum praeceptorem meum'). 'Die Vermutung liegt nahe', ait Buhl in illo de Iuliano libro p. 19 sq., 'dafs Javolenus in Afrika selbst während eines der von ihm dort bekleideten Ämter auf den Hadrumetiner Julian aufmerksam geworden sei. Er wird an dem begabten jungen Manne Gefallen gefunden haben, da er sich seiner juristischen Ausbildung annahm und ihn anscheinend nicht nur während seiner Verwaltung in Afrika, sondern auch in Syrien etwa als Assessor in seiner Nähe behielt (Iulianus enim ait: 'ego qui meminissem, Iavolenum ... et in Africa et in Syria servos suos manumisisse, cum') ... In welche Jahre diese näheren persönlichen Beziehungen Julians zu Javolen fallen, läfst sich einstweilen nicht ermitteln.' Iulianum praeceptori ita successisse, ut inter eos Aburnius Valens medius esset, supra vidimus; quae successio quo tempore facta sit non magis constat quam de ipso Aburnio Valente de quo illud unum certum est, eum viginti quinque fere annis Iuliano minorem fuisse (Buhl p. 14). quod nihilo minus ante Iulianum Sabinianae scholae princeps exstitit, nescio an hac causa factum sit, quod Valens ut homo senatorii ordinis ('clarissimus iuvenis'), Iuliano, quamquam Hadriani iussu edictum composuerat, cum esset homo ex provincia oriundus, qui non ante Hadriani principatum Romam videtur transmigrasse (Buhl p. 20), anteponebatur.

Inter res, quae in Iavoleni fragmentis iuveniuntur, hae notabiles sunt: is qui domicilium trans mare habet (D. 5, 1, 34), archigubernus et trierarchus ex classe Britannica (D. 36, 1, 48), Callimachus cum quo testamenti factio non est (D. 35, 1, 55), naufragium quo cum pubere filio mater periit (D. 34, 5, 22), aves quae in insulis

maritimis aluntur (D. 33, 7, 11), horrea extra urbem (D. 32, 84), frumenta in herbis empta quae nives corruperunt (D. 15, 1, 78, 3).

Saepius agitur de patronis libertisque et de locatione conductione. disserit enim Iavolenus de maiorum patroni sepulchris (D. 38, 2, 36), de filio libertino (D. 28, 8, 10), de liberto duos patronos habente (D. 38, 2, 34), de liberto patroni testamento commendatus (D. 28, 5, 60), de liberto qui solvendo non erat et aeris alieni magnitudinem reliquit (D. 38, 2, 36), de liberto qui fraudandi patroni causa fundum Seio mancipio dare voluit (D. 35, 5, 12), denique de patrono, qui communem libertam uxorem duxit (D. 23, 3, 46). nec minus disserit de locata domo (D. 19, 2, 60 pr.), insula (D. 19, 2, 58 pr.), area (D. 19, 2, 57), de horreo locato (D. 19, 2, 59, 6. 9), cum de servo locato (D. 18, 6, 17), tum de mulione conducto (D. 19, 2, 60, 7), praeterea de vehiculo conducto (D. ibid. § 8), de publico praedio vectigalium causa locato (D. 4, 6, 34, 1), de hortis publicis a re publica conductis (D. 32, 30, 1).

Veteres laudantur tantum in libris ex Labeone confectis iique sine dubio ad Labeonis exemplum, praeterea ipse Labeo, Massurius Sabinus (D. 19, 2, 59. 45, 1, 105), Cassius (D. 40, 7, 28, 1. 46, 3, 78. 35, 1, 54 pr.), Proculus (D. 29, 2, 62. D. 32, 100, 3. D. 35, 1, 40, 5. D. 26, 2, 33 aliaque), 'Caelius' (ita enim pro 'Caecilius' D. 24, 1, 64 legendum videtur), id est Caelius Sabinus (cf. Gai. 3, 70 'Caelius Sabinus ait ... Iavolenus autem ait'), Pegasus et Aristo, quod D. 28, 5, 19 satis videtur indicare.

Dissensiones quae exstiterunt et Labeoni cum prioribus et inter posteriores, scilicet inter Massurium Sabinum vel Cassium et Labeonem, nec minus inter Proculum et priores, denique inter posteros intercedentes a Iavoleno diligenter examinata esse apparet. haec enim ex. gr. leguntur: '... Trebatius negat ... Labeo contra, Proculus quod Labeo. ego Trebatii sententiam probo, quia ...' D. 26, 2, 33. '... Trebatius respondit ... Labeo Trebatii sententiam probat ... idem et ego et Proculus

probamus' D. 35, 1, 40, 5. '... Cascellius aiebat ..., Ofilius ... negat ... idem Cinna scribit ... et hoc magis verum puto' D. 35, 1, 40, 2. '... Cascellius putat ... Ofilius Trebatius contra. Labeo Cascellii sententiam probat. quod verum puto, quia' D. 32, 100, 2.

De Labeonis sententiis aut probatis aut reiectis v. inprimis Iavoleni libros ex posterioribus Labeonis factos.

Cassii quoque sententias alias probavit ('et scribit Cassius et Iavolenus' D. 28, 2, 6), alias reiecit ('in commentariis Gaii scriptum est ... contra ego sentio' D. 35, 1, 54. 'in libris Gaii Cassii scriptum est ... videamus ne').

Proculi sententias multas probavit ('vera est Proculi opinio' D. 28, 5, 11. 'verum est quod Proculus et Caecilius putant.' 'Proculus ... quod et verum est' D. 32, 100, 2. 'Proculus .. recte ait' ibid. § 3). nonnunquam vel se vel Proculum 'idem' putare ait ('ego puto ... Proculus idem' D. 29, 2, 62 pr. 'idem et ego et Proculus probamus' D. 35, 1, 40, 5. similiter Paulus D. 29, 2, 60 tradit: 'Proculus Labeonis sententiam improbat et in Iavoleni sententia est'). semel Proculi sententiam improbavit ('Trebatius negat .. Labeo contra, Proculus quod Labeo. ego Trebatii sententiam probo quia' D. 26, 3, 35).

Mirum videtur, quod Iulianus in Neratii, Celsi, Marcelli, Scaevolae, Papiniani fragmentis, quae multa sunt, semel a Iuliano (D. 40, 2, 5), semel a Pomponio (D. 1, 2, 2, 53) laudatur et ita quidem, ut neuter illius sententiam afferat.

De ratione quae inter Iavoleni et Iuliani sententias intercedat, diligenter scripsit Buhl l. c. p. 30 sqq., quo ex genere pauca afferre idoneum videtur.

Iavolenus.	Iulianus.
D. 41, 2, 23, 2. — Si vinxeris hominem liberum, eum te possidere non puto; quod cum ita se habeat, multo minus per illum res eius a te possidebuntur ...	D. 22, 3, 20. — Si quis liberum hominem vi rapuerit, in vinculis habuerit, is indignissime commodum possessoris consequeretur ...

D. 39, 5, 25. — .. respondit: si rem tibi dederim, ut Titio meo nomine donares, eamque tu tuo nomine ei dederis, quantum ad iuris suptilitatem accipientis facta non est et tu furti obligaris, sed benignius est; si agam contra eum qui rem accepit, exceptione doli me summoveri.

D. 12, 1, 20. — ... sed haec intellegenda sunt propter suptilitatem verborum; benignius tamen est ...

Orationis quoque proprietates apud Iavolenum conspicuae apud Iulianum quoque exstant; ut quod Iavolenus ait (D. 45, 3, 36) 'haec genere quodam donatio est', his Iuliani verbis simile est: 'genere quodam modo venditio ... contracta est' (D. 41, 4, 10). rerum denique ordinem a Iuliano in libris ad Urseium Ferocem servatum in multis convenire cum ordine librorum a Iavoleno ex Cassio compositorum Lenel notat P. I col. 490 n. 1.

Quod Iavolenus provinciae praeses in servis manumittendis admisit, idem Iulianus praetor et consul in Italia facere non dubitavit: 'ego qui meminissem Iavolenum ... et in Africa et in Syria servos suos manumisisse, cum consilium praeberet, exemplum eius secutus et in praetura et consulatu meo quosdam ex servis meis vindicta liberavi' (D. 40, 2, 5), aliis praetoribus, num id facere liceret, dubitantibus (D. ibid.). Ulpianus autem cum D. 1, 10, 1, 2 dicit: 'Consules apud se servos suos manumittere posse nulla dubitatio est', de praetorum eadem potestate nihil constituit. in aliis quoque legis actionibus Iavoleni exemplum sequi licere Neratius Priscus statuit: 'magistratum, apud quem legis actio est, et emancipare filios suos et in adoptionem dare apud se posse Neratii sententia est' D. 1, 7, 4. quam sententiam a posteris probatam esse non traditur.

Nec desunt tamen fragmenta, quibus Iulianum a praeceptore dissensisse probatur, ex quibus unum inprimis notatu dignum profero.

Iavolenus.	Iulianus.
D. 23, 2, 46. Gaius l. VIII ad l. Iul. et Pap. — Illud dubitationis est, an et qui communem libertam uxorem duxerit, ad hoc ius admittatur (sc. 'quod dicit, invito patrono libertam, quae ei nupta est, alii nubere non posse'). Iavolenus negavit, quia non proprie videtur eius liberta, quae etiam alterius sit.	D. 24, 2, 11 pr. Ulp. l. III ad l. Iul. et Pap. — ... ait lex: 'divortii faciendi potestas libertae, quae nupta est patrono, ne esto' ... Iulianus .. amplius putat, nec in concubinatu eam alterius patroni esse posse.

De Prisco illo, quem apud Fulcinium attigimus (p. 261), iterum monendum est, cum Iavolenum quoque Prisci nomine designari potuisse et appareat et Plinius ep. 6, 15 probet et Iulianum quoque Prisci nomine illum videri designasse iam supra monuerim. reliqua eiusmodi fragmenta, cum potius ad Neratium videantur spectare, hoc loco omittuntur.

Posteriores Iavolenum laudant hi: Valens in Fideicommissorum libris (D. 33, 1, 15), Gaius ad legem XII tabularum (D. 50, 16, 236, 1), ad legem Iuliam et Papiam (D. 23, 2, 46) et libris Institutionum (3, 70), Paulus et Quaestionum libris (D. 11, 1, 20, 1) et ad Plautium (D. 34, 2, 8), Ulpianus libris ad Sabinum (l. III D. 28, 2, 6 pr. P. 2445, l. VII D. 28, 5, 17, 5, ut conicere licet, et D 28, 5, 19 P. 2488. 2489, l. XLIX D. 18, 4, 2, 17 P. 2966[b]), denique ignotus ille qui de formula Fabiana scripsit (Collect. libr. III p. 300).

In novis Digestis componendis Tribonianum Iavoleni quoque libris usum esse indice Florentino comprobatur,

.bi haec leguntur: 'Iavolenu ex Cassio βιβλία δεκαπέντε, pistolon βιβλία δεκατέσσαρα, ad Plautium βιβλία πέντε.' ibri ex Labeonis posterioribus compositi apud Iavolenum .on laudantur; laudantur falso apud Labeonem ('Λαβεῶνος osteriorum βιβλία δέκα'), quem non decem, sed quadra-inta fere libros reliquisse constat. v. II, 1 p. 160.

I. Res in conventu actae.

D. 40, 2, 5. Iulianus eodem libro (sc. quadra-;ensimo secundo Digestorum) (P. 586). — An apud e manumittere possit is qui consilium praebeat, saepe [uaesitum est. ego qui meminissem Iavolenum prae-eptorem meum et in Africa et in Syria servos suos nanumisisse, cum consilium praeberet...

Gai. 1, 18. 19. 'Quod.. de aetate servi requiritur, ege Aelia Sentia introductum est. nam ea lex minores XX annorum servos non aliter voluit manumissos cives lomanos fieri, quam si vindicta apud consilium iusta ausa manumissionis adprobata, liberati fuerint ... con-ilium autem adhibetur . . . in provinciis . . viginti recu-eratorum civium Romanorum, idque fit ultimo die con-entus ...'

II. Responsa.

Iavolenum ius civile publice respondisse Plinius p. 6, 15 tradidit. quod in inscriptionibus illis, quibus fficiorum Iavoleni mentio fit, iuris consulti nomen deest, i postea demum ius respondendi datum esse Krueger . 162 n. 129 iure videtur conicere. inter eos qui con-ulebant, etiam magistratus fuisse ipse D. 40, 2, 5 narrat: juibusdam praetoribus consulentibus ... suasi', et iuris eritos quoque alios vel iuris studiosos non raro eum onsuluisse ea probant, quae D. 8, 4, 5. 41, 2, 23, 2. 42, , 28 leguntur. cf. Krueger p. 162. qui consulebant, non nodo proferebant, 'quod praeceptoribus tuis placet' (D. 42, , 28), sed etiam quod Labeoni aut Proculo placet (D. 50,

16, 116. 28, 5, 21). quod ad res de quibus consultus est, attinet, non casu factum videtur, ut de testamento archiguberni ex classe Britannica (D. 36, 1, 48) responderit, qui ipse Britanniae iuridicus fuerit, et notabile est responsum illud de beneficio imperatoris (D. 1, 4, 3).

Ceterum res de quibus Iavolenus consultus est, nonnunquam provinciam redolent, cuius generis id esse putaverim, quod de homine libero vincto affertur (D. 41, 2, 23, 2), ut qui Iavolenum consuluerunt, et ipsos in provincia fuisse credendum sit, similiter atque Modestinus de Dalmatia Ulpianum consuluit (D. 47, 2, 52, 20).

Praecipua Iavoleni responsa in fragmentis Epistularum librorum inveniuntur; ceterorum, quae rara sunt, pars saltem iisdem libris videtur attribuenda.

De fideicommisso.

1. D. 33, 1, 15. Valens libro septimo Fideicommissorum (P. 22). — Iavolenus eum, qui rogatus post decem annos restituere pecuniam ante diem restituerat, respondit, si propter capientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicommissum relictum probetur et perdituro ei id heres ante diem restituisset, nullo modo liberatum esse; quod si tempus heredis causa prorogatum esset, ut commodum medii temporis ipse sentiret, liberatum eum intelligi; nam et plus eum praestitisse quam debuisset.

De mortis causa capione.

2. D. 39, 6, 21. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Eum qui ut adiret hereditatem pecuniam accepisset, plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt mortis causa *eam* capere.

cf. D. 39, 6, 31, 2 Gaius. Sine donatione autem ⟨mortis causa⟩ capitur veluti pecunia, quam statuliber aut legatarius alicui condicionis implendae gratia numerat

... eodem numero est pecunia, quam quis in hoc accipit, ut vel adeat hereditatem vel non adeat ...

De statu libero.

3? D. 35, 1, 112, 3. Idem (sc. Pomponius) libro duodecimo Epistularum. — Priscus respondit statuliberum non utique ibi ubi pater familias decessit aut ubi ipse relictus sit aut ubi velit, rationes reddere debere [sed interim proficisci ad eum, cui reddere debeat, utique si is rei publicae causa aberit].

Extremum comma Triboniani esse Pernice iure censet.

De nuptiis.

4. D. 23, 2, 46. Gaius libro octavo ad legem Iuliam et Papiam (P. 456). — Illud dubitationis est, an et qui communem libertam uxorem duxerit ad hoc ius admittatur (sc. 'quod dicit, invito patrono libertam, quae ei nupta est, alii nubere non posse'). Iavolenus negavit, quia non proprie videtur eius liberta, quae etiam alterius sit.

III. Ex posterioribus Labeonis libri X.

Unam, non duas epitomas a Iavoleno ex Labeonis libris factas esse in Labeone tractando exposui (II, 1 p. 164 sqq.), quam decem librorum fuisse et indice Florentino id opus falso non Iavoleno, sed Labeoni adscribente ('Λαβεῶνος posteriorum βιβλία δέκα') traditur et fragmentis in Iustiniani Digestis servatis comprobatur.

Notae a Iavoleno additae plerumque facile agnoscuntur; adiecit praeterea iurisconsultorum qui post Labeonem de iisdem rebus dixerunt, sententias: Masurii Sabini (D. 19, 2, 55), Proculi (D. 24, 1, 64. 26, 2, 33. 29, 2, 62. 32, 100, 2. 36, 4, 14), Caelii Sabini (D. 24, 1, 64, ubi perverse 'Caecilius' traditur), cum sententias collectas et examinaret et interpretaretur.

Atque Labeonis sententias saepe plane probavit (D. 35, 1, 39. D. 32, 100, 1. D. 33, 6, 7 pr. § 1 D. 33,

26*

7, 4. D. 33, 7, 25 pr. D. 34, 2, 39, 1. D. 35. 1, 40, 2. § 5 'Labeo ... probat ... idem et ego et Proculus probamus'. D. 40, 7, 39, 3 'Labeo ..., quod verum est'. § 4 'Labeonis ... sententia rationem quidem habet, sed hoc iure utimur ut'. D. 18, 1, 77. D. 18, 4, 2, 17. D. 40, 12, 42 'Labeo ... Iavolenus: haec vera sunt'. D. 35, 7, 26, 1. D. 9, 2, 57. D. 24, 3, 66, 2. § 4 'Labeo putat ... Labeonis sententiam probo'. §§ 5. 6. 7. D. 19, 2, 57), saepe plane improbavit (D. 33, 1, 17 pr. D. 8, 1, 20. D. 23, 3, 80. D. 23, 5, 18 pr.) vel cum exceptione probavit (D. 7, 4, 24 pr. D. 40, 7, 39 pr. § 2 'Labeo Trebatius responderunt ... ego puto, si'. D. 18, 1, 79. D. 19, 1, 51 Labeo ... 'hoc ita verum puto, nisi si'. D. 33, 7, 26 pr. D. 47, 10, 44).

De rerum ordine illud certo cognoscitur, libro I de testamentis, libris II et III de legatis, libro IV de libertate relicta, eodem et insequenti libro de emptione venditione, libro VI de societate et de iure dotium, libro VIII de tutelis, libro IX de delictis privatis dictum fuisse. itaque quamquam septimi libri nullum, decimi duo fragmenta quorum argumentum non patet extant, nihilo minus Sabinianum fere ordinem exemplo fuisse satis apparet. de dubiis rebus infra dicendum est.

Liber I.

De testamentis.

Qui testamenta facere possunt.

1. D. 28, 1, 2. Labeo libro primo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *In eo qui testatur eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est.*

2. D. 21, 1, 53. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Qui tertiana aut quartana febri aut podagra vexarentur quive comitialem morbum haberent, ne quidem his diebus, quibus morbis vacarent, recte sani dicentur.

Iavoleni sententiam a Triboniano corruptam esse illumque de iis dixisse qui testamenta facere prohibentur, Pernice merito conicit.

De pluribus heredibus instituendis.

3. D. 28, 1, 25. Iavolenus libro quinto (?primo?) posteriorum Labeonis. — *Si is, qui testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, priusquam secundos exprimeret heredes, obmutuisset, magis coepisse eum testamentum facere quam fecisse Varus Digestorum libro primo Servium respondisse scripsit; itaque primos heredes ex eo testamento non futuros. Labeo tum hoc verum esse existimat, si constaret voluisse plures eum, qui testamentum fecisset, heredes pronuntiare. ego nec Servium puto aliud sensisse.*

4? D. 28, 5, 17, 5. Ulpianus libro septimo ad Sabinum. — Quod si quis dupundium distribuit et tertium sine parte instituit, hic non in alium assem, sed in[1] trientem venit, ut Labeo quarto posteriorum scripsit, nec Aristo vel Aulus (Iavolenus?) utpote probabile notant.

De substitutionibus.

5. D. 28, 6, 9. Labeo libro primo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Si pater filio impuberi eosdem quos sibi et te unum praeterea heredem instituit, bonorum filii te dimidium, ceteros patris heredes communiter dimidium ita habere, ut unus semis apud te maneat, alterius semissis pro his partibus inter heredes paternos divisio fiat, quibus ex partibus hereditatem paternam haberent.*

6. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredem habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum*

1 Mommsen emendat: 'hic in alium assem, scilicet in', quod II, 1 p. 183 praetermissum est.

partem eius transferre, ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii eum quem in potestate habebat solum heredem fecit et ab eo alteri dimidian partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit; quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

7. D. ibid. § 1. — *Filio impuberi in singulas causas alium et alium heredem substituere possumus[, veluti ut alius, si sibi nullus filius fuerit, et alius, si filius fuerit et impubes mortuus fuerit, heres sit].*

Eisele Z. d. Sav.-St. XIII, 141.

8. D. ibid. § 2. — *Quidam quattuor heredes fecerat et omnibus heredibus praeter unum substituerat. unus ille, cui non erat quisquam substitutus, et ex ceteris alter vivo patre familias decesserant. partem cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere Ofilius Cascellius responderunt, quorum sententia vera est.*

9. D. 29, 2, 60. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Filium emancipatum pater solum heredem instituit et, si is heres non esset, servum liberum et heredem esse iusserat. filius, tamquam pater demens fuisset, bonorum possessionem ab intestato petit et ita hereditatem possedit. Labeo ait, si probaretur sana mente pater testamentum fecisse, filium ex testamento patri heredem esse. hoc falsum puto; nam filius emancipatus cum hereditatem testamento datam ad se pertinere noluit, continuo ea ad substitutum heredem transit nec potest videri pro herede gessisse, qui, ut hereditatem omitteret, ex alia parte edicti possessionem bonorum petat.*

Sequuntur haec: 'Paulus. Et Proculus Labeonis sententiam improbat et in Iavoleni sententia est'.

De servo herede.

10. D. 29, 2, 62. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Si servus heres institutus post iussum domini, antequam adiret, alienatus esset, novum iussum posterioris domini, non iussum prioris exigitur.

De institutione condicionali.

11. D. 35, 1, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Quae condicio [ad genus personarum] non ad certas et notas personas pertineat, eam existimamus totius esse testamenti et ad omnes heredes institutos pertinere. at quae condicio ad certas personas accommodata fuerit, eam referre debemus ad eum dumtaxat gradum, quo hae personae institutae fuerunt.*

12. D. ibid. § 1. — *Cum ita in testamento scriptum erat 'ut aliquid in foro fiat' neque adscriptum erat in quo foro, Labeo ait, si non appareat, quid mortuus senserit, in eius municipii foro faciendum, in quo is qui testamentum fecerit domicilium habuerit; quam sententiam ego quoque probo.*

13. D. 50, 16, 217 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Inter illam condicionem 'cum fari potuerit' et 'postquam fari potuerit' multum interest; nam posteriorem scripturam uberiorem esse constat, 'cum fari potuerit' artiorem et id tantummodo tempus significari, quo primum fari possit.*

14. D. ibid. § 1. — *Item ita data condicione 'illud facito in diebus', si nihil praeterea fuisset adiectum, in biduo condicionem impleri oportere.*[1]

15. D. 29, 2, 62 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Antistius Labeo ait, si ita institutus sit 'si iuraverit, heres esto', quamvis iuraverit, non tamen eum statim heredem futurum, antequam pro herede aliquid gesserit, quia iurando voluntatem magis suam declarasse videatur. ego puto satis eum pro herede gessisse, si ut heres iuraverit. Proculus idem, eoque iure utimur.*

Liber II.

De testamentis.

16. D. 28, 7, 20 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Mulier, quae viro*

1 *Trib.* oportet.

suo ex dote dicta[1] *pecuniam debebat, virum heredem ita instituerat, si eam pecuniam, quam doti* dixisset[2], *neque petisset neque exegisset. puto, si vir denuntiasset ceteris heredibus per se non stare, quo minus acceptum faceret id quod ex dote sibi deberetur, statim eum heredem futurum. quod si solus heres institutus esset in tali condicione, nihilo minus puto statim eum heredem futurum, quia ἀδύνατος condicio pro non scripta accipienda est.*

17. D. ibid. § 1. — *Si quis hereditarium servum iussus est manumittere et heres esse, quamvis, si manumiserit, nihil agat, tamen heres erit; verum est enim eum manumisisse. sed post aditionem libertas servo data secundum voluntatem testatoris convalescit.*

18. D. ibid. § 2. — *Si quis te heredem ita instituit, si se heredem instituisses aut quid sibi legasses, nihil interest, quo gradu is a te heres institutus, vel quid ei legatum sit, dummodo aliquo gradu id te fecisse probes.*

19. D. 29, 2, 64. — Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Servus duorum heres institutus et* cernere[3] *iussus, si alterius domini iussu* creverit[4], *deinde manumissus fuerit, poterit ipse [adeundo?] ex parte dimidia heres esse.*

De legatis.

De usu fructu legato.

20. D. 33, 2, 30 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Cui usus fructus legatus esset, donec ei totius dotis satisfieret, cum ei heres ⟨ex parte⟩ pro sua parte satis dedisset, quamvis reliqui satis non darent, tamen pro ea parte usum fructum desinere habere mulierem ait Labeo. idem fieri et si per mulierem mora fieret, quo minus satis acciperet.*

21. D. ibid. § 1. — *Colono suo dominus usum fructum fundi, quem is colebat, legaverat: agat colonus cum*

1 *Trib.* promissam. 2 *Trib.* promisisset.
3 *Trib.* adire. 4 *Trib.* adierit.

herede ita, ut iudex cogat heredem ex locationis actione eum liberare.

22. D. 33, 2, 41. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis — *Cum ita legatum esset: 'fructus annuos fundi Corneliani Publio Maevio do lego', perinde putat accipiendum esse Labeo, ac si usus fructus fundi similiter esset legatus, quia haec mens fuisse testatoris videatur.*

23. 1. D. 32, 30, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui hortos publicos a re publica conductos habebat, eorum hortorum fructus usque ad lustrum, quo conducti essent, Aufidio legaverat et heredem eam conductionem eorum hortorum ei dare damnaverat sinereque uti eum et frui. respondi heredem teneri sinere frui; hoc amplius heredem mercedem quoque hortorum rei publicae praestaturum.*

23. 2. D. 34, 3, 17. Iavolenus libro secundo Labeonis posteriorum. — *reliqua quoque in iudicio locationis venire.*

cf. II, 1 p. 199.

24. D. 33, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Is qui fundum tecum communem habebat, usum fructum fundi uxori legaverat; post mortem eius tecum heres arbitrum communi dividundo petierat. Blaesus ait Trebatium respondisse, si arbiter certis regionibus fundum divisisset, eius partis, quae tibi optigerit, usum fructum mulieri nulla ex parte deberi, sed eius, quod heredi optigisset, totius usum fructum eam habituram. ego hoc falsum puto: nam cum ante arbitrum communi dividundo coniunctus pro indiviso ex parte dimidia totius fundi usus fructus mulieris fuisset, non potuisse arbitrum inter alios iudicando alterius ius mutare; quod et receptum est.*

De bonorum parte legata.

25. D. 32, 29, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum ita legatum esset,*

ut Titia uxor mea tantandem partem habeat quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam, quia cum heres dare damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret. Labeo hoc probat idque verum est.

26. D. ibid. § 2. — *Cum ita legatum esset: 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantam pecuniam heres meus Seiae dato,' id legatum putat Labeo, quod acceptum in tabulis suis ex ea hereditate testator rettulisset; ceterum negat cavendum heredi a legatario, si quid forte postea eius hereditatis nomine heres damnatus esset. ego contra puto, quia non potest videri pervenisse ad heredem, quod eius hereditatis nomine praestaturus esset; idem Alfenus Varus Servio placuisse scribit, quod et verum est.*

De pecunia legata.

27. D. 33, 4, 6 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum scriptum esset: 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato', quamvis quadraginta dotis fuissent, tamen quinquaginta debere Alfenus Varus Servium respondisse scribit, quia proposita summa quinquaginta adiecta sit.*

28. D. ibid. § 1. — *Item ei, quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: 'quanta pecunia dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt; perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent. quod verum est, quia his verbis non dos ipsa, sed pro dote pecunia legata videtur.*

De veste et vestimentis legatis.

29. D. 32, 100, 2. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *'Uxori meae vestem, mun-*

dum muliebrem, ornamenta omnia, aurum argentum quod eius causa factum paratumque es[se]t omne do lego'. Trebatius haec verba 'quod eius causa factum paratumque est' ad aurum et argentum dumtaxat referri putat, Proculus ad omnia, quod et verum est.

30. D. 32, 29 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat, deinde ita legavit: 'vestem quae eius causa empta parata esset'. Cascellius Trebatius negant ei deberi prioris concubinae causa parata*, quamvis *alia condicio esset in uxore. Labeo id non probat, quia in eius modi legato non ius uxorium sequendum, sed verborum interpretatio esset facienda idemque vel in filia vel in qualibet alia persona iuris esset. Labeonis sententia vera est.*

31. D. 33, 5, 20. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Apud Aufidium libro primo* responsum *est, cum ita legatum est: 'vestimenta quae volet triclinaria sumito sibique habeto', si is dixisset quae vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset, mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret, quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit [quoniam res continuo eius fit, simul ac si dixerit eam sumere].*

De servo legato.

32. D. 32, 100 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *'Heres meus damnas esto Lucio Titio Stichum servum meum reddere' vel ita: 'illum servum meum illi reddito'. Cascellius ait deberi neque id Labeo improbat, quia qui reddere iubetur, simul et dare iubetur.*

Ratio 'quia .. iubetur' quamquam a Iavoleno addita videtur, II, 1 p. 194 omitti non debuit.

33. D. 32, 29, 3. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Si heres tibi* servo genera-

liter legato Stichum tradiderit isque a te evictus fuisset, posse te ex testamento agere Labeo scribit, quia non videtur heres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis; et hoc verum puto. sed hoc amplius ait debere te, priusquam iudicium accipiatur, denuntiare heredi; nam si aliter feceris, agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio.

34. D. ibid. § 4. — *'Si Stichus et Dama servi mei in potestate mea erunt cum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunto et fundum illum sibi habento.' si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset vel manumisisset, neutrum liberum futurum Labeo putat. sed Tubero eum qui remansisset in potestate, liberum futurum et legatum habiturum putat. Tuberonis sententiam voluntati defuncti magis puto convenire.*

De peculio legato.

35. D. 33, 8, 22 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Dominus servum testamento manumiserat et ei peculium legaverat; is servus mille nummos domino debuerat et eos heredi solvit. respondi omnes eas (peculiares?) res deberi orcino, si pecuniam orcinus quam debuerat solvisset.*

36. D. ibid. § 1. — *Dominus servum, qui cum eo vicarium communem habebat, testamento manumiserat et peculium ei legaverat, deinde ipsum vicarium, qui communis erat, nominatim et ipsi et libertae suae legaverat. respondi partem quartam libertae, reliquam partem [quartam] liberti futuram; quod et Trebatius.*

De fundo legato.

37. D. 35, 1, 40, 1. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato'. Cascellius*

aiebat etiam pretium fundi dari debere, Ofilius impensae verbo negat pretium significari, sed eos dumtaxat sumptus, quos in eum posteaquam emptus esset fecit. idem Cinna scribit adiecto eo, quod non deductis fructibus impensarum ratio haberi debent, et hoc magis verum puto.

38. D. 32, 30, 4. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui fundum mandatu meo in societate mihi et sibi emerat, deinde eum finibus diviserat et priusquam mihi* mancipio d*aret*[1], *ita eum tibi legaverat 'fundum meum illi do'. negavi amplius partem deberi, quia verisimile non esset ita testatum esse patrem familias, ut mandati heres eius damnaretur.*

39. D. 33, 7, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Cum quidam duos fundos iunctos haberet et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat. Labeo Trebatius boves ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent, Cascellius contra. Labeonis sententiam probo.*

40. D. 35, 1, 40, 4. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Qui dotalem fundum nullum habebat, ita legaverat: 'fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato'. Labeo Ofilius Trebatius responderunt fundum nihilo minus legatum esse, quia, cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non peremit.*

De fundi instrumento legato.

41. D. 33, 7, 25 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Fundi instrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset, Labeo contra. quid enim fiet, inquit, si, cum mille oves fundus sustinere potuisset, duo milia ovium in eo fundo fuerint? quas oves potissimum legato cessuras existimabimus? nec quaerendum esse, quid debu-*

1 *Trib.* traderet.

isset parari pecoris instrumenti fundi causa, sed quid paratum esset; non enim ex numero aut multitudine legata aestimandum esse. Labeonis sententiam probo.

42. D. ibid. § 1. — *Quidam cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur, deinde eius fundi instrumentum legaverat. Labeo Trebatius non videri figulos in instrumento fundi esse.*

43. D. ibid. § 2. — *Item cum instrumentum omne legatum esset excepto pecore, pastores oviliones, ovilia quoque legato contineri Ofilius non recte putat.*

De aedibus legatis.

44. D. 50, 16, 242, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Inter 'proiectum' et 'immissum' hoc interesse ait Labeo, quod proiectum esset id quod ita proveheretur ut nusquam requiesceret, qualia maeniana et suggrundae essent; immissum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requiesceret, veluti tigna trabes quae inmitteretur.*

45. D. ibid. § 2. — *Plumbum, quod tegulis ⟨inter-⟩ poneretur, aedificii esse ait Labeo, sed id, quod hypaethri tegendi causa poneretur, contra esse.*

46. D. ibid. § 4. — *Straturam loci alicuius ex tabulis fact*am[1], *quae aestate tollerentur et hieme ponerentur, aedium esse ait Labeo, quoniam perpetui usus paratae essent; neque ad rem pertinere, quod interim tollerentur.*

47. D. 32, 30, 6. Labeo libro secundo posteriorum a Javoleno epitomatorum. — *Si aedes alienas ut dares damna[tu]s sis neque eas ulla condicione emere possis, aestimare iudicem oportere Ateius scribit, quanti aedes sint, ut pretio soluto heres liberetur. idemque iuris est et si, ⟨cum⟩ potuisses emere, non emer*is.

1 *Fl.* factis.

De nave legata.

48. D. 50, 16, 242 pr. — Iavolenus libro secundo posterioribus Labeonis. — *Malum navis esse partem, temonem autem non esse Labeo ait, quia pleraeque ves sine malo inutiles essent, ideoque pars navis betur; artemo autem magis adiectamento quam pars wis est.*

De oleo, tritico, vino legatis.

49. D. 33, 6, 7. — Iavolenus libro secundo ex sterioribus Labeonis. — *Quidam heredem damnaverat re uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella lsamenta. Trebatius aiebat ex singulis rebus non nplius deberi, quam quantum heres mulieri dare voluset, quoniam non adiectum esset, quantum ex quaque daretur. Ofilius Cascellius Tubero omne, quantum ter familias reliquisset, legatum putant. Labeo id obat idque verum est.*

50. D. ibid. § 1. — '*Lucio Titio tritici modios centum, i singuli pondo centum pendeant, heres dato.' Ofilius hil legatum esse, quod et Labeo probat, quoniam eiusmodi iticum in rerum natura non esset. quod verum puto.*

51. D. 33, 1, 17, 1. Labeo libro secundo posterium a Iavoleno epitomatorum. — '*Vini Falerni quod mi nasceretur, quotannis in annos singulos binos leos heres meus Attio dato.' etiam pro eo anno, quo hil vini natum est, deberi duos culeos, si modo ex ndemia ceterorum annorum dari possit.*

De mundo muliebri legato.

52. D. 34, 2, 39 pr. Iavolenus libro secundo ex sterioribus Labeonis. — *Si uxori mundus muliebris atus esset, ea tantum modo deberi Ofilius Labeo responderunt, quae ex his tradita utendi causa uxori a ro fuissent; aliter enim interpretantibus summam fore ptionem, si vascularius aut faber argentarius uxori ita asset.*

De argento legato.

53. D. ibid. § 1. — *Cum ita legatum esset 'argentum quod domo mea erit cum moriar', Ofilius nec quod depositum a se nec quod commodatum reliquisset argentum legatum videri respondit. idem Cascellius de commodato. Labeo, quod depositum esset, ita deberi, si praesentis custodiae causa, non perpetuae veluti in thensauro depositum esset, quia illa verba 'quod domo mea erit' sic accipi debere 'esse solebat', et hoc probo.*

54. D. ibid. § 2. — *Ateius Servium respondisse scribit, cui argentum, quod in Tusculano fundo cum moreretur habuisset, legatum esset, et quod antequam moreretur ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatum esset, deberi; contra fore, si iniussu translatum esset.*

De lance legata.

55. D. 34, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui lancem maximam minorem minimam relinquebat, ita legaverat: 'lancem minorem illi lego'. mediae magnitudinis videri legatam lancem responsum est, si non appareret, quam lancem ex his pater familias demonstrare voluisset.*

De poculis legatis.

56. D. 32, 30 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui quattuor pocula oleaginea habebat, ita legavit: 'pocula oleaginea paria duo'. respondi unum par legatum esse, quia non ita esset: bina paria neque ita: poculorum paria duo. idem et Trebatius.*

De Corinthiis vasis legatis.

57. D. 32, 100, 3. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Cui Corinthia vasa legata essent,* aeneas *βάσεις quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi Trebatius respondit. Labeo autem id non probat,* nisi aeneas *βάσεις testator numero*

vasorum habuit. Proculus vero recte ait, si aeneae quidem sint, non autem Corinthiae, non deberi.

De statuis marmoreis et de marmore legatis.

58. D. 32, 100, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Duae statuae marmoreae cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum: nullam statuam marmoream praeter duas Cascellius putat deberi, Ofilius Trebatius contra. Labeo Cascellii sententiam probat, quod verum puto, quia duas statuas legando potest videri non putasse in marmore se statuas legare.*

De testudineis legatis.

59. D. ibid. § 4. — *Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatis deberi Labeo Trebatius responderunt, quod verum est.*

De pecunia legata.

60. D. 32, 30, 5. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *'Uxori meae, dum cum filio meo Capuae erit, heres meus ducenta dato'; filius a matre migravit. si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri putavi, quamvis una non habitassent; sin autem in aliud municipium transisset, unius anni tantummodo debitu iri, quo una habitassent quantolibet tempore, ⟨quod et⟩ Trebatius ait. videamus, an his verbis 'dum cum filio Capuae erit' [non] condicio significetur [sed ea scriptura pro supervacuo debet haberi]: quod non probo. sin autem per mulierem mora non est, quo minus cum filio habitet, legata ei deberi.*

61. D. 33, 1, 17. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Legatum ita est: 'Attiae donec nubat, quinquaginta damnas esto heres meus dare' neque adscriptum est 'in annos singulos'. Labeo Trebatius praesens legatum deberi putant, sed rectius dicetur id legatum in annos singulos deberi.*

62. D. 35, 1, 40, 2. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Quidam Titio centum legaverat, deinde infra ita iusserat: 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato'; mortuo patre familias Titius vixerat et viva matre [familias] decesserat. mortua matre heredibus Titii legatum deberi Ofilius respondit, quoniam non sub condicione esset legatum, sed ante legatum pure, deinde dies solvendi adiecta. videamus, inquit Labeo, ne id falsum sit, quia nihil intersit, utrum ita scribatur: 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato' an ita: 'nisi mater mea moritur, ne dato'; utrubique enim sub condicione vel datum vel ademptum esse legatum. Labeonis responsum probo.*

63. D. 32, 30, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum testamento scriptum esset: 'Sticho servo meo heres quinque dato et, si Stichus heredi meo biennium servierit, liber esto', post biennium legatum deberi existimo, quia in id tempus et libertas et legatum referri deberet; quod et Trebatius respondit.*

64. D. 35, 1, 40, 5. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Thermus minor quorum arbitratu monumentum sibi fieri vellet testamento scribserat, deinde ita legaverat: 'Lucio Publio Corneliis ad monumentum meum aedificandum mille heres meus dato'. Trebatius respondit pro eo habendum ac si ita legatum esset, si satis dedissent se ita id monumentum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatii sententiam probat, quia haec mens testantis fuisset, ut ea pecunia in monumentum consumeretur; idem et ego et Proculus probamus.*

65. D. 35, 1, 40, 3. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Dominus servo HS$\overline{V}$ ⟨rationis⟩ eius legaverat: 'heres meus Sticho servo meo, quem testamento liberum esse iussi, HS$\overline{V}$ quae in tabulis debeo, dato'. nihil servo legatum esse Namusa*

Servium respondisse scribit, quia dominus servo nihil lebere potuisset. ego puto secundum mentem testatoris aturale magis quam civile debitum spectandum esse, et o iure utimur.

De eo cui fundum vendere certo pretio damnas est.

66. D. 32, 30, 3. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Si fundum mihi vendere erto pretio damna[tu]s es, nullum fructum eius rei ea venditione excipere tibi liberum erit, quia id pretium ad totam causam fundi pertinet.*

Legatorum servandorum causa ut caveatur.

67. D. 36, 4, 14. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quae legatorum servandorum causa in bonis est, in causa vescendi deminuet, si filia neptis proneptis uxorve esset nec nupta sit nec uum quicquam habeat.*

De legato condicionali relicto.

68. D. 35, 1, 40 pr. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Quibus diebus icinus tuus te via publica, cum ad parendum condicioni re velles, ire prohibuerit [nec per te staret, quo minus gendo ob calumnias eum summoveas], hi dies condicioni on imputabuntur.*

Inclusa verba a Triboniano addita esse Pernice vidit.

?

69. D. 50, 16, 242, 3. Iavolenus libro secundo ex osterioribus Labeonis. — *'Viduam' non solum eam, uae aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, uae virum non habuisset, appellari ait Labeo, quia idua sic dicta est quasi vecors, vesanus, qui sine corde ut sanitate esset; similiter viduam dictam esse sine uitate.*

Liber III.

De legatis.

De usu fructu legato.

70. D. 22, 1, 49 = 50, 17, 72. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Fructus rei est vel pignori dare licere.*

71. D. 7, 4, 24 pr. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Cum usum fructum horti haberem, flumen hortum occupavit, deinde ab eo recessit; ius quoque usus fructus restitutum esse Labeoni videtur [quia id solum perpetuo eiusdem iuris mansisset?]. ita id verum puto, si flumen inundatione hortum occupavit; nam si alveo mutato inde manare coeperit, amitti usum fructum existimo, cum is locus alvei publicus esse coeperit, neque in pristinum statum restitui posse.*

72. D. ibid. § 1. — *Idem iuris in itinere et actu custodiendum esse ait Labeo, de quibus rebus ego idem quod in usu fructu sentio.*

73. D. ibid. § 2. — Labeo. *Nec si summa terra sublata ex fundo meo et alia regesta esset, idcirco meum solum esse desinit, non magis quam stercorato agro.*

De vino legato.

74? D. 33, 6, 16 pr. Idem (sc. Proculus, sed errore, nam potius Iavolenus scribendum fuit) libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris omne. illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse Labeo et Trebatius responderunt.

De dulcibus legatis.

75. D. ibid. § 1. — Cui dulcia legata essent, si nihil aliud testamento significetur, omnia haec esse legata: mulsum passum defrutum et similes potiones, item uvas ficos palmas caricas.

76. D. ibid. § 2. — Quod si ita esset legatum: 'vinum amphorarium Aminaeum Graecum et dulcia omnia', nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii; quod non improbo.

De supellectili uxori legata.

77. D. 33, 10, 10. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat, is uxori supellectilem legaverat. recte negabant vestem legato cessuram Labeo Ofilius Cascellius, quia non posset videri vestis appellatione supellectilis contineri.*

De pistore uxori legato.

78. D. 34, 5, 28. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Qui habebat Flaccum fullonem et Philonicum pistorem, uxori Flaccum pistorem legaverat: qui eorum et num uterque deberetur? placuit primo eum legatum esse, quem testator legare ⟨se⟩ sensisset. quod si non appareret, primum inspiciendum esse, an nomina servorum dominus nota habuisset; quod si habuisset, eum deberi, qui nominatus esset, tametsi in artificio erratum esset. sin autem ignota [nomina servorum essent], pistorem legatum videri perinde ac si nomen ei adiectum non esset.*

De eo quod pupillae legatum est 'quandoque nupserit'.

79. D. 36, 2, 30. Labeo libro tertio posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quod pupillae legatum est 'quandoque nupserit', si ea minor quam viripotens nupserit, non ante ei legatum debebitur, quam viripotens esse coeperit, quia non potest videri nupta, quae virum pati non potest.*

Liber IV.

De libertate relicta.

80. D. 28, 8, 11. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — *Qui filium libertinum habebat, heredem eum instituerat, deinde ita scripserat: 'si mihi filius nullus erit, qui in suam tutelam veniat, tum Dama servus liber esto'. ⟨nullus nisi⟩ is filius pupillus libertinus erat: quaerebatur, si Dama liber esset. Trebatius negat, quia filii appellatione libertinus quoque contineretur; Labeo contra, quia eo loco verum filium accipi oportet. Trebatii sententiam probo[, si tamen testatorem de hoc filio locutum esse apparet].*

81. D. 40, 7, 39. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — *'Stichum Attio do lego et, si is ei nummos centum dederit, liber esto'. si servus ex testamento nummos Attio dedisset, eos repetere heredem non posse Labeo existimat, quia Attius eos a servo suo acceperit, non ab heredis servo. eum autem statuliberum esse Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo putant; Servius, Ofilius non esse. superiorem sententiam probo, ita tamen, ut is servus heredis, non legatarii sit, utpote cum legatum libertate*[1] *tollatur.*

82. D. ibid. § 1. — *'Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit'. quamvis heres locuples extitisset, tamen non prius Stichum liberum futurum, quam creditores pecuniam aut satis accepissent aliove quo modo sibi cavissent, Labeo Ofilius responderunt.*

83. D. ibid. § 2. — *Si heres servo pecuniam ad negotiandum dedisset, statuliberum eam ipsam numerando liberari ex testamento non posse Labeo Trebatius responderunt, quia reddere eam magis quam dare videretur. ego puto, si peculiares nummi fuerunt, ex testamento eum liberum futurum.*

84. D. ibid. § 3. — *⟨Cum ita quis scripisset⟩ 'Dama*

1 *Trib.* statu libertate.

servus cum heredi meo annorum septem operas solverit, liber esto' et is servus intra septem annos in iudicio publico esset et septimus annus praeterisset, Servius ait eum non liberari debere, Labeo, et si postea solvisset annorum septem operas, liberum futurum. quod verum est.

85. D. ibid § 4. — *'Si Stichus Attiae mille nummos dederit, liber esto'. Attia vivo testatore decessit: non posse Stichum liberum esse Labeo Ofilius responderunt; Trebatius, si ante testamentum factum Attia decessisset, idem; si postea, eum liberum futurum. Labeonis et Ofilii sententia rationem quidem habet, sed hoc iure utimur, ut is servus ex testamento liber sit.*

86. D. ibid. § 5. — *Si servus operas [extraneo] dare iussus esset, ⟨extraneus⟩ nullus nomine servi suas operas dando liberare servum potest. quod in pecunia aliter observatur, utpote cum extraneus pro eo [servo] dando pecuniam servum liberaret.*

87. D. 40, 1, 26. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — *Servum furiosum omni genere manumissum ad libertatem perduci putat posse Labeo.*

De liberali causa.

88. D. 40, 12, 42. Labeo libro quarto posteriorum.[1] — Si servus quem emeras ad libertatem proclamarit et ab iudice perperam pro eo iudicatum est et dominus eius servi post rem contra te iudicatam te heredem fecit aut alio quo nomine is tuus esse coepisset, petere eum tuum esse poteris nec tibi obstabit rei iudicatae praescriptio. Iavolenus: haec vera sunt.

Iavoleni orationem Tribonianus videtur mutasse.

De emptione venditione.

De hereditate vendita.

89. D. 18, 4, 24. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Hereditatem Cornelii ven-*

1 sc. a Iavoleno epitomatorum.

iddisti. deinde Attius, cui a te herede Cornelius legaverat, priusquam legatum ab emptore perciperet, te fecit heredem: recte puto ex vendito te acturum ut tibi praestetur, quia ideo eo minus hereditas venierit, ut id legatum praestaret emptor, nec quicquam intersit, utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita sit, an legatario.

90. D. 18, 4, 2, 17. Ulpianus libro quadragensimo nono ad Sabinum. — . . si funere facto heres vendidisset hereditatem, an impensam funeris ab emptore consequatur. et ait Labeo emptorem impensam funeris praestare debere, quia et ea, inquit, impensa hereditaria esset, cuius sententiam Iavolenus putat veram.

De fundo vendito.

91. D. 8, 1, 19. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Ei fundo, quem quis vendat, servitutem imponi, et si* ⟨*ipsi*⟩ *non utilis sit, posse existimo, veluti si aquam alicui deducere non expediret, nihilo minus constitui ea servitus possit; quaedam enim* deducendo *habere possumus, quamvis ea nobis utilia non sunt.*

92. D. 18, 1, 77. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — *In lege fundi vendundi lapidicinae in eo fundo ubique essent exceptae erant, et post multum temporis in eo fundo repertae erant lapidicinae. eas quoque venditoris esse Tubero respondit; Labeo referre quid actum sit; si non appareat, non videri eas lapidicinas esse exceptas; neminem enim nec vendere nec excipere quod non sit, et lapidicinas nullas esse, nisi quae apparent et caedantur. aliter interpretantibus totum fundum lapidicinarum fore, si forte toto eo sub terra esset lapis. hoc probo.*

93. D. 18, 1, 78 pr. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Fistulas emptori accessuras in lege dictum erat. quaerebatur, an castellum, ex quo fistulis aqua duceretur, accederet. respondi apparere id actum esse, ut id quoque accederet, licet scriptura non continetur.*

94. D. ibid. § 1. — *Fundum ab eo emisti, cuius filii postea tutelam administras, nec vacuam accepisti possessionem. dixi tradere te tibi possessionem hoc modo posse, ut pupillus et familia eius decedat de fundo, tunc demum tu ingrediaris possessionem.*

95. D. ibid. § 2. — *Qui fundum ea lege emerat, ut soluta pecunia traderetur ei possessio, duobus heredibus relictis decessit. si unus omnem pecuniam solverit, partem familiae herciscundae iudicio servabit; nec, si partem solvat, ex empto cum venditore aget, quoniam ita contractum aes alienum dividi non potuit.*

96. D. ibid. § 3. — *Frumenta quae in herbis erant cum vendidisses, dixisti te, si quid vi aut tempestate factum esset, praestaturum. ea frumenta nives corruperunt; si immoderatae fuerunt et contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit.*

De emptore liberato.

97. D. 19, 1, 50. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Bona fides non patitur, ut, cum emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei venditae debere desisset antequam res ei tradatur, venditor tradere compellatur et re sua careret. possessione autem tradita futurum est, ut rem ⟨et pecuniam⟩ venditor aeque amitteret, utpote cum petenti eam rem ⟨emptor exceptionem rei venditae et traditae opponere possit nec perinde sit, quasi eam rem⟩ petitor ei neque vendidisset neque tradidisset.*

De locatione conductione.

De domu locata.

98. D. 19, 2, 28. Labeo libro quarto posteriorum epitomatorum a Iavoleno. — *Quod si domi habitatione conductor aeque usus fuisset,* partis[1] *etiam eius domus mercedem, quae vitium fecisset, deberi putat.*

1 *Fl.* praestaturum.

99. D. ibid. § 1. — *Idem iuris esse, si potestatem conducendi habebat, ut* ei[1] *pretium conductionis praestaret. sed si locator conductori potestatem conducendae domus non fecisset et is in qua habitaret conduxisset, tantum ei praestandum putat, quantum sine dolo malo praestitisset. ceterum si gratuitam habitationem habuisset, pro portione temporis ex locatione domus deducendum esse.*

De insula locata.

100. D. 19, 2, 58 pr. — Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Insulam uno pretio totam locasti et eam vendidisti ita, ut emptori mercedes inquilinorum accederent. quamvis eam conductor maiore pretio locaret, tamen id emptori accedit, quod tibi conductor debeat.*

De operis locatione.

101. D. ibid. § 1. — *In operis locatione non erat dictum, ante quam diem effici deberet; deinde, si ita factum non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat. eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de spatio temporis aestimasset, quia id actum apparet esse, ut eo spatio absolveretur, sine quo fieri non possit.*

102. D. ibid. § 2. — *Quidam in municipio balineum praestandum annuis viginti numm*um[2] *conduxerat et ad refectionem fornacis fistularum similiumque rerum centum numm*um[3] *ut praestarentur ei, convenerat. conductor centum nummos petebat. ita ei deberi dico, si in earum rerum refectionem eam pecuniam impendi satisdaret.*

Liber V.

De emptione venditione.

De fundo empto.

103. D. 19, 1, 51, 1. Idem (sc. Labeo) libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — . . *si*

1 *Fl.* uti. 2 *Trib.* nummis. 3 *Trib.* nummi.

fundum emisti ea lege, uti des pecuniam kalendis Iuliis, et si ipsis calendis per venditorem esset factum, quo minus pecunia ei solveretur, deinde per te staret quo minus solveres, uti posse adversus te lege sua venditorem dixi, quia in vendendo hoc ageretur, ut, quandoque per emptorem factum sit, quo minus pecuniam solvat, legis poenam patiatur. hoc [ita] verum puto[, nisi si quid in ea re venditor dolo fecit].

104. D. 18, 1, 79. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *Fundi partem dimidiam ea lege vendidisti, ut emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo et Trebatius negant posse ex vendito agi, ut id quod convenerit fiat. ego contra puto, si modo ideo vilius fundum vendidisti, ut haec tibi conductio praestaretur; nam hoc ipsum pretium fundi videretur, quod eo pacto venditus fuerat, eoque iure utimur.*

105. D. 18, 1, 80 pr. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum manu sata in venditione fundi excipiuntur, non quae in perpetuo sata sunt excipi vide[re]ntur, sed quae singulis annis seri solent, ita ut fructus eorum tollatur; nam aliter interpretantibus vites et arbores omnes exceptae videbuntur.*

106. D. 33, 2, 42. Idem (sc. Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *In fructu id esse intellegitur, quod ad usum hominis inductum est; neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quo magis colono dominove eum fructum tollere expedit. itaque cum olea immatura plus habeat reditus, quam si matura legatur, non potest videri, si immatura lecta est, in fructu non esse.*

De iure fundi aediumve empto.

107. D. 8, 1, 20. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *Quotiens via aut aliud*[1] *ius*

1 *Fl.* aliquid.

fundi emeretur, cavendum putat esse Labeo per te non fieri, quo minus eo iure uti possit, quia nulla eiusmodi iuris vacua traditio esset. ego puto usum eius iuris pro traditione possessionis accipiendum esse ideoque et interdicta veluti possessoria constituta sunt.

108. D. 18, 1, 80, 1. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Huius rei emptionem posse fieri dixi: 'quae ex meis aedibus in tuas aedes proiecta sunt, ut ea mihi ita habere liceat', deque ea re ex empto agi.*

De silva caedua vendita.

109. D. ibid. § 2. — *Silva caedua in quinquennium venierat. quaerebatur, cum glans decidisset, utrius esset. scio Servium respondisse, primum sequendum esse quod appareret actum esse; quod si in obscuro esset, quaecumque glans ex his arboribus quae caesae non essent cecidisset, venditoris esse, eam autem, quae in arboribus fuisset eo tempore cum haec caederentur, emptoris.*

De venditae rei traditione.

110. D. ibid. § 3. — *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat, sed hoc aut locatio est aut aliud genus contractus.*

111. D. 41, 2, 51. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *Quarundam rerum animo possessionem apisci nos ait Labeo, veluti si acervum lignorum emero et eum venditor tollere me iusserit, simul atque custodiam posuissem, traditus mihi videtur. idem iuris esse vino vendito, cum universae amphorae vini simul essent. sed videamus, inquit, ne haec ipsa corporis traditio sit, quia nihil interest, utrum mihi an et cuilibet iusserim custodia tradatur. in eo puto hanc quaestionem consistere, an, etiamsi corpore acervus aut amphorae adprehensae non sunt, nihilo minus traditae videantur; nihil video interesse, utrum ipse acervum an mandato meo aliquis custodiat; utrubique animi quodam genere possessio erit aestimanda.*

112. D. 19, 1, 51 pr. Idem (sc. Iavolenus) libro quinto posteriorum a Iavoleno empitomatorum. — *Si et per emptorem et venditorem mora fuisset, quo minus vinum probaretur et traderetur, perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset; non enim potest videri mora per venditorem emptori facta esse ipso moram faciente emptore.*

De locatione conductione.

De fundo locato.

113. D. 20, 6, 14. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum colono tibi convenit, ut invecta importata pignori essent, donec merces tibi soluta aut ⟨eo nomine?⟩ satisfactum esset; deinde mercedis nomine fideiussorem a colono accepisti. satisfactum tibi videri existimo et ideo illata pignori esse desisse.*

114. D. 19, 2, 60, 5. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Messem in spicis* cessa*nte*[1] *colono, cum alienam esse non ignorares, sustulisti. condicere tibi frumentum dominum posse Labeo ait, et ut id faciat, colonum ex conducto cum domino acturum.*

115. D. ibid. § 1. — *Heredem coloni, quamvis colonus non est, nihilo minus domino possidere existimo.*

De aedibus locatis.

116. D. 19, 2, 60 pr. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Cum in plures annos domus locata est, praestare locator debet, ut non solum habitare conductor ex calendis* Iuliis *cuiusque anni, sed etiam locare habitatori si velit suo tempore possit. itaque si ea domus ex kalendis Ianuariis fulta in kalendas I*ulias *permansisset, ita ut nec habitare quisquam nec ostendere alicui posset, nihil locatori conductorem prae-*

1 *Fl.* inspiciente.

staturum, adeo ut nec cogi quidem posset ex kalendis Iuliis refecta domu habitare[, nisi si paratus fuisset locator commodam domum ei ad habitandum dare].

Eisele Z. d. Sav.-St. X p. 312.

117. D. 33, 7, 26 pr. Idem (sc. Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, et in his viridiaria posita aedium esse Labeo Trebatius putant. ita id verum puto, si ita illigata sint aedibus, ut ibi perpetuo posita sint.*

117a. D. ibid. § 1. — *Molas manuarias quidem suppellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait. Labeo Cascellius Trebatius neutras suppellectilis, sed potius instrumenti putant esse, quod verum puto.*

118. D. 33, 10, 11. Idem (sc. Iavolenus) libro decimo (? quinto?) ex posterioribus Labeonis. — *Vasa aenea salientis aquae posita, item si quid aliud magis deliciarum quam usus causa paratum esset, non esse suppellectilis Labeo Trebatius putant. murrea autem vasa et vitrea, quae ad usum edendi et bibendi causa parata essent, in suppellectili dicuntur esse.*

Fragmentum utrum de domo cum suppellectile vendita an de locata sit, nescio; at pro decimo (X) potius quinto (V) scribendum videtur.

De horreo locato.

119. D. 19, 2, 60, 6. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Locator horrei propositum habuit se aurum argentum margaritam non recipere suo periculo; deinde cum sciret has res inferri, passus est. proinde eum futurum tibi obligatum dixi, ac si ⟨propositum non habuisset, quoniam quod⟩ propositum fuit, remissum videtur.*

120. D. ibid. § 9. — *Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus praestare deberet, locatorem totorum horreorum horreario praestare non debere puto[, nisi si in locando aliter convenerit].*

De servo mulione vel vehiculo conducto.

121. D. 19, 2, 60, 7. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Servum meum mulionem conduxisti; neglegentia eius mulus tuus perit. si ipse se locasset, ex peculio dumtaxat et in rem verso me damnum tibi praestaturum dico; sin autem ipse eum locassem, non ultra me tibi praestaturum, quam dolum malum et culpam meam abesse. quod si sine definitione personae mulionem a me conduxisti et ego eum tibi dedissem, cuius neglegentia iumentum perierit, illam quoque culpam me tibi praestaturum aio, quod eum elegissem, qui eiusmodi damno te adficeret.*

122. D. ibid. § 8. — *Vehiculum conduxisti, ut onus tuum portaret et seorsum iter faceret. id cum pontem transiret, redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat. quaerebatur, an etiam pro ipsa sola reda portorium daturus fuerit. puto, si mulio non ignoravit ea se transiturum, cum vehiculum locaret, mulionem praestare debere.*

De domu vel villa facienda locata.

123. D. 19, 2, 59. Iavolenus libro quinto Labeonis posteriorum. — *Marcius domum faciendam a Flacco conduxerat; deinde operis parte effecta terrae motu concussum erat aedificium. Massurius Sabinus, si vi naturali, veluti terrae motu hoc acciderit, Flacci esse periculum.*

124. D. 19, 2, 60, 3. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Lege dicta domus facienda locata erat ita, ut probatio aut improbatio locatoris aut heredis eius esset. redemptor ex voluntate locatoris quaedam in opere permutaverat. respondi opus quidem ex lege dicta non videri factum, sed quoniam ex voluntate locatoris permutatum esset, redemptorem absolvi debere.*

125. D. ibid. § 4. — *Mandavi tibi, ut excuteres, quanti villam aedificare velles. renuntiasti mihi ducentorum impensam ⟨te⟩ excutere. certa mercede opus tibi*

locavi, postea comperi non posse minoris trecentorum eam villam constare. data autem tibi erant centum, ex quibus cum partem impendisses, vetui te opus facere. dixi, si opus facere perseveraveris, ex locato tecum ⟨me⟩ agere, ut pecuniae mihi reliquum restituas.

De vestimentis poliendis locatis.

126. D. 19, 2, 60, 2. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Vestimenta tua fullo perdidit et habes unde petas nec repetere vis. agis nihilo minus ex locato cum fullone, sed iudicem aestimaturum, an possis adversus furem magis agere et ab eo tuas res consequi fullonis videlicet sumptibus; sed si hoc tibi impossibile esse perspexerit, tunc fullonem quidem tibi condemnabit, tuas autem actiones te ei praestare compellet.*

Liber VI.

De commodato?

127. D. 9, 2, 57. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *Equum tibi commodavi. in eo tu cum equitares et una complures equitarent, unus ex his irruit in equum teque deiecit et eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum ullam actionem esse, sed si equitis culpa factum esset, cum equite; sane non cum equi domino agi posse. verum puto.*

De deposito?

128. D. 16, 3, 33. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Servus tuus pecuniam cum Attio in sequestre deposuit apud Maevium ea condicione, ut ea tibi redderetur, si tuam esse probasses; si minus, ut Attio redderetur. posse dixi cum eo, apud quem deposita esset, incerti agere[, id est ad exhibendum?] et exhibitam vindicare, quia servus in deponendo tuum ius deterius facere non potuisset.*

De mandato?

129. D. 3, 5, 42. Labeo libro sexto posteriorum epitomatorum a Iavoleno. — *Cum pecuniam eius nomine solveres, qui tibi nihil mandaverat, negotiorum gestorum actio tibi competit, cum ea solutione debitor a creditore liberatus sit[, nisi si quid debitoris interfuit eam pecuniam non solvi].*

De societate?

130. D. 17, 2, 84. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quotiens iussu alicuius vel cum filio eius vel cum extraneo societas coitur, directo cum illius persona agi posse, cuius persona in contrahenda societate spectata sit.*

De iure dotium.

131. D. 23, 3, 79 pr. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Avus neptis nomine filio natae genero dotem dedit et moritur. negat Servius dotem ad patrem reverti et ego cum Servio sentio, quia non potest videri ab eo profecta, quia nihil ex his (? qui nihil exheres?) sui habuisset.*

132. D. ibid. § 1. — *Pater filiae nomine centum doti ita* dixit[1] '*cum commodissimum esset*'. *Ateius scripsit Servium respondisse, cum primum sine turpitudine et infamia dari possit, deberi.*

Apud Labeonem quoque II 1, p. 203 de hoc fragmento dicendum erat.

133. D. 23, 3, 80. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *Si debitor mulieris dotem sponso promiserit (dixerit?), posse mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere neque eo nomine postea debitorem viro obligatum futurum ait Labeo. falsum est, quia ea promissio in pendenti esset, donec obligatio in ea causa est.*

cf. II, 1 p. 164.

1 *Trib.* promisit.

134. D. 23, 4, 32 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *Uxor viro fundum aestimatum centum in dotem dederat, deinde cum viro pactum conventum fecerat, ut divortio facto eodem pretio uxori vir fundum restitueret; postea volente uxore vir eum fundum ducentorum vendiderat, et divortium erat factum. Labeo putat viro potestatem fieri debere, utrum velit ducenta vel fundum reddere[, neque ei pactum conventum remitti oportere]. idcirco puto hoc Labeonem respondisse, quoniam voluntate mulieris fundus veniit. alioquin omnimodo fundus erat restituendus.*

135. D. ibid. § 1. — *Si pater filiae nomine certam pecuniam in dotem promiserat* (*? dixerat?*) *et pactus est, ne invitus eam solveret: nihil ab eo exigendum puto, quia id, quod pacto convento ne invitus exigeretur convenerit, in dotis causam esse non videretur.*

136. D. 23, 5, 18 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat. divortio facto quaeritur, marmor quod caesum neque exportatum esset cuius esset et impensam in lapidicinas factam mulier an vir praestare deberet. Labeo marmor viri esse ait; ceterum viro negat quidquam praestandum esse a muliere, quia nec necessaria ea impensa esset et fundus deterior esset factus. ego non tantum necessarias, sed etiam utiles impensas praestandas a muliere existimo nec puto fundum deteriorem esse, si tales sunt lapidicinae, in quibus lapis crescere possit.*

137. D. ibid. § 1. — *Si per mulierem mora fieret, quo minus aestimationem partis fundi viro solveret et fundum reciperet, cum hoc pactum erat. fructus interim perceptos ad virum pertinere ait Labeo. puto potius pro portione fructus virum habiturum, reliquos mulieri restituturum; quo iure utimur.*

138. D. 24, 1, 64. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *Vir mulieri divortio facto quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur. mulier reversa erat, deinde divortium fecerat. Labeo: Trebatius inter Teren-*

tiam et Maecenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem, si simulatum, contra. sed verum est, quod Proculus et Caecilius putant, tunc verum esse divortium et valere donationem [divortii causa factam], si aliae nuptiae insecutae sunt aut tam longo tempore vidua fuisset, ut dubium non foret alterum esse matrimonium; alias nec donationem ullius esse momenti futuram.

139. D. 24, 1, 65. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quod vir ei, quae nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo.*

140. D. 24, 3, 66 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *In his rebus, quas praeter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum et culpam eum praestare oportere Servius ait. ea sententia Publii Mucii est; nam is in Licinnia Gracchi uxore [statuit], quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent, ait, quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinniae praestari oportere.*

141. D. ibid. § 1. — *Servis uxoris vir nummos in vestiarium dederat, quo parato deinde intra annum divortium intercesserat. placuit Labeoni Trebatio, qualia vestimenta post divortium essent, talia viro reddi; idem iuris futurum fuisse, si ipsa vestimenta vir emisset et servis dedisset [quod si vestimenta non redderentur, tum virum pretium in dote compensaturum].*

142. D. ibid. § 2. — *Filia familias divortio facto dotem patri reddi iusserat; deinde parte dotis persoluta pater decesserat. reliquam partem, si nec delegata nec promissa [novandi animo] patri fuisset, mulieri solvi debere Labeo Trebatius putant, idque verum est.*

143. D. ibid. § 3. — *Mancipia in dotem aestimata accepisti. pactum conventum deinde factum est, ut divortio facto tantidem aestimata redderes nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est. manebit, inquit Labeo, partus tuus, quia is pro periculo mancipiorum penes te esse deberet.*

144. D. ibid. § 4. — *Mulier, quae centum dotis*

apud virum habebat, divortio facto ducenta a viro errante stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi, sive prudens mulier plus esset stipulata sive imprudens. Labeonis sententiam probo.

145. D. ibid. § 5. — *Uxor divortio facto partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat, deinde alii nupserat et iterum vidua facta ad priorem virum redierat, cui centum* denuo[1] *doti dederat neque eius pecuniae, quae reliqua ex priore dote erat, mentionem fecerat. divortio facto reliquum ex priore dote iisdem diebus virum redditurum ait Labeo, quibus reddidisset, si superius divortium inter eos factum non esset, quoniam prioris dotis causa in sequentem dotis obligationem esset translata; et hoc verum puto.*

146. D. ibid. § 6. — *Si vir socero iniussu uxoris manente matrimonio dotem acceptam fecisset, etiamsi id propter egestatem soceri factum esset, viri tamen periculum futurum ait Labeo, et hoc verum est.*

147. D. ibid. § 7. — *Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde herede muliere relicta decesserit, qua ex parte mulier ei heres esset, pro ea parte dotis periculum, quod viri fuisset, ad mulierem pertinere ait Labeo, quia nec melius aequius esset, quod exigere vir ab uxore non potuisset, ob id ex detrimento viri mulierem locupletari; et hoc verum puto.*

Liber VII.

Iavolenum hoc libro vel iterum de iure dotium vel de tutelis dixisse satis certum videtur.

Liber VIII.

De tutelis.

148. D. 26, 2, 33. Iavolenus libro octavo ex posterioribus Labeonis. — *Tutoribus ita datis: 'Lucium*

1 *Fl.* decem.

itium tutorem do. si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do' Titius vixerat et tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo contra, Proculus quod Labeo. ego Trebatii sententiam probo, quia illa verba ad mortis tempus referuntur.

Liber IX.

De furtis.

149. D. 47, 2, 91 pr. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — *Fullo actione locati de domino liberatus est. negat eum furti recte acturum Labeo. item si furti egisset, priusquam ex locato cum eo ageretur et, antequam de furto iudicaretur, locati actione liberatus esset, et fur ab eo absolvi debet. quod si nihil eorum ante accidisset, furem ei condemnari oportere. haec idcirco, quoniam furti eatenus habet actionem, quatenus eius interest.*

150. D. ibid. § 1. — *Nemo opem aut consilium alii praestare potest, qui ipse furti faciendi consilium capere non potest.*

151. D. 49, 15, 27. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — *Latrones tibi servum eripuerant. postea is servus ad Germanos pervenerat; inde in bello victis Germanis servus venierat. negant posse usucapi eum ab emptore Labeo Ofilius Trebatius, quia verum esset eum subreptum esse, nec quod hostium fuisset aut postliminio redisset, ei rei impedimento esse.*

De lege Aquilia.

152. D. 19, 2, 57. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — *Qui domum habebat, aream iniunctam ei domui vicino proximo locaverat. is vicinus cum aedificaret in suo, terram in eam aream* iuxta[1] *quam fundamenta caementicia locatoris erant congessit,*

1 *Fl.* amplius.

et ea terra adsiduis pluviis inundata, ita pariete eius qui locaverat umore praestituto madefacto, aedificia corruerunt. Labeo ex locato tantummodo actionem esse ait, quia non ipsa congestio, sed umor ex ea congestione postea damno fuerit, damni autem iniuriae actio ob ea ipsa sit, per quae, non extrinsecus alia causa oblata, damno quis adfectus est. hoc probo.

De iniuriis.

153. D. 47, 10, 44. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — *Si inferiorum dominus aedium ⟨aedibus⟩ superioris vicini fumigandi causa fumum faceret, aut si superior vicinus in inferiores aedes quid aut proiecerit aut infuderit, negat Labeo iniuriarum agi posse. quod falsum puto, si tamen iniuriae faciendae causa inmittitur.*

cf. Pernice II[2], p. 36 n. 5.

Liber X.

De extraordinariis quibusdam delictis privatis?

154. D. 46, 1, 46. Iavolenus libro decimo ex posterioribus Labeonis. — *Cum lex venditionibus occurrere voluerit, fideiussor quoque liberatur, eo magis quod per eiusmodi actionem ad reum pervenitur.*

Quod de 'lege' dictum est, ad ea quoque quae legis vicem habere creduntur, id est ad principis constitutionem vel senatus consultum pertinere Iavolenum statuisse ratus et edictum divi Augusti, quo rei litigiosae emptionem nullius momenti esse statuitur (fr. de iure fisci § 8) et senatus consultum illud de aedificiis non diruendis Cn. Hosidio Geta L. Vagellio cos. (a. 44—46) factum, quod quasdam aedificiorum venditiones 'irritas fieri' vult (Bruns font. p. 190 sq.), aliasque similes 'leges' Iavolenum explicasse putaverim. quae coniectura hac re commendatur, quod ita probabilis rerum conexus conspicitur; nam qui rem liti-

giosam a non possidente comparavit, 'poenam quinquaginta sestertiorum fisco repraesentare', qui aedificium negotiandi causa emit, ut diruendo plus adquireret quam quanti emisset, 'duplam pecuniam, qua mercatus eam rem est, in aerarium inferre cogitur'.

Ceterum Iavoleni verba a Triboniani adiutore male in breve coacta esse apparet.

IV. Ex Cassio libri XV.

Iavoleni 'ex Cassio' librorum memoria et indice Florent. et fragmentis in Iustiniani Digestis extantibus servatur. hos libros, quos ex Cassii iuris civilis libris a Iavoleno factos esse satis apparet, ut Pomponius Paulus Ulpianus commentarios quos ad Sabini iuris civilis libros composuerunt, simpliciter 'ad Sabinum' libros inscripserunt, ita Iavolenus pro libris ex Cassii iuris civilis libris factis breviter 'ex Cassio' libros nominavit. affert autem nonnunquam diserte quod 'in commentariis Gaii' vel 'in libris Gaii' vel 'in libris Gaii Cassii' scriptum est (D. 35, 1, 54. 40, 7, 28, 1. 46, 3, 78). post libros de iure civili, id quod Lenel conicit, singulares quoque Cassii libros in hanc epitomam esse redactos non puto.

Ex epitomae fragmentis quae satis multa, sed pleraque brevissima servata sunt, de librorum indole parum colligi potest; illud unum apparet, Iavolenum non solum excerpsisse Cassii libros, sed suas quoque notas adiecisse. at cum Iavoleni verba a Triboniano non raro mutata sint, Cassii a Iavoleni sententiis vix dinoscuntur.

Res de quibus sermo est, fere omnes ad ius civile spectant. ad ius praetorium illa tantum pertinent, quibus de peculio et de in rem verso agitur.

Rerum ordo a Iavoleno statutus aliquatenus quidem cognoscitur: libro enim I de testamentis, libro II de legatis, libro IV de dotibus, libro V de tutelis, libro VII de emptione venditione, libro X de servitutibus, libro XII de peculio et de in rem verso, libro XIII de interdictis,

libro XV de furtis dictum fuisse apparet. alia sunt plane incerta; fortasse in nonnullorum fragmentorum inscriptionibus librorum numeri corrupti sunt. ubicumque de conexu nihil certi erui potest, fragmenta ita disposui, ut res commode exhibeantur.

Liber I.

De testamentis.

Qui testamenta facere possunt.

1? D. 28, 2, 6pr. Ulpianus libro tertio ad Sabinum. — . . est quaesitum, an is qui generare facile non possit, postumum heredem facere possit, et scribit Cassius et Iavolenus posse; nam et uxorem ducere et adoptare potest; spadonem quoque posse postumum heredem scribere et Labeo et Cassius scribunt, quoniam nec aetas nec sterilitas ei rei impedimento est.

De heredibus instituendis.

2. D. 28, 5, 14. Iavolenus libro primo ex Cassio. — *Si quis heredes ita instituit: 'Titius ex parte prima, Seius ex parte secunda, Maevius ex parte tertia, Sulpicius ex parte quarta heredes sunto', aequae partes hereditatis ad institutos pertinebunt, quia testator appellatione numeris scripturae magis ordinem, quam modum partibus imposuisse videtur.*

3. D. 28, 5, 64. Iavolenus libro primo ex Cassio. — *Heredes sine partibus utrum coniunctim an separatim scribantur, hoc interest, quod, si quis ex coniunctis decessit, non ad omnes, sed ad reliquos qui coniuncti erant pertinet; sin autem ex separatis, ad omnes, qui testamento eodem scripti sunt heredes, portio eius pertinet.*

4. D. 28, 2, 5. Iavolenus libro primo ex Cassio. — *ideoque qui postumum heredem instituit si post testamentum factum mutavit matrimonium, is institutus videtur, qui ex posteriore matrimonio natus est.*

De legatis.

De fundo legato?

5. D. 33, 7, 11. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Eadem ratio est in avibus, quae in insulis maritimis aluntur.*

cf. Cass. D. 7, 1, 9, 5 (II, 1 p. 44.).

De servo legato.

6. D. 31, 37. Iavolenus libro primo ex Cassio. — *Qui testamento inutiliter manumissus est legari eodem testamento potest, quia totiens efficacior est libertas legato, quotiens utiliter data est.*

Liber II.

De legatis.

De servo legato.

7. D. 33, 5, 14. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Si, cum optio servi ex universa familia legata esset, heres aliquem priusquam optaretur manumisit, ad libertatem eum interim non perducit, servum tamen quem ita manumiserit amittit, quia is aut electus legato cedit aut relictus tunc liber ostenditur.*

8. D. 31, 38. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo ex Cassio. — *Quod servus legatus ante aditam hereditatem adquisiit, hereditati adquirit.*

De servi peculio legato.

9. D. 33, 8, 17. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Qui peculium servi legaverat, iudicium eo nomine acceperat, deinde decesserat. placuit non aliter peculium ex causa legati praestari, quam si de accepto iudicio heredi caveretur.*

De alimentis legatis.

10. D. 34, 1, 6. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Legatis alimentis cibaria et vestitus et habitatio de-*

bebitur, quia sine his ali corpus non potest. cetera quae ad disciplinam pertinent legato non continentur.

De legatis iis quae Romae sunt.

11. D. 32, 84. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Cui quae Romae essent legata sunt, ei etiam quae custodiae causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur.*

De legatis sub condicione relictis.

12. D. 35, 1, 68. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — Si ita legatum esset ⟨...⟩ 'cum nubserit', si nupta fuerit et hoc testator scisset, alterum matrimonium *esse*[1] exspectandum nihilque *interesse*[2], utrum vivo testatore an post mortem ea iterum nubserit.

13. D. 35, 1, 54 pr. Iavolenus libro secundo ex Cassio. — *Si quis legata, quibus dies adposita non esset, annua bima trima die dari iussit et alicui, 'cum pubes esset', pecuniam legavit, id quoque legatum annua bima trima die post pubertatem praestandum esse in commentariis Gaii scriptum est, quia magis condicio quam dies legato adiecta esset. contra ego sentio, quia fere dies ponitur ad proroganda ea, quae ad praesens tempus, non etiam quae in futurum legata sunt, diesque pubertatis habet aliquam temporis demonstrationem.*

14. D. ibid. § 1. — *Duobus eadem res, si heredi centum dedissent, legata est. si alter ex his quinquaginta dederit, partem legati consequetur et pars eius, qui non dederit, alteri cum sua condicione adcrescit.*

Liber III.

De legatis.

De area legata.

15. D. 31, 39. Idem (sc. Iavolenus) libro tertio ex Cassio. — *Si areae legatae post testamentum factum*

1 *Trib.* erit. 2 *Trib.* intererit.

aedificium impositum est, utrumque debebitur et solum et superficium.

De hereditate vendita?

16. D. 5, 3, 48. Iavolenus libro tertio ex Cassio. — *In aestimationibus hereditatis ita venit pretium venditae hereditatis, ut id quoque accedat, quod plus fuit in hereditate, si ea negotiationis causa veniit; sin autem ex fideicommissi causa, nihil amplius quam quod bona fide accepit.*

De hereditate liberti.

17. D. 38, 2, 34. Iavolenus libro tertio ex Cassio. — *Si libertus, cum duos patronos haberet, alterum praeteriit, alterum ex semisse fecit heredem et alteri extraneo semissem dereliquit, scriptus quidem patronus* quadrantem[1] *immunem habet; de cetera autem parte patroni, quae supra debitum ei relicta est, et de semisse extraneo relicto alteri patrono pro rata portione satisfieri oportet.*

Liber IV.

De iure dotium.

18. D. 23, 4, 1 pr. Iavolenus libro quarto ex Cassio. — *Pacisci post nuptias, etiamsi nihil ante convenerit, licet.*

19. D. ibid. § 1. — *Pacta quae de reddenda dote fiunt, inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem et a quibus repeti potest, ne ei, qui non interfuit, apud arbitrum cognoscentem pactum non prosit.*

20. D. 23, 3, 64. Iavolenus libro quarto ex Cassio. — *Post divortium mulier si de dote [maritus] nihil cavit et, cum alii nupsisset, postea ad priorem virum rediit, tacite dos ei redintegratur.*

Liber V.

De tutelis.

21. D. 26, 2, 24. Iavolenus libro quinto ex Cassio. — *Si plures tutores sint, a praetore* tu*torem*[2] *posci litis*

1 *Trib.* debitam sibi partem. 2 *Trib.* curatorem.

causa supervacuum est, quia altero auctore cum altero agi potest.

22. D. 34, 5, 22. Iavolenus libro quinto ex Cassio. — *Cum pubere filio mater naufragio periit. cum explorari non possit, uter prior exstinctus sit, humanius est credere filium diutius vixisse.*

Liber VI.

Hoc libro de alieni iuris personis Iavolenus videtur egisse. dixit certe et de patria potestate et de libertis, ita ut manumissionum genera explicaret et de operis libertorum verba faceret. D. 2, 1, 2, quod fragmentum Lenel suspicatur ad caput de censu manumissis pertinere, potius ad vindicta manumissos referendum est. de iustae et legitimae manumissionis generibus Iavolenum eodem ordine, quo Gaium Inst. 1, 17. 138 ('vindicta aut censu aut testamento'), dixisse, licet existimare.

De his qui alieni iuris sunt?

De patria potestate.

23. D. 1, 7, 16. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Adoptio enim in his personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere.*

De vindicta manumissis.

24. D. 2, 1, 2. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.*

De censu manumissis.

25. D. 50, 16, 111. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *'Censere' est constituere et praecipere. unde etiam dicere solemus 'censeo hoc facias' et 'semet aliquid censuisse'. inde censoris nomen videtur esse tractum.*

De testamento manumissis.

26. D. 40, 7, 28 pr. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Si hereditas eius, qui servum, intra dies triginta mortis suae si rationes reddidisset, liberum esse iusserat, post dies triginta adita est, iure quidem stricto ita manumissus liber esse non potest, quoniam condicione deficitur; sed favor libertatis eo rem perduxit, ut respondeatur expletam condicionem, si per eum, cui data esset, non staret quo minus expleretur.*

De statu liberis.

27. D. ibid. § 1. — *Statuliber, antequam condicio libertatis optigerit, si quid comparasset, peculio legato non cessurum in libris Gaii Cassii scriptum est, nisi id legatum in tempus libertatis collatum esset. videamus, ne, cum peculium et accessionem et decessionem habeat, augmentum quoque eius peculii, si modo ab herede ei ablatum non sit, legato cessurum sit; et magis hoc iure utimur.*

De operis libertorum.

28. D. 38, 1, 21. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Operae enim [loco] edi debent ubi patronus moratur, sumptu scilicet et vectura patroni.*

29. D. 38, 1, 33. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Imponi operae ita, ut ipse libertus se alat, non possunt.*

?

30. D. 50, 4, 12. Iavolenus libro sexto ex Cassio. — *Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei, ne magistratus fiat, quia id ad honorem magis quam ad munera pertinet. cetera omnia, quae ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum, ab huiusmodi persona exigenda non sunt.*

Liber VII.

Hoc libro inprimis de emptione venditione et de adquirendo rerum dominio dictum fuisse Lenel existimat. at cum libro demum XI de iis, quae occupando adquiruntur sermo videatur fuisse, et libro VII non generaliter de adquirendo rerum dominio, sed tantum de traditione et usucapione dictum fuisse appareat, Iavolenum, cum mancipatio neglegi non posset, re vera de hac dixisse putandum est, quod vel inde elucet, quod in capite de emptione venditione tantummodo fundus, aedes vel aedificia et servus nominantur. ei capiti quod de emptione venditione est, mandatum quoque emendi additum videtur.

De (mancipatione,) traditione et usucapione.

31. D. 41, 2, 21 pr. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — *Interdum eius possessionem, cuius ipsi non habemus, alii tradere possumus, veluti cum is, qui pro herede rem possidebat, antequam dominus fieret, precario ab herede eam rogavit.*

32. D. ibid. § 1. — *Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito.*

33. D. ibid. § 2. — *Idem iuris esse existimo in his rebus, quae iactae sunt, quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est.*

34. D. ibid. § 2. — *Qui alienam rem precario rogavit, si eandem a domino conduxit, possessio ad dominum revertitur.*

35. D. 41, 8, 7. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — *Nemo potest legatorum nomine usucapere nisi is, cum quo testamenti factio est, quia ea possessio ex iure testamenti proficiscitur.*

36. D. 41, 8, 5. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — *Ea res, quae legati nomine tradita est, quamvis dominus eius vivat, legatorum tamen nomine usucapietur.*

De emptione venditione et de mandato emendi.

De fundi emendi mandato.

37. D. 17,1,36 pr. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — (D. 17, 1, 35. Neratius libro quinto Membranarum. Si fundum, qui ex parte tuus est, mandavi tibi ut emeres mihi, verum est mandatum posse ita consistere, ut mihi ceteris partibus redemptis etiam tuam partem praestare debeas. sed si quidem certo pretio emendas eas mandaverim, quanticumque aliorum partes redemeris, sic et tua pars coartabitur, ut non abundet mandati quantitatem, in quam tibi emendum totum mandavi. sin autem nullo certo pretio constituto emere tibi mandaverim tuque ex diversis pretiis partes ceterorum redemeris, et tuam partem viri boni arbitratu aestimato pretio dari oportet), *ita ut omnes summas maiores et minores coacervet et ita portionem ei qui mandatum suscepit praestet. quod et plerique probant.*

38. D. ibid. § 1. — *Simili modo et in illa specie, ubi certo pretio tibi emere mandavi et aliarum partium nomine commode negotium gessisti et vilius emeris, pro tua parte tantum tibi praestatur, quanti interest tua, dummodo intra id pretium, quod mandato continetur. quid enim fiet, si exiguo pretio hi, cum quibus tibi communis fundus erat, rem abicere vel necessitate rei familiaris vel alia causa cogerentur? non etiam tu ad idem dispendium deduceris. sed nec lucrum tibi ex hac causa adquirere debes, cum mandatum gratuitum esse debet; neque enim tibi concedendum est propter hoc venditionem impedire, quod animosiorem eius rei emptorem esse quam tibi mandatum est cognoveris.*

39. D. ibid. § 2. — *Quod si fundum, qui per partes venit, emendum tibi mandassem, sed ita, ut non aliter mandato tenear, quam si totum fundum emeres, si totum emere non potueris: in partibus emendis tibi negotium gesseris, sive habueris in eo fundo partem sive non, et eveniet, ut is cui tale mandatum datum* est periculo

suo interim partes emat et, nisi totum emerit, ingratis eas retineat. nam propius est, ut cum huiusmodi incommodis mandatum suscipi possit praestarique officium et in partibus emendis perinde atque in toto debeat ab eo, qui tale mandatum sua sponte suscepit.

40. D. ibid. § 3. — *Quod si mandassem tibi, ut fundum mihi emeres, non addito eo, ut non aliter mandato tenear, quam si totum emeres, et tu partem vel quasdam partes eius emeris, tum habebimus sine dubio invicem mandati actionem, quamvis reliquas partes emere non potuisses.*

De aedibus emptis.

41. D. 19, 1, 18 pr. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — *Granaria, quae ex tabulis fieri solent, ita aedium sunt, si stipites eorum in terra defossi sunt; quod si supra terram sunt, rutis et caesis cedunt.*

42. D. ibid. § 1. — *Tegulae, quae nondum aedificiis impositae sunt, quamvis tegendi gratia allatae sunt, in rutis et caesis habentur. aliud iuris est in his, quae detractae sunt ut reponerentur; aedibus enim accedunt.*

De servo empto.

43. D. 18, 6, 17. Iavolenus libro septimo ex Cassio. — *Servi emptor si eum conductum rogavit, donec pretium solveret, nihil per eum servum adquirere poterit, quoniam non videtur traditus is, cuius possessio per locationem retinetur a venditore. periculum eius servi ad emptorem pertinet, quod tamen sine dolo venditoris intervenerit.*

Liber VIII.

De locatione conductione.

44. D. 19, 2, 37. Iavolenus libro octavo ex Cassio. — *Si, priusquam locatori opus probaretur, vi aliqua consumptum est, detrimentum ad locatorem ita pertinet, si tale opus fuit, ut probari deberet.*

De aliis mandati generibus.

45. D. 3, 5, 27. Iavolenus libro octavo ex Cassio. — *Si quis mandatu Titii negotia Seii gessit, Titio mandati tenetur lisque aestimari debet, quanto Seii et Titii interest. Titii autem interest quantum is Seio praestare debet, cui vel mandati vel negotiorum gestorum nomine obligatus est. Titio autem actio competit cum eo, cui mandavit aliena negotia gerenda, et antequam ipse quicquam domino praestet, quia id ei abesse videtur in quo*d[1] *obligatus est.*

Liber IX.

De aliis mandati generibus?

46. D. 17, 1, 51. Iavolenus libro nono ex Cassio. — Spon*sor*[2] *quamvis per errorem ante diem pecuniam solverit, repetere tamen a* reo[3] *non potest* (*sc. actione depensi*) *ac ne mandati quidem actionem, antequam dies solvendi veniat, cum reo habebit.*

47. D. 11, 1, 14 pr. Iavolenus libro nono ex Cassio. — *Si is, cuius nomine noxae iudicium acceptum est, manente iudicio liber iudicatus est, reus absolvi debet, nec quicquam interrogatio in iure facta proderit, quia eius personae, cuius nomine quis cum alio actionem habet, obligationem transferre potest in eum, qui in iure suum esse confitetur[, velut alienum servum suum esse confitendo]; liberi autem hominis nomine quia cum alio actio non est, ne per interrogationem quidem aut confessionem transferri poterit. [quo casu eveniet, ut non recte hominis liberi nomine actum sit cum eo qui confessus est.]*

48. D. ibid. § 1. — *In totum autem confessiones ita ratae sunt, si id, quod in confessionem venit, et ius et naturam recipere potest.*

1 *Fl.* quo.
2 *Trib.* fideiussor. 3 *Fl.* ab eo emend. Mommsen.

Liber X.

De servitutibus.

49. D. 8, 3, 13 pr. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Certo generi agrorum adquiri servitus potest, velut vineis, quod ea ad solum magis quam ad superficiem pertinet. ideo sublatis vineis servitus manebit. sed si in contrahenda servitute aliud actum erit, doli mali exceptio erit necessaria.*

Pernice Z. d. Sav.-St. IX, 197 n. 2 verba: 'sed si — necessaria' sententiam D. 8, 1, 4 pr. relatam respiciens interpolata esse putat. Lenel vero P. II col. 1261 mavult ita interpungere: certo generi — vineis. quod ea — pertinet, ideo.

50. D. ibid. § 1. — *Si totus ager itineri aut actui servit, dominus in eo agro nihil facere potest, quo servitus impediatur, quae ita diffusa est, ut omnes glaebae serviant, aut si iter actusve sine ulla determinatione legatus est, modo determinabitur et qua primum iter determinatum est, ea servitus consistit*[1], *ceterae partes agri liberae sunt. igitur arbiter dandus est, qui utroque casu viam determinare debet.*

51. D. ibid. § 2. — *Latitudo actus itinerisque ea est, quae demonstrata est. quod si nihil dictum est, hoc ab arbitro statuendum est. in via aliud iuris est; nam si dicta latitudo non est, legitima debetur.*

52. D. ibid. § 3. — *Si locus non adiecta latitudine nominatus est, per eum qualibet iri poterit; sin autem praetermissus est aeque latitudine non adiecta, per totum fundum una poterit eligi via dumtaxat eius latitudinis, quae lege comprehensa est; pro quo ipso, si dubitabitur, arbitri officium invocandum est.*

53. D. 8, 6, 14 pr. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Si locus, per quem via aut iter aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset et intra* bien-

1 *Fl.* constitit.

nium[1] *alluvione facta restitutus est, servitus quoque in pristinum statum restituitur; quod si id tempus praeterierit, ut servitus amittatur, renovare eam cogendus est.*

54. D. ibid. § 1. — *Cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa est, vicinus proximus viam praestare debet.*

55. D. 43, 11, 2. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Viam publicam populus non utendo amittere non potest.*

56. D. 39, 3, 18 pr. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Si in publico opus factum est, quo aqua pluvia noceret, agi non potest; interveniente loco publico agi poterit. causa eius rei haec est, quod ea actione non tenetur nisi dominus solus.*

56[a]. D. ibid. § 1. — *Sine permissu principis aqua per viam publicam duci non potest.*

57. D. 8, 2, 12. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Aedificia, quae servitutem patiantur ne quid altius tollatur, viridia supra eam altitudinem habere possunt; at si de prospectu est eaque obstatura sunt, non possunt.*

58. D. 8, 4, 4. Iavolenus libro decimo ex Cassio. — *Caveri ut ad certam altitudinem monumentum aedificetur, non potest, quia id quod humani iuris esse desiit, servitutem non recipit; sicut ne illa quidem servitus consistere potest, ut certus numerus hominum in uno loco humetur.*

Liber XI.

Hoc libro cum Iavolenum de piscatione quae vel in mari vel in lacu fit dixisse D. 50, 16, 112 satis indicetur et earum quoque rerum mentio fiat, quae e navibus deperditae in piscando ex mari extrahuntur D. 41, 1, 58, de rebus, quae occupando adquiruntur, de quibus Gaius 2, 66—69 dixit, actum fuisse putandum est.

1 *Trib.* intra tempus quod ad amittendam servitutem sufficit.

Alterum libri caput de pecunia soluta fuisse D. 46, 3, 78 satis probatur; pecuniam enim solvendi causa tradidisse aliud negotium esse atque rei certae, quae species dicitur, traditionem Iavolenus videtur explicasse. eodem loco dixit de 'pecunia pacta' sive ex compromisso (D. 4, 8, 39) sive 'pro libertate' (D. 45, 1, 104), similiter atque libro XIV, ubi legem Cinciam tractat, de pecunia (donationis causa) promissa dixit (D. 39, 5, 24).

Illi loco, quo agitur de servo pro libertate pecuniam pacto, cum sequentis libri eo capite, quod de peculio est, rationem quandam intercedere apparet.

De occupatione?

59. D. 50, 16, 112. Idem (sc. Iavolenus) libro undecimo ex Cassio. — *Litus publicum est eatenus, qua maxime fluctus exaestuat. idemque iuris est in lacu, nisi is totus privatus est.*

60. D. 41, 1, 58. Iavolenus libro undecimo ex Cassio. — *Quaecumque res ex mari extracta est, non ante eius incipit esse qui extraxit, quam dominus eam pro derelicto habere coepit.*

De pecunia soluta?

61. D. 46, 3, 78. Iavolenus libro undecimo ex Cassio. — *Si alieni nummi inscio vel invito domino soluti sunt, manent eius cuius fuerunt. si mixti essent, ita ut discerni non possent, eius fieri qui accepit in libris Gaii scriptum est, ita ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.*

De servorum negotiis?

62. D. 45, 1, 104. Iavolenus libro undecimo ex Cassio. — *Cum servus pecuniam pro libertate pactus est et ob eam rem reum dedit, quamvis servus ab alio manumissus est, reus tamen recte obligabitur, quia non quaeritur, a quo manumittatur, sed ut⟨rum⟩ manumittatur ⟨an non⟩.*

cf. Gai. 3, 119 sq. . . quaeritur, si servus aut peregrinus spoponderit, an pro eo sponsor aut fidepromissor obligetur. fideiussor vero omnibus obligationibus . . . adici potest. ac ne illud quidem interest, utrum civilis an naturalis obligatio sit cui adiciatur, adeo quidem, ut pro servo quoque obligetur, sive extraneus sit qui a servo fideiussorem accipiat, sive ipse dominus in id quod sibi debeatur.

De recepto arbitrii.

63. D. 4, 8, 39 pr. Iavolenus libro undecimo ex Cassio. — *Non ex omnibus causis, ex quibus arbitri paritum sententiae non est, poena ex compromisso committitur, sed ex his dumtaxat, quae ad solutionem pecuniae aut operam praebendam pertinent.* Idem. *contumaciam litigatoris arbiter punire poterit pecuniam eum adversario dare iubendo. quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententia arbitri exhibita non sunt.*

Uter 'idem' sit, Cassius an Iavolenus, dubium est.

64. D. ibid. § 1. — *Cum arbiter diem compromissi proferri iussit, cum hoc ei permissum est, alterius mora alteri ad poenam committendam prodest.*

Liber XII.

Cum his fragmentis tantum de peculio et de in rem verso agatur, non agatur de exercitoria vel de institoria actione, de iis negotiis sermo fuisse videtur, quae sine iussu vel voluntate patris dominive contracta sunt. cf. Inst. 4, 7, 4. Gai. 4, 71. (quae Gaius 'de actione qua in peculium filiorum familias servorumque agitur', se dixisse 4, 69 tradit, ea in codice legi non potuerunt.)

De peculio.

65. D. 15, 1, 33. 35. Iavolenus libro duodecimo ex Cassio. — *Sed si quis servum ita vendidit, ut pretium pro peculio acciperet, penes eum videtur* esse peculium,

ad quem pretium peculii pervenit; | *at cum heres iussus est peculium dare accepta certa summa, non videtur penes heredem esse peculium.*

De in rem verso.

66. D. 15, 3, 2. Iavolenus libro duodecimo ex Cassio. — *Qui nummis acceptis servum manumisit, agi cum eo de in rem verso non potest, quia dando libertatem locupletior ex nummis non fit.*

67. D. 15, 3, 9. Iavolenus libro duodecimo ex Cassio. — *Si vero pater dotem daturus non fuit, in rem patris versum esse non videtur.*

cf. D. 15, 3, 7, 5 Ulp. Si filius familias pecuniam mutuatus pro filia sua dotem dederit, in rem versum patris videtur, quatenus avus pro nepte daturus fuit.

Liber XIII.

De interdictis.

68. D. 41, 2, 22. Idem (sc. Iavolenus) libro tertio decimo ex Cassio. — *Non videtur possessionem adeptus is qui ita nactus est, ut eam retinere non possit.*

69. D. 43, 5, 5. Iavolenus libro tertio decimo ex Cassio. — *De tabulis proferendis interdictum competere non oportet, si hereditatis controversia ex his pendet aut si ad publicam quaestionem pertinet. itaque in aede sacra interim deponendae sunt aut apud virum idoneum.*

70. D. 50, 17, 198. Iavolenus libro tertio decimo ex Cassio. — *Neque in interdicto neque in ceteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est sive non est.*

Liber XIV.

Hoc libro de legibus veteribus, scilicet XII tabularum, Aquilia, Cincia, Falcidia dictum fuisse Lenel iudicat, id quod cum fragmentorum argumentis convenit. at fragmentorum duo genera esse apparet, unum eorum,

quibus de legatis et de donatione, alterum eorum, quibus de damno iniuria dato et de pauperie tractatur, quorum capitum alterum insequentis libri XV capite, quod est de furtis, excipi videtur.

De lege Falcidia.

71. D. 35, 2, 60 pr. Iavolenus libro quarto decimo ex Cassio. — *Cum pater impuberi filiae heredem substituit, id quod ei legatorum nomine a patre obvenit, cum hereditas ad substitutos pertinet, in computationem legis Falcidiae non venit.*

72. D. ibid. § 1. — *Legato petito cum in litem iuratum est,* in ratione *legis Falcidiae* ⟨*ratio*⟩ *non eius summae, in quam legatarius iuravit, haberi debet, sed eius, quanti re vera id fuit quod petitum est; nam id quod poenae causa adcrevit in legem Falcidiam non incidit.*

De lege Cincia.

73. D. 39, 5, 24. Iavolenus libro quarto decimo ex Cassio. — *Fideiussori eius, qui donationis causa pecuniam supra modum legis (sc. Cinciae) promisit, exceptio dari debet etiam invito reo, ne, si forte reus solvendo non fuerit, pecuniam fideiussor amittat.*

De lege Aquilia.

74. D. 9, 2, 37 pr. Iavolenus libro quarto decimo ex Cassio. — *Liber homo si iussu alterius damnum iniuria*[1] *dedit, actio legis Aquiliae cum eo est qui iussit, si modo ius imperandi habuit. quod si non habuit, cum eo agendum est qui fecit.*

75. D. ibid. § 1. — *Si quadrupes, cuius nomine actio esset cum domino, quod pauperiem fecisset, ab alio occisa est et cum eo lege Aquilia agitur, aestimatio non ad corpus quadrupedis, sed ad causam eius, in quo de pauperie actio est, referri debet et tanti damnandus est*

1 *Fl.* manu iniuriam.

is qui occidit iudicio legis Aquiliae, quanti actoris interest noxae potius deditione defungi quam litis aestimatione.

76. D. 50, 16, 113. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto decimo ex Cassio. — *'Morbus sonticus' est, qui cuique rei nocet.*

Liber XV.

Hoc libro Iavolenus de furtis et, id quod Lenel docuit, de bonorum venditione egit.

De furtis.

77. D. 12, 3, 9. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Cum furti agitur, iurare ita oportet 'tanti rem fuisse cum furtum factum sit', non adici 'eo plurisve' quia quod res pluris est, utique tanti est.*

Zachariae von Lingenthal Z. d. Sav.-St. VIII p. 207 sqq. pro 'eo' potius 'tot' vel fortasse '∞' (mille) vel 'CC' scilicet 'sestertiis' scribendum iudicat. ceterum cf. Lenel Ed. p. 263.

78. D. 47, 2, 72 pr. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Si is, cui commodata res erat, furtum ipsius admisit, agi cum eo et furti et commodati potest, et, si furti actum est, commodati actio extinguitur, si commodati, actioni furti exceptio obicitur.*

79. D. ibid. § 1. — *Eius rei, quae pro herede possidetur, furti actio ad possessorem non pertinet, quamvis usucapere quis possit, quia furti agere potest is, cuius interest rem non subripi, interesse autem eius videtur, qui damnum passurus est, non eius qui lucrum facturus esset.*

80. D. 47, 2, 74. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Si is, qui pignori rem accepit, cum de vendendo pignore nihil convenisset, vendidit, aut ante, quam dies venditionis veniret pecunia non soluta, id fecit, furti se obligat.*

De arboribus furtim caesis.

81. D. 47, 7, 12. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Qui agrum vendidit, nihilo minus furtim arborum caesarum agere potest.*

De bonorum venditione.

82. D. 3, 4, 8. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Civitates si per eos qui res earum administrant non defenduntur nec quicquam est corporale rei publicae quod possideatur, per exactiones*[1] *debitorum civitatis agentibus satisfieri oportet.*

cf. Lenel Edict. § 202.

83. D. 4, 6, 34 pr. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Miles commeatu accepto si domo sua est, rei publicae causa abesse non videtur.*

cf. Vat. fr. 222. Lenel Edict. § 205.

84. D. ibid. § 1. — *Qui operas in publico, quod vectigalium causa locatum est, dat, rei publicae causa non abest.*

cf. D. 50, 16, 16.

85. D. 5, 1, 34. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Si is qui Romae iudicium acceperat decessit, heres eius quamvis domicilium trans mare habet, Romae tamen defendi debet, quia succedit in eius locum, a quo heres relictus est.*

86. D. 50, 16, 114. Idem (sc. Iavolenus) libro quinto decimo ex Cassio. — *Solvendo esse nemo intellegitur, nisi qui solidum potest solvere.*

87. D. 16, 2, 14. Iavolenus libro quinto decimo ex Cassio. — *Quaecumque per exceptionem peremi possunt, in compensationem non veniunt.*

Pro 'in compensationem' potius 'in deductionem' scribendum esse Lenel conicit; de bonorum enim emptore,

1 *Fl.* actiones.

qui cum deductione agere iubetur, sermonem esse indicat. Gai. 4, 65.

88. D. 50, 4, 13. Idem (sc. Iavolenus) libro quinto decimo ex Cassio. — *Vacatio itemque immunitas, quae liberis et posteris alicuius data est, ad eos dumtaxat pertinet, qui eius familiae sunt.*

cf. Lenel Edict. p. 343.

V. Ex Plautio libri V.

Iavoleni 'ad Plautium' libri laudantur et indice Florent. et D. 45, 3, 34; in reliquis fragmentis, quae pauca sunt, libri 'ex Plautio' nominantur. 'ex Plautio' libros iam antea Neratius composuerat, quorum unum tantum fragmentum extat (D. 8, 3, 5, 1). Antonino Pio aut Divis fratribus imperantibus (nimirum post Iuliani Digestorum librum XLII editum) Pomponius quoque 'ad Plautium' vel 'ex Plautio' libros composuit VII (P. 326—371); denique, tempore non satis explorato, Paulus libros XVIII (P. 1071—1246). in Pauli his libris praeter alios, inprimis Iulianum, laudantur Pomponius (P. 1073. 1140. 1142. 1152. 1164. 1239) et Iavolenus (P. 1172), sed ita, ut nusquam Pomponii aut Iavoleni opus designetur; in Pomponii vero his libris Iulianus quidem laudatur, sed nusquam Iavolenus. in Neratii denique illo fragmento Iavolenum non laudari mirum non est. itaque cum ex Iavoleni libris V ne viginti quidem fragmenta, tertii et quarti libri bina, quinti unum tradita sint, librorum indoles parum cognoscitur. illud certe apparet, Iavolenum non modo Plautii sententias rettulisse ('ait' D. 12, 6, 4, quod verbum ad Plautium referre licet), sed suas quoque addidisse ('puto' D. 23, 3, 47. 'existimo' D. 41, 4, 4) et ita quidem, ut nonnunquam Cassium sequeretur ('Cassius ait .. Paulus. idem Iavolenus scribit' D. 34, 2, 8).

Argumenta priorum tantum librorum aliquatenus cognoscuntur: primo libro Iavolenus (de testamentis et)

legatis et de iure dotium, secundo de emptione vendi-
ne dixit, idque inprimis de hereditatis venditione. reliqua
erta sunt.

Liber I.

De legatis.

1. D. 31, 10. Iavolenus libro primo ex Plautio. — *m fundus nominatim legatus sit, si quid ei post testa-ntum factum adiectum est, id quoque legato cedit, amsi illa verba adiecta non sint 'qui meus erit', si do testator eam partem non separatim possedit, sed iversitati prioris fundi adiunxit.*

2. D. 21, 2, 58. Iavolenus libro primo ex Plautio. · *Heres servum non nominatim legatum tradidit (man-io dedit?) et de dolo repromisit; postea servus evictus . agere cum herede legatarius ex testamento poterit, amvis heres alienum esse servum ignoraverit.*

3. D. 34, 2, 8. Idem (sc. Paulus) libro nono ad autium. — Plautius. mulier ita legavit: 'quisquis hi heres erit, Titiae vestem meam mundum orna-ntaque muliebria damnas esto dare'. Cassius ait, non appareret, quid sensisset, omnem vestem se-ndum verba testamenti legatam videri. Paulus. idem volenus scribit, *quia verisimile est*, inquit, *testa-cem tantum ornamentorum universitati derogasse, quibus nificationem muliebrium accommodasset;* accedere eo, od illa demonstratio 'muliebria' neque vesti neque indo applicari salva ratione recti sermonis potest.

4. D. 32, 77. Iavolenus libro primo ex Plautio. — *m in substitutione legata repetuntur, libertates etiam tinentur.*

De iure dotium.

5. D. 12, 4, 10. Iavolenus libro primo ex Plautio. · *Si mulier ei cui nuptura erat cum dotem dare vellet, cuniam quae sibi debebatur acceptam fecit neque nuptiae secutae sunt, recte ab eo pecunia condicetur,* quia nihil

interest, utrum ex numeratione pecunia ad eum sine causa an per acceptilationem pervenerit.

6. D. 23, 3, 57. Iavolenus libro primo ex Plautio. — *Nuptura filio familias si socero dotem ita* dix*erit*[1]*: 'quod filius tuus mihi debet, id doti tibi erit', interesse puto, utrum filii obligatio an patris persecutio et in rem versum* dict*ioni*[2] *contineatur. nam si id quod filium dare oportet significatum est, tota pecunia, in quam filius obligatus est,* dict*ioni*[2] *dotis continebitur; sin autem id, quod patrem de peculio vel in rem verso praestare oporte[bi]t, aestimare debebit quantum sit eo tempore id quod* dic*itur*[3]*, ut ea summa dotis esse videatur, qua patrem eo tempore filii nomine condemnari oporte*ret[4]. *[quod si non evidenter apparuit, de cuius mulier obligatione sensit, praesumptionem ad filii debitum spectare verisimile est, nisi evidentissime contrarium adprobetur.]*

cf. Gradenwitz Z. d. Sav.-St. VII, 72 sq.

De hereditatis petitione.

7. D. 5, 3, 44. Iavolenus libro primo ex Plautio. — *Cum is, qui legatum ex testamento percepit, hereditatem petit, si legatum quocumque modo redditum non sit, iudicis officio continetur, ut victori deducto eo quod accepit restituatur hereditas.*

Liber II.

De emptione venditione.

8. D. 18, 2, 19. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — *Fundo in diem addicto si postea pretium adiectum est et venditor alio fundo applicito eum ipsum fundi posteriori emptori addixit et id sine dolo malo fecit, priori emptori obligatus non erit. nam quamvis non id tantum, quod in diem addictum erat, sed aliud quoque*

1 *Trib.* promiserit. 2 *Trib.* promissioni. 3 *Trib.* promittitur. 4 *Fl.* oportebit.

cum eo venierit, tamen, si venditor dolo caret, prioris emptoris causa absoluta est; id enim solum intuendum est, an [priori] venditori bona fide facta sit adiectio.

9. D. 41,4,4 pr. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — *Emptor fundi partem eius alienam esse non ignoraverat. responsum est nihil eum ex eo fundo* usu[1] *capturum. quod ita verum esse existimo, si, quae pars aliena esset in eo fundo, emptor ignoraverat; quod si certum locum esse sciret, reliquas partes* usu[1] *capi posse non dubito.*

10. Ibid. § 1. — *Idem iuris est, si is, qui totum fundum emebat, pro indiviso partem aliquam alienam esse scit; eam enim dumtaxat non capiet, ceterarum partium non impedietur* usu[2] *capio.*

11. D. 12,6,45. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — *Si is, qui hereditatem vendidit et emptori tradidit, id, quod sibi mortuus debuerat, non retinuit, repetere poterit, quia plus debito solutum per condictionem recte recipietur.*

cf. Pernice III, 251 n. 2.

12. D. 18, 4, 8. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — *Quod si nulla hereditas ad venditorem pertinuit, quantum emptori praestare deb*eat[3]*, ita distingui oportebit, ut, si est quidem aliqua hereditas, sed ad venditorem non pertinet, ipsa aestimetur, si nulla est, de qua actum videatur, pretium dumtaxat et si quid in eam rem impensum est emptor a venditore consequatur.*

13. D. 18, 4, 10. Iavolenus libro primo secundo ex Plautio. — *Quod si in venditione hereditatis id actum est, si quid iuris esset venditoris, venire nec postea quicquam praestitu iri. quamvis ad venditorem hereditas non pertinuerit, nihil tamen eo ⟨nomine⟩ praestabitur, quia id actum esse manifestum est, ut quemadmodum emolumentum negotiationis, ita periculum ad emptorem pertineret.*

1 *Trib.* longa possessione. 2 *Trib.* longa possessione.
3 *Fl.* debuit.

14. D. 21, 2, 60. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — *Si in venditione dictum non sit, quantum venditorem pro evictione praestare oporteat, nihil venditor praestabit praeter simplam evictionis nomine et ex natura ex empto actionis hoc quod interest.*

De verborum obligationibus.

15. D. 45, 3, 34. Iavolenus libro secundo ad Plautium. — *Si servus testamento manumissus, cum se liberum esse ignoraret et in causa hereditaria maneret, pecuniam heredi stipulatus est, nihil debebitur heredibus, si modo scierint eum testamento manumissum, quia non potest videri iustam servitutem servisse iis, qui illum liberum esse non ignorabant. distat is a*[1] *causa eius, qui liber emptus bona fide servit, quia in eo et ipsius et emptoris existimatio consentit. ceterum is, qui scit hominem liberum esse, quamvis ille condicionem suam ignoret, ne possidere quidem eum potest videri.*

Liber III.

De verborum obligationibus.

16. D. 45, 2, 2. Iavolenus libro tertio ex Plautio. — *Cum duo eandem pecuniam aut promiserint aut stipulati sunt, ipso iure et singuli in solidum debentur et singuli debent; ideoque petitione acceptilatione*ve *unius tota solvitur obligatio.*

De aqua.

17. D. 8, 6, 9. Iavolenus libro tertio ex Plautio. — *Aqua si in partem aquagi influxit, etiamsi non ad ultima loca pervenit, omnibus tamen partibus usurpatur.*

Liber IV.

De condictione?

18. D. 12, 6, 46. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto ex Plautio. — *Qui heredis nomine legata non debita ex*

1 *Fl.* ista.

nummis ipsius heredis solvit, ipse quidem repetere non potest. sed si ignorante herede nummos eius tradidit, dominus, ait, eos recte vindicabit. eadem causa rerum corporalium est.

De interdicto utrubi.

19. D. 41, 3, 16. Iavolenus libro quarto ex Plautio. — *Servi nomine, qui pignori datus est, ad exhibendum cum creditore, non cum debitore agendum est, quia qui pignori dedit, ad usucapionem tantum possidet, quod ad reliquas omnes causas pertinet, qui accepit possidet, adeo ut adici possit et possessio eius qui pignori* accepit[1].

Liber V.

?

20. D. 50, 16, 83. Iavolenus libro quinto ex Plautio. — *Proprie bona dici non possunt, quae plus incommodi quam commodi habent.*

cf. Epist. fr. 47.

VI. Epistularum libri XIV.

Labeonem Proculumque secutus Iavolenus Epistularum libris responsa sua proposuit. cum Iavoleni responsa in his libris omissa vix reperiantur, opus illud extremo demum vitae tempore videtur edidisse. in posteriorum iuris consultorum fragmentis illi libri nusquam laudantur; at fortasse Aburnius Valens, Gaius, Paulus eos respiciunt (v. infra).

Qui Iavolenum consuluerunt, inter quos iuris studiosi videntur fuisse, priorum quoque iuris consultorum sententias attulerunt, quid Iavoleno videretur, interrogantes (D. 50, 16, 116. 28, 5, 11). in quo num casu factum sit, ut priores iuris consulti a consulentibus allati ii ipsi sint, qui ante Neratium Epistularum libros ediderant, licet quaerere.

1 *Trib.* dedit. emendavit Eisele Z. d. Sav.-St. XVIII, 12.

In responsis suis Iavolenus aeque Labeonis sententias attulit ('Labeo frequenter scribit' D. 28, 5, 65) vel probans (D. l. c. 'idque verum esse manifesto argumento comprobat') vel reiciens (D. 50, 16, 116 'respondit: non dubito quin Labeonis sententia vera non sit'). alio loco Sabini sententiam affert quam sequitur (D. 45, 1, 105 'respondit: secundum Massurii Sabini opinionem puto te ... agere non posse; nam is recte existimabat, si'). denique Proculi sententiam a consulente quodam allatam probat (D. 28, 5, 11 'respondit: vera est Proculi opinio').

De iure inprimis civili dictum fuisse apparet; iuris honorarii mentio non fit.

Quem ordinem in rebus collocandis Iavolenus secutus sit, cum viri docti aeque atque in Proculi Epistularum libris (supra p. 111) non cognoverint, vix ad ullum certum ordinem eas dispositas fuisse existimant Krueger p. 162 et Lenel P. I col. 285 n. 7. at sicut Proculi, ita et Iavoleni singuli libri seorsum editi videntur, in iisque ordo fortasse non alius fuit atque Sabinianus, ad cuius normam singulorum librorum fragmenta collocanda duxi.

Liber I.

De testamentis.

De substitutione.

1. D. 42, 5, 28. Iavolenus libro primo Epistularum. — *Pater familias impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit heredem. is filius paterna hereditate se abstinuit ideoque bona patris venierunt; postea filio hereditas obvenit, qua adita decessit. quaero, cum praetor in ipsum pupillum, quamvis postea hereditas obvenisset, creditoribus tamen patris actionem non daret, an in substitutum creditoribus patris danda sit actio, cum ex bonis paternis, quae scilicet ad creditores missos in bona pertinent, nihil adquirat et cum creditores nihil iuris in bonis pupilli habuerint eorumque nihil inter-*

fuerit, adiretur necne pupilli hereditas, cum ea bona omissa a substituto hereditate ad creditores non pertinebant. me illud maxime movit, quod praeceptoribus tuis placet unum esse testamentum.

Respondit: quod praetor filio, qui a paterna hereditate se abstinet, praestat, ne bonis patris eius venditis in eum actio detur, ⟨ut⟩, tametsi postea ei hereditas obvenit, creditoribus non reddat, idem in substituto filio herede servandum non est, quoniam filii pudori parcitur, ut potius patris quam eius bona veneant, itaque in id, quod postea ei obvenit, actio creditoribus denegatur, quia id ex adventicio adquisitum est, non per patrem ad eum pervenit. at cum substitutus filio hereditatem adiit, postquam pupillus se paternae miscuerit hereditati, tunc hereditas et patris et filii una est et in omni aere alieno, quod aut patris aut filii fuerit, etiam invitus heres obligatur; et quemadmodum liberum ei non est obligationem ⟨hereditariam recusare⟩, ut non omnimodo, si non defenditur, ipsius bona veneant, ita ne separare quidem aes alienum patris et filii poterit; quo casu efficietur, ut creditoribus in eum actio dari debeat. quod si substitutus heres hereditatem non adierit, creditoribus patris in id, quod pupillus reliquit, actio dari non debet, quoniam neque pupilli bona venire debent propter aes alienum patris neque in bonis patris est quod pupillus adquisiit.

De legatis.

2. D. 31, 40. Idem (sc. Iavolenus) libro primo Epistularum. — *Si duobus servis meis eadem res legata est et alterius servi nomine ad me eam pertinere nolo, totum ad me pertinebit, quia partem alterius servi per alterum servum adquiro, perinde ac si meo et alterius servo esset legatum.*

De emptione venditione.

3. D. 41, 3, 19. Iavolenus libro primo Epistularum. — *Si hominem emisti, ut, si aliqua condicio*

extitisset, inemptus fieret, et is tibi traditus est et postea condicio emptionem resolvit, tempus, quo apud emptorem fuit, accedere venditori debere existimo, quoniam eo genere retro acta venditio esset redhibitioni similis, in qua non dubito tempus eius qui redhibuerit venditori accessurum, quoniam (quamquam?) ea venditio proprie dici non potest.

De verborum obligatione.

4. D. 17, 1, 52. Idem (sc. Iavolenus) libro primo Epistularum. — *Qui*[1] *sine adiectione bonitatis tritici pro altero triticum spopondit, quodlibet triticum dando reum liberare posse existimo; a reo autem non aliud triticum repetere poterit, quam quo pessimo tritico liberare se a stipulatore licuit. itaque si paratus fuerit reus, quod dando ipse creditori liberari potuit,* spons*ori dare et* spons*or*[2] *id quod dederit, id est melius triticum condicet, exceptione eum doli mali summoveri existimo.*

Lenel notat: 'haud scio an Iavolenus hoc loco de depensi actione egerit, non de condictione'.

5. D. 12, 1, 36. Iavolenus libro primo Epistularum. — *Pecuniam, quam mihi sine condicione debebas, iussu meo promisisti Attio sub condicione. cum pendente condicione in eo statu sit obligatio tua adversus me, tamquam sub contrariam condicionem eam mihi spopondisti, si pendente condicione petam, an nihil acturus sum?*

Respondit: non dubito, quin [m]ea pecunia, quam ipse sine condicione stipulatus sum, [etiam] si condicio in persona Attii, qui ex mea voluntate eandem pecuniam sub condicione stipulatus est, non extiterit, credita esse permaneat; perinde est enim, ac si nulla stipulatio intervenisset. pendente autem causa condicionis idem petere non possum, quoniam, cum incertum sit, an ex ea stipulatione deberi possit, ante tempus petere videor.

1 *Trib.* fideiussorem si *restituit orationem Pernice.*
2 *Trib.* fideiussori *et* fideiussor.

De possessione.

6. D. 41, 2, 23. Idem (sc. Iavolenus) libro primo Epistularum.

1. *Cum heredes instituti sumus, adita hereditate omnia quidem iura ad nos transeunt, possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet.*

2. *In his, qui in hostium potestatem pervenerunt, in retinendo iura rerum suarum singulare ius est; corporaliter tamen possessionem amittunt; neque enim possunt videri aliquid possidere, cum ipsi ab alio possideantur. sequitur ergo, ut reversis his nova possessione opus sit, etiamsi nemo medio tempore res eorum possederit.*

3. *Item quaero, si vinxero liberum hominem ita, ut eum possideam, an omnia, quae is possidebat, ego possideam per illum.*

Respondit: si vinxeris hominem liberum, eum te possidere non puto. quod cum ita se habeat, multo minus per illum res eius a te possidebuntur [neque enim rerum natura recipit, ut per eum aliquid possidere possimus, quem civiliter in mea potestate non habeo].

Liber II.

De legatis.

7. D. 7, 1, 53. Iavolenus libro secundo Epistularum. — *Si cui insulae usus fructus legatus est, quamdiu quaelibet portio eius insulae remanet, totius soli usum fructum retinet.*

8. D. 33, 5, 15. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Servo sine libertate legavi, deinde optionem servorum Maevio dedi; is eundem servum optavit. quaero, an id quoque quod legatum est ei deberetur.*

Respondit: non puto legatum huius servi nomine ad dominum pertinere.

De emptione venditione.

9. D. 18, 1, 64. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Fundus ille est mihi et Titio emptus. quaero, utrum in partem an in totum venditio consistat an nihil actum sit.*

Respondi: personam Titii supervacuo accipiendam puto ideoque totius fundi emptionem ad me pertinere.

De communione.

10. D. 10, 3, 18. Iavolenus libro secundo Epistularum. — *Ut fundus hereditarius fundo non hereditario serviat, arbiter disponere non potest, quia ultra id quod in iudicium deductum est excedere potestas iudicis non potest.*

De verborum obligatione.

11. D. 45, 1, 105. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Stipulatus sum Damam aut Erotem servum dari. cum Damam dares, ego quo minus acciperem, in mora fui; mortuus est Dama. an putas me ex stipulatu actionem habere?*

Respondit: secundum Massurii Sabini opinionem puto te ex stipulatu agere non posse; nam is recte existimabat, si per debitorem mora non esset, quo minus id quod debebat solveret, continuo eum debito liberari.

12. D. 16, 2, 15. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Pecuniam certo loco a Titio dari stipulatus sum. is petit a me quam ei debeo pecuniam. quaero, an hoc quoque pensandum sit, quanti mea interfuit certo loco dari.*

Respondit: si Titius petit, eam quoque pecuniam, quam certo loco promisit, in compensationem deduci oportet, sed cum sua causa, id est ut ratio habeatur, quanti Titii interfuerit eo loco quo convenerit pecuniam dari (datu iri?).

Pernice II[2] p. 306 n. 1: 'Mir scheint nicht zweifelhaft, dafs diese Erörterung sich auf die Argentarierverhältnisse bezieht ...'

De servitutibus.

13. D. 8, 4, 5. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Proprium solum vendendo an servitutem talem iniungere possim, ut mihi et vicino serviat? similiter si commune solum vendo, ut mihi et socio serviat, an consequi possim?*

Respondi: servitutem recipere nisi sibi nemo potest; adiectio itaque vicini pro supervacuo habenda est, ita ut tota servitus ad eum, qui receperit, pertineat. solum autem commune vendendo ut mihi et socio serviat, efficere non possum, quia per unum socium communi solo servitus adquiri non potest.

14. D. 8, 6, 15. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum. — *Si, cum servitus mihi per plures fundos deberetur, medium fundum adquisivi, manere servitutem puto, quia totiens servitus confunditur, quotiens uti ea is ad quem pertineat non potest; medio autem fundo adquisito potest consistere, ut per primum et ultimum iter debeatur.*

15. D. 8, 5, 12. Iavolenus libro secundo Epistularum. — *Egi ius illi non esse tigna in parietem meum immissa habere. an et de futuris non immittendis cavendum est?*

Respondi: iudicis officio contineri puto, ut de futuro quoque opere caveri debeat.

Liber III.

De legatis.

16. D. 7, 1, 54. Idem (sc. Iavolenus) libro tertio Epistularum. — *Sub condicione usus fructus fundi a te herede Titio legatus est. tu fundum mihi vendidisti et* manci*pasti*[1] *detracto usu fructu. quaero, si non extiterit condicio, aut extiterit et interiit usus fructus, ad quem pertineat.*

1 *Trib.* tradidisti.

Respondit: intellego te de usu fructu quaerere qui ⟨per vindicationem⟩ legatus est. itaque si condicio eius legati extiterit, dubium non est, quin ad legatarium is usus fructus pertineat et si aliquo casu ab eo amissus fuerit, ad proprietatem fundi revertatur. quod si condicio non extiterit, usus fructus ad heredem pertinebit, ita ut in eius persona omnia eadem serventur [quae ad amittendum usum fructum pertinent et servari solent]. ceterum in eiusmodi venditione spectandum id erit, quod inter ementem vendentemqae convenerit, ut, si apparuerit legati causa eum usum fructum exceptum esse, etiam si condicio non extiterit, restitui a venditore emptori debeat.

17. D. 38, 2, 35. Idem (sc. Iavolenus) libro tertio Epistularum. — *A liberto suo herede Seius usum fructum fundi Maevio legavit. is libertus Maevio herede relicto decessit. quaero, cum contra tabulas testamenti petierit filius Seii adversus Maevium, utrum deducto usu fructu pars debita ei (dimidia?) fundi restituenda sit an solida, quia eorum bonorum acceperit possessionem, quae liberti cum moreretur fuerunt.*

Respondit: usum fructum in causam pristinam restituendum puto. optimum itaque erit arbitrum postulare (sc. interdicto quorum bonorum reddito), ut arbitrio eius usus fructus in integrum restituatur.

De libertate relicta.

18. D. 38, 5, 12. Iavolenus libro tertio Epistularum. — *Libertus cum fraudandi patroni causa fundum Seio* mancipio dare[1] *vellet, Seius Titio mandavit, ut eum ⟨mancipio⟩ accipiat, ita ut inter Seium et Titium mandatum contrahatur. quaero, post mortem liberti patronus utrum cum Seio dumtaxat qui mandavit actionem habet, an cum Titio qui fundum retinet, an cum quo velit agere possit?*

Respondit: in eum, cui donatio quaesita est, ita tamen si ad illum res pervenerit, actio datur, cum omne negotium, quod eius voluntate gestum sit, in condem-

1 *Trib.* tradere.

nationem eius conferatur. nec potest videri id praestaturus quod alius possidet, cum actione mandati consequi rem possit, ita ut aut ipse patrono restituat aut eum cum quo mandatum contraxit restituere cogat. quid enim dicemus, si is qui in re interpositus est, nihil dolo fecit? non dubitabimus, quin omni modo cum eo agi non possit. quid enim? num[1] *potest videri dolo fecisse, qui fidem suam amico commodavit* et magis[2] *alii quam sibi ex liberti fraude adquisiit?*[3]

De formula Fabiana.

19. Lacinia membranacea ex Aegypto Vindobonam in collectionem Rayneri archiducis illata in Collect. libr. iur. civ. III p. 300. — .. *de illo quaeritur, si pro muliere dotem dederit, quis teneatur hac formula. sed in proposito et Iavolenus confitetur cum viro actionem esse et id* in rei *uxoriae* actionem *dissoluto matrimonio* non *venire.*[4]

20. Ibid. — Sed si marito debitorem *suum iusserit dotem promittere libertus, secundum Iavolenum quidem et post divortium ipse tenebitur, ut actiones suas praestet, si nondum exegit; sed si culpa eius solvendo esse desiit debitor, periculo patroni periit.*

Liber IV.

De testamentis.

21. D. 29, 2, 76. Iavolenus libro quarto Epistularum.

1. *Si tu ex parte sexta sub condicione institutus fuisses heres et omittente partem suam Titio, cui substitutus eras, ex substitutione* crevisses[5], *deinde condicio*

1 *Fl.* non. 2 *Fl.* commodavit quam alii. 3 Lenel verba 'quam alii . . . adquisiit' transferenda esse putat post 'in re'. 4 *Lenel* P. II col. 1231 coniecit: 'et idem p⟨robat⟩ etiam dissoluto matrimonio, sed venire t⟨anto minus in rei uxoriae actionem. sed⟩'. 5 *Trib.* adisses.

iure sextantis exstitisset, quaero, an cernere[1] *necesse habueris, ne sextans tuus intereat.*

Respondit: nihil interest, utrum ex substitutione prius creverim[2] *an ex prima institutione, cum ab utraque causa una* cretio[3] *sufficiat. sextans itaque, qui sub condicione datus mihi est, ad me solum pertinet.*

2. *Item si tu sextantis, ex quo institutus esses heres, omiseris* cretionem[4], *numquid dubitas, quin ex substitutione* cernendo[5] *Titianae partis habiturus partem esses?*

Respondit: non dubito, quin, si ⟨*perempta*⟩ *prima institutione* cernendo[5] *heres esse possim, in potestate mea sit, quam partem hereditatis aut omittere velim aut vindicare.*

22. D. 28, 3, 15. Iavolenus libro quarto Epistularum. — *Qui uxorem praegnatem habebat, in hostium potestatem pervenit; quaero, filio nato quo tempore testamentum in civitate factum rumpatur? et si filius ante moriatur quam pater, an scripti heredes hereditatem habituri sint?*

Respondi: non puto dubium esse, quin per legem Corneliam, quae de confirmandis eorum testamentis, qui in hostium potestate decessissent, lata est, nato filio continuo eius testamentum, qui in hostium potestate sit, rumpatur. sequitur ergo, ut ex eo testamento hereditas ad neminem perveniat.

De legatis.

23. D. 35, 2, 61. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto Epistularum. — *Alienus fundus tibi legatus est. hunc heres cum emere nisi infinito pretio non posset, emit multo pluris, quam quanti erat, qua emptione effectum est, ut legatarii ad legem Falcidiam revocarentur. quaero, cum, si fundus tanti, quanti re vera* ⟨*erat*⟩, *emptus esset, legata non fuerant excessura ius legis Falcidiae,*

1 *Trib.* adire. 2 *Trib.* adierim. 3 *Trib.* aditio. 4 *Trib.* aditionem. 5 *Trib.* adeundo.

ı hoc ipso heres institutus partem revocandi a legariis ius habeat, quod ex voluntate defuncti pluris emerit ındum, quam quanti erat.

Respondit: quod amplius heres quam pretium fundi ȝatario solvit, id lege Falcidia imputari non potest, ıia neglegentia eius nocere legatariis non debet, utpote ım is confitendo veram aestimationem praestare poterat.

De furtis.

24. D. 47, 2, 75. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto pistularum. — *Furtivam ancillam bona fide HS II*[1] *nptam cum possiderem, subripuit mihi Attius, cum quo ego et dominus furti agimus. quaero, quanta aesti- :atio pro utroque fieri debet.*

Respondit: emptori duplo, quanti eius interest, aestiari debet, domino autem duplo, quanti ea mulier fuerit. ɔc nos movere debet, quod duobus poena furti praeabitur, quippe, cum eiusdem rei nomine praestetur, nptori eius possessionis, domino ipsius proprietatis ıusa praestanda est.

De adquirendo rerum dominio.

25. D. 50, 16, 115. Idem (sc. Iavolenus) libro ıarto Epistularum. — *Quaestio est, fundus a possesone vel agro vel praedio quid distet. 'fundus' est omne, ıidquid solo tenetur. 'ager' est species fundi, si*[2] *ad ıum hominis comparatur. 'possessio' ab agro iuris ·oprietate distat; quidquid enim adprehendimus, cuius ·oprietas ad nos non pertinet aut nec potest pertinere, ıc possessionem appellamus. possessio ergo usus, ager ·oprietas loci est. 'praedium' utriusque supra scriptae ·nerale nomen est; nam et ager et possessio huius ɔpellationis species sunt.*

1 *Trib.* duorum aureorum.
2 *Fl.* est si species fundi.

De usucapione.

26. D. 41, 3, 20. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto Epistularum. — *Possessio testatoris ita heredi procedit, si medio tempore a nullo possessa est.*

De servitutibus.

27. D. 8, 1, 12. Iavolenus libro quarto Epistularum. — *Non dubito, quin fundo municipum per servum recte servitus adquiratur.*

Liber V.

De tutelis.

28. D. 27, 5, 3. Iavolenus libro quinto Epistularum. — *Quaero, an is qui, cum tutor testamento datus esset et id ipsum ignoraret, pro tutore negotia pupilli gesserit, quasi tutor an quasi pro tutore negotia gesserit, teneatur.*

Respondit: non puto teneri quasi tutorem, quia scire quoque se tutorem esse debet, ut eo affectu negotia gerat, quo tutor gerere debeat.

Liber VI.

De legatis.

29. D. 34, 3, 6. Iavolenus libro sexto Epistularum.

1. *Post emancipationem vero filii eatenus pater (sc. cui liberatio legata est) actionem habebit, quatenus aliquid ex peculio aut in rem verso praestaturus est; id enim legatorum nomine ad patrem pertinebit, quod eius intererit.*

2. *Illud quaeri potest, an eo quoque nomine pater ex testamento agere possit, ut etiam filius actione liberetur. quibusdam eo usque extendi actionem placebat, quia patris interesse videatur, si peculium filio post emancipationem concessisset, integrum [ius] eius permanere.*

ego contra sentio; nec[1] *quicquam amplius patri praestandum ex eiusmodi scriptura testamenti puto, quam ut nihil ex eo, quod praestaturus heredi fuerit, praestet.*

De verborum obligatione.

30. D. 45, 1, 106. Idem (sc. Iavolenus) libro sexto Epistularum. — *Qui ex pluribus fundis, quibus idem nomen impositum fuerat, unum fundum sine ulla nota demonstrationis stipuletur, incertum stipulatur, id est eum fundum stipulatur, quem promissor dare voluerit. tamdiu autem voluntas promissoris in pendenti est, quamdiu id quod promissum est solvatur.*

De adquirendo rerum dominio.

31. D. 39, 5, 25. Idem (sc. Iavolenus) libro sexto Epistularum. — *Si tibi dederim rem, ut Titio meo nomine donares, et tu tuo nomine eam ei dederis, an factum eius putes?*

Respondit: si rem tibi dederim, ut Titio meo nomine donares, eamque tu tuo nomine ei dederis, quantum ad iuris suptilitatem accipientis facta non est et tu furti obligaris; sed benignius est, si agam contra eum qui rem accepit, exceptione doli mali me summoveri.

De usucapione.

32. D. 41, 3, 21. Idem (sc. Iavolenus) libro sexto Epistularum. — *Ei, a quo fundum pro herede* usu[2] *capturus eram, locavi eum. an ullius momenti eam locationem existimes, quaero; quod si nullius momenti existimas, an durare nihilo minus usucapionem eius fundi putes. item quaero, si eidem vendidero eum fundum, quid de his causis, de quibus supra quaesii, existimes.*

Respondit: si is, qui pro herede fundum possidebat, domino eum locavit, nullius momenti locatio est, quia

1 *Fl.* nihil. 2 *Trib.* diutius possidendo.

dominus suam rem conduxisset. sequitur ergo, ut ne possessionem quidem locator retinuerit, ideoque usucapio[1] *non duravit. in venditione idem iuris est, quod in locatione, ut emptio suae rei consistere non possit.*

?

33. D. 50, 17, 199. Idem (sc. Iavolenus) libro sexto Epistularum. — *Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.*

Liber VII.

De testamentis.

34. D. 50, 16, 116. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — *'Quisquis mihi alius filii filiusve heres sit'. Labeo non videri filiam contineri, Proculus contra. mihi Labeo videtur verborum figuram sequi, Proculus mentem testantis.*

Respondit: non dubito, quin Labeonis sententia vera non sit.

35. D. 28, 5, 65. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — *Eius servum, qui post mortem meam natus erit, heredem institui posse Labeo frequenter scribit idque verum esse manifesto argumento comprobat: quia servus hereditarius, priusquam adeatur hereditas, institui heres potest, quamvis is testamenti facti tempore nullius sit.*

36. D. 28, 5, 11. Iavolenus libro septimo Epistularum. — *'Attius fundi Corneliani heres esto mihi; duo Titii illius insulae heredes sunto.' habebunt duo Titii semissem, Attius semissem, idque Proculo placet. quid tibi videtur?*

Respondit: vera est Proculi opinio.

De legatis.

37. D. 31, 41 pr. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — *'Maevio fundi partem dimidiam, Seio*

1 *Trib.* longi temporis praescriptio.

partem dimidiam lego. eundem fundum Titio lego'. si Seius decesserit, pars eius utrique adcrescit, quia cum separatim et partes fundi et totus legatus sit, necesse est, ut ea pars quae cessat pro portione legati cuique eorum, quibus fundus separatim legatus est, adcrescat.

38. D. ibid. § 1. — *A me herede uxori meae ita legatum est: 'quidquid propter Titiam ad Seium dotis nomine pervenit, tantam pecuniam Seius heres meus Titiae det'. quaero, an deductiones impensarum fieri possint, quae fierent, si de* re uxoria[1] *ageretur.*

Respondit: non dubito, quin [uxori suae] quod ita legatum est: 'a te heres peto, quidquid ad te pervenisset, ut tantum ei dares', tota dos sine ratione deductionis impensarum [mulieri] debeatur. non autem idem ius, ⟨quod⟩ servari debet ex testamento extranei, servatur in testamento viri, qui dotem uxori relegavit. hic enim taxationis loco habendum est 'quidquid ad te pervenit'; illic autem, ubi vir uxori relegat, id videtur legare, quod in iudicio rei uxoriae[2] *mulier consecutura fuerit.*

39. D. 29, 4, 11. Iavolenus libro septimo Epistularum. — *Si ab instituto et substituto eadem res mihi legata sit et omissa causa testamenti hereditatem possideant lege, etiamsi ab utroque solidum mihi debetur, tamen ab uno legatum consecutus ab altero petere non potero; eligere itaque reum potero.*

De fideicommissis.

40. D. 33, 1, 15. Valens libro septimo Fideicommissorum (P. 22). — Iavolenus eum, qui rogatus post decem annos restituere pecuniam ante diem restituerat, respondit, si propter capientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicommissum relictum probetur et perdituro ei id heres ante diem restituisset, nullo modo liberatum esse; quod si tempus heredis causa prorogatum esset, ut

1 *Fl.* dote. 2 *Fl.* dotis.

commodum medii temporis ipse sentiret, liberatum eum intellegi; nam et plus eum praestitisse quam debuisset.

?

41. D. 41, 3, 22. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — *Heres et hereditas tametsi duas appellationes recipiunt, unius personae tamen vice funguntur.*

?

42. D. 44, 3, 4. Iavolenus libro septimo Epistularum. — *Si servus hereditarius aut eius, qui in hostium potestate sit, satis acceperit, continuo dies satisdationis cedere incipiet; intueri enim debemus, an experiundi potestas fuerit adversus eum, qui obligatus est, non an is agere potuerit, qui rem in obligationem deduxerit. alioquin erit iniquissimum ex condicione actorum obligationes reorum extendi, per quos nihil factum erit, quo minus cum his agi possit.*

De operis novi nuntiatione.

43. D. 39, 1, 23. Iavolenus libro septimo Epistularum. — *Is cui opus novum nuntiatum erat, vendidit praedium, emptor aedificavit. emptorem an venditorem teneri putas, quod adversus edictum factum sit?*

Respondit: cum operis novi nuntiatio facta est, si quid aedificatum est, emptor [id est dominus praediorum] tenetur, quia nuntiatio operis non personae fit et is demum obligatus est, qui eum locum possidet, in quem opus novum nuntiatum est.

Eisele Z. d. Sav.-St. XI p. 11.

?

44. D. 50, 17, 200. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum. — *Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est quod minimum habeat iniquitatis.*

Liber VIII.

De testamentis.

45. D. 38, 2, 36. Idem (sc. Iavolenus) libro oc-,vo Epistularum. — *Libertus qui solvendo non erat, 'aeterito patrono extrarios relinquit heredes. quaero, an ›ssit patronus petere contra tabulas bonorum possessionem. Respondit: cum a scriptis heredibus adita est here-:tas, patronus contra tabulas bonorum possessionem :tere potest, quia solvendo hereditas est, quae inveniat :redem. et sane absurdum est ius patroni in petenda morum possessione contra tabulas aliorum computatione, m iudicio ipsius patroni aestimari auferrique patrono, od modicum vindicaturus est. multi enim casus inter-nire possunt, quibus expediat patrono petere bonorum ›ssessionem, quamvis aeris alieni magnitudo, quam bertus reliquerit, facultates patrimonii eius excedat, luti si praedia sunt aliqua ex bonis liberti, in quibus aiorum patroni sepulchra sint et magni aestimat pa-onus bonorum possessionem* propter *ea iura*[1] *ad se rtinere, vel aliquid mancipium, quod non pretio, sed fectu sit aestimandum. non ergo ideo minus habere bet ius petendae bonorum possessionis 'qui animo potius am aliorum computatione' bona liberti aestimat, cum ipso sufficere patrimonium videri possit, quod et redem habeat et bonorum possessorem.*

De verborum obligatione.

46. D. 45, 1, 107. Idem (sc. Iavolenus) libro oc-,vo Epistularum. — *Utrum turpem talem stipulationem ites an non, quaero. pater naturalis filium, quem itius habebat in adoptionem, heredem instituit, si patria ›testate liberatus esset. pater eum adoptivus non alias nancipare voluit, quam si ei dedisset, a quo stipularetur rtam summam, si eum manumisisset. post emanci-*

1 *Fl.* bonorum possessione iura pro parte ea.

pationem adiit heres filius; petit nunc pecuniam pater ex stipulatione supra relata.

Respondit: non puto turpem esse causam stipulationis, utpote cum aliter filium emancipaturus non fuerit. nec potest videri iniusta causa stipulationis, si aliquid adoptivus pater habere voluerit, propter quod a filio post emancipationem magis curaretur.

Liber IX.

De bonis vacantibus.

47. D. 49, 14, 11. Iavolenus libro nono Epistularum. — *Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quae creditoribus superfutura sunt; id enim bonorum cuiusque esse intellegitur, quod aeri alieno superest.*

cf. Tac. ann. 2, 48. cf. Hirschfeld Vg. p. 57.

De legatis.

48. D. 33, 3, 4. Iavolenus libro nono Epistularum. — *Si is qui duas aedes habebat, unas mihi, alteras tibi legavit et medius paries, qui utrasque aedes distinguat, intervenit, eo iure eum communem nobis esse existimo, quo, si paries tantum duobus nobis communiter esset legatus, ideoque neque me neque te agere posse ius non esse alteri ita immissas ⟨trabes⟩ habere; nam quod communiter socius habet,* item *iure me habere*[1] *constitit. itaque de ea re arbiter communi dividundo sumendus est.*

De lege Aquilia.

49. D. 9, 2, 38. Idem (sc. Iavolenus) libro nono Epistularum. — *Si eo tempore, quo tibi meus servus quem bona fide emisti serviebat, ipse a servo tuo vulneratus est, placuit omni modo me tecum recte lege Aquilia experiri.*

1 *Fl.* et in iure eum habere.

De iniuriis.

50. D. 47, 10, 21. Iavolenus libro nono Epistularum. — *Iniuriarum aestimatio non ad id tempus, quo iudicatur, sed ad id, quo facta est, referri debet.*

De interdicto utrubi.

51. D. 41, 3, 23. Idem (sc. Iavolenus) libro nono Epistularum.

1. *Eum, qui aedes mercatus est, non puto aliud quam ipsas aedes possidere; nam si singulas res possidere intellegetur, ipsas* ⟨*aedes*⟩ *non possidebit; separatis enim corporibus, ex quibus aedes constant, universitas aedium intellegi non poterit. accedit eo, quod, si quis singulas res possidere dixerit, necesse erit dicat* usucapioni[1] *superficiei* anno[2] *locum esse, solum se capturum esse* biennio[3]. *quod absurdum et minime iuri civili conveniens est, ut una res diversis temporibus capiatur* ⟨*usu?*⟩*[, ut puta cum aedes ex duabus rebus constant, ex solo et superficie, et universitas earum possessionem temporis immobilium rerum omnium mutet].*

2. *Si autem columna evicta fuerit, puto te ex empto cum venditore recte acturum et eo genere rem salvam habiturum.*

3. *Si autem demolita domus est, ex integro res mobiles possidendae sunt, ut* anno[4] *usucapiantur. et* ⟨*si interdicto utrubi agetur,*⟩ *non potes recte uti eo tempore, quo in aedificio fuerunt; nam quemadmodum eas solas et separatas ab aedificio non possedisti, sic nec penes te singulae aut separatae fuerunt et cohaerentibus his in aedificio [depositis aedibus], quae hoc quoque ipsum continent* ⟨*de aedificii, non singularum rerum possessione interdicetur*⟩. *neque enim recipi potest, ut eadem res et ut res soli et tamquam mobilis sit possessa.*

1 *Trib.* possessione. 2 *Trib.* tempori de mobilibus statuto. 3 *Trib.* ampliori. 4 *Trib.* tempore quod in usucapione rerum mobilium constitutum est.

Lenel P. ad Iav. 114 et Z. d. Sav.-St. VIII p. 198. — Mommsen § 2 ita legendam existimat: 'nam quemadmodum eas solas et separatas ab aedificio non possedisti nisi depositis aedibus, quae hoc quoque ipsum continent, sic nec penes te singulae aut separatae fuerunt cohaerentibus his in aedificio.' Eisele Jahrb. f. Dogm. XXIV p. 515 n. 9 voce 'et' ante 'cohaerentibus' et commate 'depositis aedibus quae hoc quoque ipsum continent' abiectis legit: 'nam quemadmodum eas solas et separatas ab aedificio non possedisti, sic nec penes te singulae aut separatae fuerunt cohaerentibus his in aedificio.'

?

52. D. 50, 16, 117. Idem (sc. Iavolenus) libro nono Epistularum. — *Non potest videri 'minus solvisse' is, in quem amplioris summae actio non competit.*

Liber X.

De testamentis.

53. D. 50, 17, 201. Idem (sc. Iavolenus) libro decimo Epistularum. — *Omnia, quae ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.*

De iure dotium.

54. D. 45, 1, 108. Idem (sc. Iavolenus) libro decimo Epistularum.

1. *A Titio ita stipulatus sum: 'si qua mihi nupserit, decem dotis eius nomine dare spondes?' quaerebatur, an consistat talis stipulatio.*

Respondit: si stipulanti mihi dos ita promissa est: 'quamcumque uxorem duxero, dotis eius nomine decem dare spondes?', nihil in causa est, quare ea pecunia condicione expleta non debeatur; nam cum condicio etiam ex incertae personae facto parere obligationem

possit, veluti 'si quis in Capitolium ascenderit, decem dare spondes?', 'si quis a me decem petierit, tot dare spondes?', cur non idem et in dote promissa respondeatur, ratio reddi non potest.

2. *Nulla promissio potest consistere, quae ex voluntate promittentis statum capit.*

De verborum obligatione.

55. D. 46, 1, 42. Iavolenus libro decimo Epistularum. — *Si ita fideiussorem accepero: 'quod ego decem credidi, de ea pecunia mille modios tritici fide tua esse iubes?', non obligatur fideiussor, quia in aliam rem, quam quae credita est, fideiussor obligari non potest[, quia non, ut aestimatio rerum quae mercis numero habentur in pecunia numerata fieri potest, ita pecunia quoque merce aestimanda est].*

Eisele Z. d. Sav.-St. XIIII p. 149.

De iudiciis privatis.

56. D. 5, 1, 35. Idem (sc. Iavolenus) libro decimo Epistularum. — *Non quemadmodum fideiussoris obligatio in pendenti potest esse et vel in futurum concipi, ita iudicium in pendenti potest esse vel de his rebus quae postea in obligationem adventurae sunt. nam neminem puto dubitaturum, quin fideiussor ante obligationem rei accipi possit, iudicium vero, antequam aliquid debeatur, non posse.*

De adquirendo rerum dominio.

57. D. 46, 3, 79. Idem (sc. Iavolenus) libro decimo Epistularum. — *Pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem si in conspectu meo ponere te iubeam, efficitur, ut et tu statim libereris et mea esse incipiat; nam tum, quod a nullo corporaliter eius rei possessio detinetur, adquisita mihi et quodammodo manu longa tradita existimanda est.*

Liber XI.

De testamentis.

58. D. 36, 1, 48. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Seius Saturninus archigubernus ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit heredem Valerium Maximum trierarchum, a quo petit, ut filio suo Seio Oceano, cum ad annos sedecim pervenisset, hereditatem restitueret. Seius Oceanus antequam impleret annos, defunctus est. nunc Mallius Seneca, qui se avunculum Seii Oceani dicit, proximitatis nomine haec bona petit, Maximus autem trierarchus sibi ea vindicat ideo, quia defunctus est is cui restituere iussus erat. quaero ergo, utrum haec bona ad Valerium Maximum trierarchum heredem fiduciarium pertineant an ad Mallium Senecam, qui se pueri defuncti avunculum esse dicit.*

Respondi: si Seius Oceanus, cui fideicommissa hereditas ex testamento Seii Saturnini, cum annos sedecim haberet, a Valerio Maximo fiduciario herede restitui debeat, priusquam praefinitum tempus aetatis impleret, decessit, fiduciaria hereditas ad eum pertinet, ad quem cetera bona Oceani pertinuerint, quoniam dies fideicommissi vivo Oceano cessit, scilicet si prorogando tempus solutionis tutelam magis heredi fiduciario permisisse, quam incertum diem fideicommissi constituisse videatur.

De legatis.

59. D. 35, 1, 67. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Cum sub hac condicione fundus alicui legatus esset 'si servum non manumiserit' et, si manumiserit, legatum fundi ad Maevium translatum esset, legatarius de non liberando satisdedit et legatum accepit et postea liberavit. quaero, an aliquid Maevio detur.*

Respondit: si cui ita legatum erit 'si servum non manumiserit', satisdatione interposita accipere ab herede legatum poterit et, si postea servum manumiserit, com-

missa stipulatione heredi vel fundum vel quanti ea res est restituet eoque casu heres ei, cui ex sequenti condicione legatum debuerit, restituet.

De fideicommissis.

60. D. 31, 42. Idem (sc. Iavolenus) libro undecimo Epistularum. — *Cum ei, qui partem capiebat, legatum esset, ut alii restitueret, placuit solidum capere posse.*

De emptione venditione.

61. D. 19, 2, 21. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Cum venderem fundum, convenit, ut, donec pecunia omnis persolveretur, certa mercede emptor fundum conductum haberet. an soluta pecunia merces accepta fieri debeat?*

Respondit: bona fides exigit, ut quod convenit fiat; sed non amplius praestat is venditori, quam pro portione eius temporis, quo pecunia numerata non esset.

62. D. 18, 1, 65. Idem (sc. Iavolenus) libro undecimo Epistularum. — *Convenit mihi tecum, ut certum numerum tegularum mihi dares certo pretio quas* tu[1] *faceres. utrum emptio sit an locatio?*

Respondit: si ex meo fundo tegulas tibi factas ut darem convenit, emptionem puto esse, non conductionem; totiens enim conductio alicuius rei est, quotiens materia, in qua aliquid praestatur, in eodem statu eiusdem manet; quotiens vero et immutatur et alienatur, emptio magis quam locatio intellegi debet.

De locatione conductione.

63. D. 19, 2, 51 pr. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Ea lege fundum locavi, ut, si non ex lege coleretur, relocare eum mihi liceret et quo minoris locassem, hoc mihi praestaretur, nec convenit, ut, si pluris locassem, hoc tibi praestaretur, et cum nemo fundum*

1 *Fl.* quod ut.

colebat, pluris tamen locavi. quaero, an hoc ipsum praestare debeam.

Respondit: in huiusmodi obligationibus id maxime spectare debemus, quod inter utramque partem convenit. videtur autem in hac specie id silentio convenisse, ne quid praestaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus[, id est ut haec conventio pro locatore tantummodo interponeretur].

Eisele Z. d. Sav.-St. XI p. 9.

64. D. 19,2,51,1. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Locavi opus faciendum ita, ut pro opere redemptori certam mercedem in dies singulos darem; opus vitiosum factum est. an ex locato agere possim?*

Respondit: si ita opus locasti, ut bonitas eius tibi a conductore adprobaretur, tametsi convenit, ut in singulas operas certa pecunia daretur, praestari tamen tibi a conductore debet, si id opus vitiosum factum est. non enim quicquam interest, utrum uno pretio opus an in singulas operas collocatur, si modo universitas consummationis ad conductorem pertinuit. poterit itaque ex locato cum eo agi, qui vitiosum opus fecerit [nisi si ideo in operas singulas merces constituta erit, ut arbitrio domini opus efficeretur; tum enim nihil conductor praestare domino de bonitate operis videtur].

Eisele Z. d. Sav.-St. X p. 312.

De verborum obligatione.

65. D. 46, 1, 44. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Stipulatus es opus arbitratu tuo ante certam diem fieri, quod si effectum non esset, quanti ut efficiatur opus locasses, tanti fideiussores cepisti; et quia opus effectum non erat, alii locasti et, cum posterior conductor satis non daret, ipse opus fecisti. quaero, an fideiussor teneatur.*

Respondit: secundum ea verba stipulationis, quae a te proposita sunt, fideiussores non tenentur. non enim

id fecisti, quod in stipulatione convenerat, id est opus alii non locasti, tametsi postea locasti. ea enim locatio, quam secutus es, perinde est, ac si interposita non esset et si statim tu opus facere coepisses.

De donationibus.

66. D. 24, 1, 20. Iavolenus libro undecimo Epistularum. — *Si is servus, qui uxori mortis causa donatus est, prius quam vir decederet stipulatus est, in pendenti puto esse causam obligationis, donec vir aut moriatur aut suspicione mortis, propter quam donavit, liberetur. quidquid autem eorum inciderit, quod donationem aut peremat aut confirmet, id quoque causam stipulationis aut confirmabit aut resolvet.*

?

67. D. 50, 17, 202. Idem (sc. Iavolenus) libro undecimo Epistularum. — *Omnis definitio in iure civili periculosa est;* rarum[1] *est enim, ut non subverti posset.*

Liber XII.

De testamentis.

68. D. 28, 5, 66. Idem (sc. Iavolenus) libro duodecimo Epistularum. — *Hereditas ad Statium Primum nullo iure pertinet, cum institutus heres non sit. nec quicquam ei prodest, quod ab eo aliquid legatum est aut libertus ei defuncti testamento commendatus est. ex quo si manumissus non est, servus est.*

De adquirendo rerum dominio.

69. D. 44, 7, 55. Iavolenus libro duodecimo Epistularum. — In omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium; nam sive ea venditio sive donatio sive

1 *Fl.* parum *emend. Haloander.*

conductio sive quaelibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum id quod inchoatur non potest.

Pernice Z. d. Sav.-St. IX p. 204 n. 1: 'Niemand hat die in jeder Beziehung anstöfsige Ausführung erläutert ... ich mufs ... die Stelle für interpolirt erklären, in der Art, dafs der ursprüngliche Text Javolens nicht mehr zu entziffern ist. Die Auseinandersetzung fällt aus dem Tone seiner Briefe ganz heraus: sie läfst sich nicht, wie etwa fr. 18 comm. div. 10, 3, fr. 20 de usurp. 41, 3 u. a. als Begründung eines Gutachtens denken. Die Anfangsworte sind so unglaublich ungeschickt, dafs man sie nur als Änderung einer Vorlage, nicht als ursprüngliche Worte, selbst nicht eines Kompilators erklären kann. Der hier völlig unpassend gebrauchte Ausdruck in rebus liefse sich aus einem verdrehten rem contrahere erklären. Jedenfalls ist die Schlufswendung ad effectum perduci griechisch: *εἰς ἔργον ἄγειν* und rührt von den Kompilatoren her (Gradenwitz Z. f. RG., N. F. 8, 300).' consentit Lenel P. II col. 1262.

Liber XIII.

De legatis.

70. D. 19, 5, 10. Iavolenus libro tertio decimo Epistularum. — *Partis tertiae usum fructum legavit. heredis bona ab eius creditoribus distracta sunt et pecuniam, quae ex aestimatione partis tertiae fiebat, mulier accepit fruendi causa et per ignorantiam stipulatio praetermissa est. quaero, an ab herede mulieris pecunia, quae fruendi causa data est, repeti possit, et qua actione.*

Respondi in factum actionem dari debere.

71. D. 35, 1, 55. Idem (sc. Iavolenus) libro tertio decimo Epistularum. — *Maevius, cui fundus legatus est, si Callimacho, cum quo testamenti factionem non habebat, ducenta dedisset, condicioni parere debet et ducenta dare, ut ad eum legatus fundus pertineat, licet*

nummos non faciat accipientis. quid enim interest, utrum tali personae dare iubeatur an aliquo loco ponere vel in mare deicere? neque enim illud, quod ad talem personam perventurum est, testamenti nomine, sed mortis causa capitur.

Mommsen notat: '*requiri videntur talia:* 'Maevius, cui fundus legatus est, si Callimacho, cum quo (testator) testamenti factionem non habebat, . . . pertineat: neque enim illud, quod ad talem personam perventurum est, testamenti nomine, sed mortis causa capitur. ⟨et fortasse quis dixerit, etsi Callimachus ducenta ne adquirere quidem potuit, tamen dare Maevium debere⟩, licet nummos non faciat accipientis: quid enim interest . . . in mare deicere.' *at Lenel extrema verba*: 'neque . . . capitur' *ita explicat*: etsi non testamenti nomine capitur, mortis tamen causa capitur. 'Latini enim et peregrini nec mortis causa capere possunt cf. D. 39, 6, 9. Vat. 259. nil igitur mutandum.'

De iure dotium.

72. D. 24, 1, 50. Iavolenus libro tertio decimo Epistularum.

1. *Si, cum mulier viginti servum emisset, in eam emptionem vir quinque venditori dedit, divortio facto omnimodo vir eam summam* retinebit *neque ad rem pertinet, an is servus deterior factus sit; nam et si mortuus esset, quinque* retentio *ei competeret. quaeritur enim, an mulier ex viri patrimonio locupletior sit eo tempore, quo de* re uxoria *agebatur; facta autem intellegitur, quae aere alieno suo interventu viri liberata est, quod potuisset adhuc debere, si vir pecuniam non solvisset[; neque enim interest, ex qua causa mulier pecuniam debuit, utrum creditam an eam quam ex emptione praestare debeat?].*

2. *Quod si mulier non emerat servum, sed ut emeret, a viro pecuniam accepit, tum vel mortuo vel deteriore facto servo damnum ad virum pertinebit, quia quod aliter emptura non fuit, nisi pecuniam a viro accepisset, hoc*

consumptum ei perit qui donavit[, si modo in rerum natura esse desiit; nec videtur mulier locupletior esse, quae neque a creditore suo liberata est neque id possidet quod ex pecunia viri emerat].

Pernice III p. 199.

De verborum obligatione.

73. D. 46, 1, 20. Iavolenus libro tertio decimo Epistularum. — *Sed etsi servi dominus pecuniam solverit, repetere eam non ab eo pro quo fideiussit, sed ab eo cui numeravit poterit, cum servus fideiussionis nomine obligari non possit. sequitur ergo, ut ab eo, pro quo fideiusserat, repeti non possit, cum ipse*[1] *aere alieno obligatus sit nec solutione liberari eius pecuniae nomine potuerit, cuius obligatio ad servum non pertinuit.*

?

74. D. 1, 4, 3. Iavolenus Epistularum libro tertio decimo. — *Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.*

Fieri potest, ut Iavolenus de eodem divi Traiani beneficio consultus sit, cuius Aburnius Valens mentionem facit D. 49, 14, 42.

Liber XIV.

De legatis.

75. D. 35, 1, 56. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto decimo Epistularum. — *Cui fundus legatus est, si decem dederit, partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerasset. dissimilis est causa, cum duobus eadem res sub condicione legata est; in hac enim quaestione statim a testamento, quo pluribus condicio adposita*

1 *Krueger pro* ut ab eo — cum ipse *potius legendum putat* ut is pro quo fideiusserat.

est, divisa quoque in singulas personas videri potest, et ideo singuli pro sua parte et condicioni parere et legatum capere possunt. nam quamvis summa universe condicioni[1] *sit adscripta, enumeratione personarum potest videri esse divisa. in eo vero, quod uni sub condicione legatum est, scindi ex accidenti condicio non debet, et omnis numerus eorum, qui in locum eius substituuntur, pro singulari persona est habendus.*

De verborum obligatione.

76. D. 45, 3, 36. Iavolenus libro quarto decimo Epistularum. — *Quod servus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habebat, nullius est momenti, quia qui pro derelicto rem habet, omnimodo a se reiecit nec potest eius operibus uti, quem eo (nullo?) iure ad se pertinere noluit. quod si ab alio adprehensus est, stipulatione ei adquirere poterit; nam et haec genere quodam donatio est. inter hereditarium enim servum et eum, qui pro derelicto habetur, plurimum interest, quoniam alter hereditatis iure retinetur, nec potest* de*relictus*[1] *videri qui universo hereditatis iure continetur, alter voluntate domini derelictus non potest videri ad usum eius pertinere, a quo* de*relictus*[2] *est.*

De possessione.

77. D. 41, 2, 24. Idem (sc. Iavolenus) libro quarto decimo Epistularum. — *Quod servus tuus ignorante te vi possidet; id tu non possides, quoniam is, qui in tua potestate est, ignoranti tibi non corporalem possessionem, sed iustam potest adquirere, sicut id, quod ex peculio ad eum pervenerit, possidet. nam tum per servum dominus quoque possidere dicitur, summa scilicet cum ratione, quia, quod ex iusta causa corporaliter a servo tenetur, id in peculio servi est et peculium, quod servus civiliter quidem possidere non posset, sed naturaliter*

1 *Fl.* condicionis.
2 *Fl.* relictus.

tenet, dominus creditur possidere. quod vero ex maleficiis adprehenditur, id ad domini possessionem ideo non pertinet, quia nec peculii causam adprehendit.

VII. Incertae sedis fragmenta.

De heredibus instituendis.

1. D. 28, 5, 19. Ulpianus libro septimo ad Sabinum. — Ex facto .. agitatum Pomponius et Arrianus referunt, si quis vacua parte relicta ita instituerit: 'si mihi Seius heres non erit', quem non instituerat, 'Sempronius heres esto', an hic occupare possit vacantem portionem. et Pegasus quidem existimat ad eam partem admitti; Aristo contra putat, quia huic pars esset data, quae nulla esset; quam sententiam et Iavolenus probat . . .

Fragmentum fortasse libris ex Plautio attribuendum esse Lenel conicit.

De legatis.

2? D. 7, 8, 10, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — .. si sic relictus sit: 'illi domus usu*m* fructu*m* habitandi causa', utrum habitationem solam an vero et usum fructum habeat, videndum. et Priscus et Neratius putant solam habitationem legatam.

Pro 'Priscus', quod libri nostri habent, Mommsen Stephanum secutus 'Proculus' scripsit. v. supra p. 145.

De Latinorum bonis.

3. Gai. 3, 70. — .. si cum liberis suis etiam extraneum heredem patronus reliquerit, Caelius Sabinus ait tota bona pro virilibus partibus ad liberos defuncti pertinere, quia cum extraneus heres intervenit, non habet lex Iunia locum, sed senatus consultum (sc. quod Lupo et Largo consulibus factum est). Iavolenus autem ait tantum eam partem ex senatus consulto liberos patroni pro virilibus partibus habituros esse,

quam extranei heredes ante senatus consultum lege Iunia habituri essent, reliquas vero partes pro hereditariis partibus ad eos pertinere.

De patronorum nuptiis.

4. D. 23, 2, 46. Gaius libro octavo ad legem Iuliam et Papiam. — Illud dubitationis est, an et qui communem libertam uxorem duxerit ad hoc ius admittatur (sc. 'quod dicit, invito patrono libertam, quae ei nupta est, alii nubere non posse'). Iavolenus negavit, quia non proprie videtur eius liberta, quae etiam alterius sit.

Gaius addit: 'aliis contra visum est, quia libertam eius esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta, quam sententiam plerique recte probaverunt.'

De tutela.

5? Ulp. 11, 28. — ... puberem .. Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes appareat, id est qui generare possit; Proculeiani autem eum qui quattuordecim annos explevit; verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit, et habitus corporis et numerus annorum.

De traditione.

6? D. 41, 2, 1, 21. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Si iusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit, videri mihi traditam Priscus ait, idemque esse, si nummos debitorem iusserim alii dare. non esse enim corpore et tactu necesse adprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu argumento esse eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas, nam pro traditis eas haberi, si in re praesenti consenserint; et vina tradita videri, cum claves cellae vinariae emptori traditae fuerint.

De emptione venditione.

7? D. 41, 4, 2, 6. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Cum Stichum emissem, Dama per ignorantiam mihi pro eo traditus est. Priscus ait usu me eum non capturum, quia id quod emptum non sit, pro emptore usucapi non potest; sed si fundus emptus sit et ampliores fines possessi sint, totum *usucapi*[1], quoniam universitas eius possideatur, non singulae partes.

De interrogationibus in iure faciendis.

8. D. 11, 1, 20, 1. Paulus libro secundo Quaestionum — In iure interrogatus, an fundum possideat, quaero an respondere cogendus sit et quota ex parte fundum possideat. respondi: Iavolenus scribit possessorem fundi cogi debere respondere, quota ex parte fundum possideat, ut si minore ex parte possidere se dicat, in aliam partem, quae non defenderetur, in possessionem actor mittatur.

De glandis appellatione.

9. D. 50, 16, 236, 1. Idem (sc. Gaius) libro quarto ad legem duodecim tabularum — 'Glandis' appellatione omnis fructus continetur, ut Iavolenus ait, exemplo Graeci sermonis, apud quos omnes arborum species *ἀκρόδρυα* appellantur.

---

7. P. IUVENTIUS CELSUS TITUS AUFIDIUS HOENIUS SEVERIANUS

Iuventii Celsi (de quo supra p. 256) filius, cum anno 95 contra Domitianum conspiravisset (Dio Cass. 67, 13), sua calliditate periculo liberatus anno 106 vel 107 praetor,

1 *Trib.* longo tempore capi.

legatus in Thracia, consul sub Traiano, ut videtur, primum, iterum consul anno 129, in Hadriani consilium receptus est.

Plinius ep. 6, 5 litteris ad Ursum datis de praetore haec narrat: 'scripseram tenuisse Varenum ut sibi evocare testes liceret; quod pluribus aequum, quibusdam iniquum et quidem pertinaciter visum, maxime Licinio Nepoti, qui sequenti senatu, cum de rebus aliis referretur, de proximo senatus consulto disseruit finitamque causam retractavit. addidit etiam petendum a consulibus ut referrent sub exemplo legis ambitus de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adici ut, sicut accusatoribus inquirendi testibusque denuntiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoque fieret. fuerunt quibus haec eius oratio ut sera et intempestiva et praepostera displiceret, quae omisso contra dicendi tempore castigaret peractum cui potuisset occurrere. Iuventius quidem Celsus praetor tamquam emendatorem senatus et multis et vehementer increpuit. respondit Nepos, rursusque Celsus: neuter contumeliis temperavit ... mihi quidem illud etiam peracerbum fuit quod sunt alter alteri quid pararent indicati. nam et Celsus Nepoti ex libello respondit et Celso Nepos ex pugillaribus ...'

Ab ipso patre et Aristone, ut videtur, instructus (D. 31, 20 'a patre sic accepi quod'. D. 40, 7, 29, 1 'Aristo Celso rescripsit') et respondendo et libris scribendis operam dedit successitque scholae princeps patri Celso aut ante Neratium Priscum aut cum Neratio (Pomponius § 53: 'successit ... patri Celso Celsus filius et Priscus Neratius'.)

Ante Digestorum libros XXXIX Hadriano principe compositos et ab hac collectione alienos, fortasse iam Traiano principe Epistularum, Quaestionum, Commentariorum libri postea in Digestorum libros recepti, quos Tribonianus neglexit, emissi sunt.

Laudat Sextum Aelium (D. 19, 1, 38, 1), Catonem (D. 50, 16, 98, 1), Brutum (D. 18, 2, 11, 1), Drusum (D. 19, 1, 38), Rutilium (D. 7, 8, 10, 3), Quintum Mucium

Scaevolam (D. 17, 1, 48. 18, 1, 59. 18, 2, 11, 1. 50, 16, 98), Servium (D. 26, 1, 3, 4. 30, 63. 33, 10, 7), Tuberonem (D. 15, 1, 5, 4. 32, 43. 33, 10, 7, 2. 45, 1, 72 pr. cf. D. 7, 8, 2, 1), Cascellium (D. 50, 16, 158), Trebatium (D. 28, 5, 60), Labeonem (D. 3, 5, 9, 1. 12, 1, 42. 15, 1, 6. 18, 2, 11, 1. 28, 5, 60 pr. 32, 43. 33, 10, 7), Nervam (D. 16, 3, 32. cf. D. 31, 27), Sabinum (Vat. fr. 75. Collat. 12, 7, 10. D. 7, 5, 5, 1. 8, 1, 9. 8, 5, 19. 8, 6, 12. 18, 2, 11, 1. 33, 7, 12, 20), Cassium (D. 33, 7, 12, 20. 43, 12, 1, 3), Proculum (D. 3, 5, 9, 1. 4, 8, 23, 1. 8, 1, 10. 16, 3, 32. 28, 5, 9, 3. 28, 5, 60, 2. 31, 20. 32, 79, 1. 34, 2, 3), patrem (D. 12, 4, 3, 7. 31, 20), Vivianum (D. 4, 8, 21, 11), Neratium (D. 14, 6, 7 pr. 50, 17, 191), quosdam (Collat. 12, 7, 10. D. 28, 5, 60 pr.); praeterea id refert, quod Marcus Tullius, cum arbiter esset, primus constituit (D. 50, 16, 96 pr.), quod Gaius Cassius edixit (D. 4, 6, 26, 7), quod a quibusdam, qui provinciis praesunt, observari solet (D. 48, 3, 11).

Improbavit quasdam sententias Servii (D. 30, 63 'Servius ... negat, quod falsum puto'), Labeonis (D. 15, 1, 6 'Labeo ait ..., quod falsum est'), Sabini (Vat. 75 'quamquam Sabinus responderit ... quam sententiam ipse' sc. Celsus, 'ut stolidam reprehendit'), Nervae (D. 21, 2, 29 pr. 'falsum esse quod Nerva respondisset ..., Celsus filius aiebat'), Proculi (D. 3, 5, 9, 1 'Proculus ... notat ... sed istam sententiam Celsus eleganter deridet'. Collat. 12, 7, 10 'Celsus scribit ... quosdam negare ..., inter quos et Proculum ... sed id falsum esse Celsus ait'), incertorum (D. 50, 1, 1, 2 'quidam putant. quorum sententiam Celsus non probat); probavit quasdam Sexti Aelii et Drusi (D. 19, 1, 38, 1 'quorum et mihi iustissima videtur esse sententia'), Rutilii (D. 7, 8, 10, 3 'Rutilius ... ait, quam sententiam et Celsus probat'), Quinti Mucii (D. 17, 1, 48 'hoc bene censuit Scaevola'. D. 18, 1, 59 'verum est quod Quinto Mucio placebat'), Servii (D. 28, 5, 17, 1 'Servius ait ... quod et Celsus ... probat'. D. 33, 10, 7, 2 'non .. a Servio dissentio'), Tuberonis (D. 15, 1, 5, 4 'Tuberonis sententiam et ipse Celsus probat'. D. 45, 1, 72 'Celsus ...

refert Tuberonem existimasse ..., secundum quem Celsus ait posse dici'. D. 7, 8, 2, 1 'Celsus scripsit, ... quam sententiam et Tubero probat'. cf. D. 33, 10, 7 'magnopere me Tuberonis .. auctoritas movet'), Labeonis (D. 36, 2, 12, 1 'Labeo ... et Celsus ... hoc probaverunt'), Nervae (D. 16, 1, 32 'quod Nerva diceret ..., mihi verissimum videtur'), Sabini (D. 8, 6, 12 'quod et Sabino recte placet'. D. 8, 1, 9 'sicuti Sabino quoque videbatur'. D. 28, 5, 9, 13 'Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur'. D. 7, 5, 5, 1 'Sabinus putat ..., quam sententiam et Celsus ... probat'. D. 13, 2, 2 'Sabinus scribit, et ita et Celsus, sed ita si'), Cassii (D. 43, 12, 1, 3 'haec sententia Cassii, quam et Celsus probat'), Proculi (D. 28, 5, 60, 2 'verum est quod Proculo placet'. D. 28, 5. 9, 3 'Proculus putat ..., quam sententiam et Celsus probat'. D. 34, 2, 19, 3 'Proculus et Celsus aiunt'. Vat. fr. 1 'Proculus et Celsus'), Viviani (D. 4, 8, 21, 11 'Vivianus ait ..., quam sententiam et Celsus ... probat'), Neratii (D. 14, 6, 7 pr. 'Neratius ... ait, idem Celsus'. cf. Vat. fr. 78 'Neratius putat ... cuius sententiae congruit ratio Celsi dicentis').

Celsus a posteris designatur vel 'Celsus filius' (scilicet a Pomponio D. 13, 6, 13, 2. 18, 1, 6 pr. 18, 5, 1. 41, 1, 30, 1 et Ulpiano D. 13, 6, 5, 15), vel 'Celsus adulescens' (a Paulo D. 45, 1, 91, 3).

I. Responsa.

Quamquam nonnulla responsa Hadrianae aetatis esse possunt, omnia tamen hoc loco collocare idoneum duxi.

De testamentis.

1. D. 28, 1, 27. Celsus libro quinto decimo Digestorum. — Domitius Labeo Celso suo salutem. Quaero an testium numero habendus sit is, qui cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoque cum tabulas scripsisset, signaverit.

Iuventius Celsus Labeoni suo salutem. ⟨*Aut*⟩ *non*

intellego quid sit, de quo me consulueris, aut valide stulta est consultatio tua; plus enim quam ridiculum est dubitare, an aliquis iure testis adhibitus sit, quoniam idem et tabulas testamenti scripserit.

De legatis.

2. D. 31, 30. Idem (sc. Celsus) libro trigensimo septimo Digestorum. — Quidam in testamento ita scripsit: 'rei publicae Graviscanorum lego in tutelam viae reficiendae, quae est in colonia eorum usque ad viam Aureliam'. quaesitum est, an hoc legatum valeat. Iuventius Celsus respondit: *propemodum quidem imperfecta est haec scriptura [in tutelam Aureliae viae], quia summa adscripta non est; potest tamen videri tanta summa legata, quanta ei rei sufficeret.*

Tribonianus addidit: 'si modo non apparet aliam fuisse defuncti voluntatem aut ex magnitudine eius pecuniae aut ex mediocritate facultatium, quam testatrix reliquit; tunc enim officio iudicis, secundum aestimationem patrimonii et legati, quantitas definiri potest'. cf. Gradenwitz p. 211.

cf. Ulp. 24, 28.

De fideicommissis.

3. D. 29, 7, 18. Celsus libro vicensimo Digestorum. — Plotiana Celso suo salutem. Lucius Titius his verbis ita cavit: 'si quid tabulis aliove quo genere ad hoc testamentum pertinens reliquero, ita valere volo'. quaero, an codicilli, qui ante hoc testamentum scripti sunt, debeant rati esse.

Iuventius Celsus Plotianae salutem. Haec verba: 'si quid ad hoc testamentum pertinens reliquero, valere volo', etiam ea quae ante testamentum scripta sunt, comprehendere.

4. D. 36, 1, 33. Celsus libro vicensimo Digestorum. — Ballista filium familias heredem instituit ita:

'Rebellianus si caverit coloniae Philippensium, si sine liberis morietur, quantacumque pecunia ex hereditate deve bonis meis ad eum pervenit, eam pecuniam omnem ad coloniam Philippensium perventuram'. respondi: *ex his verbis, quae proponis, [id est pecuniam] existimo etiam fructus, quos ex hereditate percepit, restituere eum debere, perinde quasi specialiter hoc testator expressisset.*

De societate.

5. D. 17, 2, 58 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 926). — Si id quod quis in societatem contulit extinctum sit, videndum, an pro socio agere possit. tractatum ita est apud Celsum libro septimo Digestorum ad epistulam Cornelii Felicis: cum tres equos haberes et ego unum, societatem coimus, ut accepto equo meo quadrigam venderes et ex pretio quartam mihi redderes. si igitur ante venditionem equus meus mortuus sit, non putare se Celsus ait societatem manere nec ex pretio equorum tuorum partem deberi; non enim habendae quadrigae, sed vendendae coitam societatem.

De tutelis.

6. D. 23, 3, 60. Celsus libro undecimo Digestorum. — Quaero, quantae pecuniae dotem promittenti adultae mulieri *tutor auctoritatem*[1] accommodare debeat. respondit: *modus ex facultatibus et dignitate mulieris maritique statuendus est, quousque ratio patitur.*

7. D. 27, 8, 7. Celsus libro undecimo Digestorum. — In magistratus, qui tutorem dederunt, rogo rescribas utrum pro virili portione actio danda sit, an optio sit eius qui pupillus fuit, cum quo potissimum agat. respondit: *si dolo fecerunt magistratus, ut minus pupillo caveretur, in quem vult actio ei danda in solidum est; sin culpa dumtaxat eorum neque dolo malo id factum*

1 *Trib.* curator consensum.

est, aequius esse existimo pro portione in quemque eorum actionem dari, dum pupillo salva res sit.

De servitutibus.

8. D. 8, 6, 6, 1. Celsus libro quinto Digestorum. — Si ego via quae nobis per vicini fundum debebatur, usus fuero, tu autem *biennio*[1] cessaveris, an ius tuum amiseris? et e contrario, si vicinus, cui via per nostrum fundum debebatur, per meam partem ierit egerit, tuam partem ingressus non fuerit, an partem tuam liberaverit? Celsus respondit: *si divisus est fundus inter socios regionibus, quod ad servitutem attinet, quae ei fundo debebatur, perinde est, atque si ab initio duobus fundis debita sit; et sibi quisque dominorum usurpat servitutem, sibi non utendo deperdit nec amplius in ea re causae eorum fundorum miscentur; nec fit ulla iniuria ei cuius fundus servit, immo si quo melior, quoniam alter dominorum utendo sibi, non toti fundo proficit.*

De minoribus.

9. D. 4, 4, 3, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro undecimo ad edictum.

v. infra Epistularum libros.

Mandati.

10. D. 17, 1, 16. Ulpianus libro trigensimo primo ad edictum. — Si quis mihi mandaverit in meo aliquid facere et fecero, quaesitum est, an sit mandati actio. et ait Celsus libro septimo Digestorum hoc respondisse se, cum Aurelius Quietus hospiti suo medico mandasse diceretur, ut in hortis eius quos Ravennae habebat, in quos omnibus annis secedere solebat, sphaeristerium et hypocausta et quaedam ipsius valetudini apta sua impensa faceret; deducto

1 *Trib.* constituto tempore.

igitur, quanto sua aedificia pretiosiora fecisset, quod amplius impendisset posse eum mandati indicio persequi.

Quibus ex causis in possessionem eatur.

11. D. 42, 4, 7, 17. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum. — Celsus . . Sexto respondit, si fundum, quem petere volo, Titius possideat neque absens defendatur, commodius se existimare in fundi possessionem mittendum quam bona eius possideri. hoc adnotandum est, Celsum consultum non de latitante, sed de absente.

II. Epistularum libri.

Liber XI.

De minore viginti quinque annis.

D. 4, 4, 3, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro undecimo ad edictum. — . . illud . . . Celsus Epistularum libro undecimo . . . tractat, ex facto a Flavio Respecto praetore consultus. minor annis viginti quinque, annos forte viginti quattuor agens, iudicium tutelae heredi tutoris dictaverat; mox factum ut, non finito iudicio iam eo maiore effecto viginti quinque annis, tutoris heres absolutus proponeretur; in integrum restitutio desiderabatur. Celsus igitur Respecto suasit, non facile hunc quondam minorem in integrum restitui, sed si ei probaretur calliditate adversarii id actum, ut maiore eo facto liberaretur; *neque enim extremo,* inquit, *iudicii die videtur solum deceptus hic minor, sed totum hoc structum, ut maiore eo facto liberaretur.* idem tamen confitetur, si levior sit suspicio adversarii quasi dolose versati, non debere hunc in integrum restitui.

III. Quaestionum libri.

Quaestionum libros Celsus composuit post Fufidium (supra p. 195) pluresque secuti sunt. Krueger p. 132 n. 33.

ceterum inter eos qui et Epistularum et Quaestionum libros ediderunt, Africanus quoque numerandus est. cf. P. 1. 2—121. huius generis libros num Mommsen Z. f. RG. IX, 93 sq., cui Krueger p. 132 adstipulatur, scholarum usui recte attribuat ('Aufzeichnungen der von den Hörern gethanen Fragen und der von dem Lehrer ertheilten Antworten'), in incerto relinquo.

Capitibus ex iure praetorio desumptis iuris civilis quaedam addita esse apparet.

Liber I.

De rebus creditis.

1. D. 12, 1, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 755). — . . . ut libro primo Quaestionum Celsus ait, credendi generalis appellatio est.

Liber IV.

Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur.

2? D. 14, 6, 7 pr. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 876[b]). — . . si filius familias fideiusserit, Neratius libro primo et secundo Responsorum cessare senatus consultum (sc. Macedonianum) ait. idem Celsus libro quarto.

Lenel fragmentum fortasse Responsorum, neutiquam Digestorum libris attribuendum esse notat, 'quorum libro IV hereditatis petitio tractatur'. certe fragmenta tria in Iustiniani Digestis huic antecedentia ex Quaestionum libris desumpta sunt.

Liber XII.

De testamentis.

3. D. 28, 5, 9, 2. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2460[c]). — . . si non in corpore erravit, sed in

parte, puta si, cum dictasset ex semisse aliquem scribi, ex quadrante sit scriptus, Celsus libro duodecimo Quaestionum . . . posse defendi ait ex semisse heredem fore, quasi plus nuncupatum sit, minus scriptum.

Sententiam auctor in Digestorum quoque libros recepit: 'Celsus libro duodecimo Quaestionum, Digestorum undecimo (*potius* sexto decimo) . . . ait'.

Liber XIX.

De legatis.

4. D. 34, 2, 19, 3. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2606). — . . Celsus libro nono decimo Quaestionum quaerit, si centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut sic appendantur. et Proculus et Celsus aiunt exempto plumbo appendi debere; nam et emptoribus replumbatae adsignantur et in rationes argenti pondus sic defertur.

Mommsen potius 'libro nono Digestorum, decimo Quaestionum' legendum esse conicit; postea enim § 6 legitur: 'Celsus libro nono decimo Digestorum, Commentariorum septimo scribit'.

IV. Commentariorum libri.

Sicut M. Porcii Catonis libri de iure civili a Festo p. 154 'commentarii' designantur (I p. 21), ita Gaius et Institutionum libros et alios suos libros (Inst. 3, 33 et 54), Gellius autem 14, 2, 1, 2 Masurii Sabini libros de iure civili scriptos 'commentarios' dicit (II, 2 p. 550).

Liber VII.

De legato per damnationem.

D. 34, 2, 19, 6. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2606). — . . Celsus libro . . . Commentariorum septimo scribit auro legato ea quae inaurata sunt,

non deberi, nec aurea emblemata, quae in absidibus argenteis sint.

Sententiam auctor in Digestorum quoque libros recepit: 'Celsus libro nono decimo Digestorum, Commentariorum septimo scribit'.

Videndum est de D. 41, 3, 27 pr., ubi haec leguntur: 'Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad Sabinum. — Celsus libro trigensimo quarto errare eos ait qui'. Lenel notat: 'Digestorum libro XXXIV non videtur convenire quaestio tractata: de usucapione egit Celsus Dig. lib. XXIII'. pro 'trigensimo' potius 'vigensimo' legendum puto, ita ut, de qua re libro XXIII tractatum est, de eadem prima sequentis libri parte dictum fuerit.

Digestorum libros XXXIX vel potius librorum fragmenta v. Paling. 1—274.

ADDITAMENTA.

I. VETERUM SENTENTIAE ET LIBRI.

Quo modo veterum nomine usi sunt posteriores, satis licant ea quae subieci.

'Veteres interpretes, S. Aelius L. Acilius . . . dixerunt'. ;. de leg. 2, 23, 59.

'Labeo . . . acria et severa iudicia de furtis habita e apud veteres scripsit idque Brutum solitum dicere'. ll. 6, 15, 1.

'Ateius Capito . . . putat dictum quia veteres an pro cum ponere solebant, ut Cato'. Macrob. Sat. 1, 14, 5.

'Veteres, inquit (sc. Ateius Capito), non ornatus ısa . . . anulum secum circumferebant'. Macrob. t. 7, 13, 11.

'ait (sc. Masurius Sabinus) plerosque iuris veteris ctores . . . scripsisse'. Gell. 5, 19, 14.

Pompon. D. 35, 2, 31 'secundum Cassii et veterum inionem'.

'hoc veteres existimasse Pomponius refert; sed Gaius ssius . . . dicit'. D. 2, 4, 4, 2 Ulp.

Gai. 1, 188 'veteres dubitaverunt . . . quidam . . . :erunt, ut Q. Mucius, alii . . . ut Ser. Sulpicius, alii . . . Labeo.'

Ulp. D. 7, 8, 10, 2 'apud veteres quaesitum est, et :tilius . . . ait'.

Ulp. D. 12, 5, 6 'Sabinus probavit veterum opiniəm'.

Ulp. D. 17, 2, 52, 18 'apud veteres tractatur . . . Atilicinus Sabinus Cassius responderunt'.

Paul. D. 35, 2, 1, 9 'veteres putabant ... sed Aristo a veterum opinione recessit.

Paul. (?) in Vat. fr. § 1 'et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt'.

Iustinian. C. 6, 26, 10 pr. 'dubitabatur apud antiquos legum auctores ... placuit Sabino'.

Iustinian. C. 6, 29, 3 'certatum est apud veteres ... veteres animi turbati sunt ... Sabiniani existimabant.'

Designabantur igitur veterum nomine inprimis liberae rei publicae iurisconsulti. quod Iustinianus posteros quoque eodem nomine designabat, mirum non est.

Veteres non modo respondisse dicuntur (Ulp. D. 13, 6, 5, 9. 41, 2, 3, 18. 42, 4, 7, 13 'veteres responderunt'), sed etiam scripsisse (Masurius Sabinus 'ait, plerosque iuris veteris auctores ... scripsisse' Gell. 5, 19, 14. 'hoc veteres scripserunt' Gai, 3, 202. 'apud veteres scriptum est' Gai 3, 180. 'scriptum est apud veteres' Marcell. D. 41, 2, 19, 1). Gellius et 'veteres scriptores laudat' (5, 6, 27) et 'libros veterum iuris peritorum' (4, 2, 13).

Ea tantum fragmenta proposui, quae veterum de iure sententias, non quae alias eorum opiniones vel mores referunt, qualia sunt D. 1, 13, 1 pr. 21, 1, 23 2. 23, 1, 2. 49, 16, 13, 4. 50, 16, 144.

1. Ad ius publicum.

De genio et lare.

1. Censorin. d. n. 3, 2. — Eundem esse Genium et Larem multi veteres prodiderunt.

cf. I p. 262.



De viris vocandis.

2. Macrob. Sat. 1, 16, 19. — vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies qui essent notati rebus adversis, vitabant etiam feriis.

cf. I p. 124.

De ovatione.

3. Gell. 5, 6, 27. — ... dissensisse veteres scriptores accipio. partim enim scripserunt, qui ovaret, introire solitum equo vehentem.

cf. II 1 p. 372.

De delictis extraordinariis.

4. Collat. 15, 2, 1 Ulp. l. VII de offic. procons. — .. interdictum est mathematicorum callida inpostura et obstinata persuasione. nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus haec prohibitio est. denique extat senatus consultum Pomponio et Rufo conss. (a. 17) factum ... sed fuit quaesitum, utrum scientia huius modi hominum puniatur an exercitio et professio. et quidem apud veteres dicebatur professionem eorum, non notitiam esse prohibitam.

Sequuntur haec: 'postea variatum'.

2. Ad ius privatum.

a) De iure civili.

De testamentis.

5. D. 28, 1, 20, 8 Ulpianus libro primo ad Sabinum. — .. veteres putaverunt eos qui propter sollemnia testamenti adhibentur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur.

6. D. 28, 5, 32 pr. Idem (sc. Gaius) libro primo de testamentis ad edictum praetoris urbani. — ... satis constanter veteres decreverunt testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.

7. C. 6, 26, 10 pr. (Imp. Iustinianus a. 531) — Cum quidam duobus impuberibus filiis suis heredibus institutis adiecit, si uterque impubes decesserit, illum sibi esse heredem, ... dubitabatur apud antiquos legum auctores, utrumne tunc voluit substitutum ad-

mitti, cum uterque filius eius in prima aetate decesserit, an alterutro decedente ilico substitutus in eius partem succedat ...

cf. II 1 p. 425.

8. C. 6, 29, 3 (Iustinianus a. 530). — ... certatum est apud veteres ... cum igitur is qui in ventre portabatur praeteritus fuerat, qui si ad lucem fuisset redactus, suus heres patri existeret, si non alius eum antecederet et nascendo ruptum testamentum faciebat, si postumus in hunc quidem orbem devolutus est, voce autem non emissa ab hac luce subtractus est, dubitabatur, si is postumus ruptum facere testamentum potest. veteres animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit.

cf. II 1 p. 426.

9. C. 6, 29, 4 (Iustinianus a. 530). — Quidam, cum testamentum faciebat, his verbis usus est: 'si filius vel filia intra decem mensuum spatium post mortem meam fuerint editi, heredes sunto' vel ita dixit: 'filius vel filia, qui intra menses proximos mortis meae nascentur, heredes sunto'. iurgium antiquis interpretatoribus legum exortum est, an videantur, ⟨si vivo testatore nascuntur⟩, non contineri testamento et hoc ruptum facere.

10. Gai. 2, 55. — .. voluerunt veteres maturius hereditates adiri, ut essent qui sacra facerent ... et ut creditores haberent, a quo suum consequerentur.

De legitimis heredibus.

11. D. 5, 4, 3 pr. Paulus libro septimo decino ad Plautium. — Antiqui libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei iura integra reservarent.

De legatis.

12. D. 35, 2, 1, 9. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam. — Si usus fructus legatus sit, qui

et dividi potest, ... veteres .. aestimandum totum usum fructum putabant et ita constituendum, quantum sit in legato.

cf. Vat. fr. 68.

13. D. 7, 8, 10, 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — Utrum .. unius anni sit habitatio an usque ad vitam, apud veteres quaesitum est.

14. D. 32, 70, 12 Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum. — .. constabat apud veteres lanae appellatione versicoloria non contineri.

15. D. 35, 1, 38. Idem (sc. Paulus) libro singulari de iure codicillorum. — ... apud veteres legata talia fuere: 'quantum ei per epistulam scripsero'; 'quantum ex illa actione detraxero, heres dato'.

De fideicommissis.

16. D. 35, 2, 31. Pomponius libro secundo Fideicommissorum. — ... secundum ... veterum opinionem, si a pupillo fideicommissa capiuntur, propter ea quae a substituto erunt relicta, cavere debebit is cui solvatur.

De manumissione.

17. Fragm. Paris. Z. d. Sav.-St. XVIII, 176. — Apud veteres ... antequam <in>census do<min>us iudicare<tur, liberta>tes obtinere constitit.

De patria postestate.

18. C. 5, 4, 25 pr. §. 1. Idem (sc. Iustinianus) A. Iuliano pp. (a. 530). — Si furiosi parentis liberi, in cuius potestate constituti sunt, nuptias possunt contrahere, apud veteres agitabatur. et filiam quidem furiosi marito posse copulari omnes paene iuris antiqui conditores admiserunt: sufficere enim putaverunt, si pater non contradicat.

19. Gell. 5, 19, 13. 14. — ... si iuris ista antiquitas servetur, etiam servus a domino per prae-

torem dari in adoptionem potest. idque ait (sc. Masurius Sabinus) plerosque iuris veteris auctores posse fieri scripsisse.

Fragmentum iam supra II 1 p. 581 referendum erat.

De emptione venditione.

20. D. 19, 1, 19. Gaius ad edictum praetoris. — Veteres in emptione venditioneque appellationibus promiscue utebantur.

21. D. 2, 14, 39. Idem (sc. Papinianus) libro quinto Quaestionum. — Veteribus placet pactionem obscuram vel ambiguam venditori et qui locavit nocere, in quorum fuit potestate legum apertius conscribere.

22. Vat. fr. 1 (Paul.?). — <Qui a muliere> sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse; itaque et veteres putant.

23. Gell. 4, 2, 2. — . . quaesierunt iure consulti veteres, quid mancipium morbosum quidve vitiosum recte diceretur.

cf. I p. 200.

24. Gell. 4, 2, 13. — Non praetereundum est, id . . . in libris veterum iuris peritorum scriptum esse, morbum et vitium distare, quod vitium perpetuum, morbus cum accessu decessuque sit.

25. D. 18, 1, 7 pr. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum. — Haec venditio servi 'si rationes domini computasset arbitrio' condicionalis est . . . placuit . . veteribus magis in viri boni arbitrium id collatum videri quam in domini.

26. D. 19, 1, 39. Modestinus libro quinto Responsorum. — . . . cum hoc et apud veteres sit relatum in eius persona, qui sic exceperat: 'servitutes si quae debentur, debebuntur'; etenim iuris auctores responderunt, si certus venditor quibusdam personis certas servitutes debere non admonuisset emptorem, ex empto

eum teneri debere, quando haec generalis exceptio non ad ea pertinere debeat, quae venditor novit quaeque specialiter excipere et potuit et debeat, sed ad ea quae ignoravit et de quibus emptorem certiorare nequivit.

27. D. 18, 6, 1, 4. Ulpianus libro vicesimo octavo ad Sabinum. — Si doliare vinum emeris nec de tradendo eo quicquam convenerit, id videri actum, ut ante evacuarentur quam ad vindemiam opera eorum futura sit necessaria; quod si non sint evacuata, faciendum, quod veteres putaverunt, per corbem venditorem mensuram facere et effundere; veteres enim hoc propter mensuram suaserunt ...

De societate.

28. D. 17, 2, 52, 18. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo ad edictum. — ... apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet.

cf. I p. 206.

De iure dotium.

29. D. 11, 7, 16. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum. — ... aequissimum .. visum est veteribus, mulieres quasi de patrimoniis suis ita de dotibus funerari et eum qui morte mulieris dotem lucratur, in funus conferre debere, sive pater mulieris est sive maritus.

De tutelis.

30. Gai. 1, 144 sq. — Veteres .. voluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, propter animi levitatem in tutela esse ... loquimur autem exceptis virginibus Vestalibus, quas etiam veteres in honorem sacerdotii liberas esse voluerunt.

v. I p. 136.

31. Gai. 1, 165. — Ex .. lege XII tabularum et inpuberum libertorum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet ... eo enim ipso ⟨quod heredita⟩tes libertorum libertarumque, si intestati decessissent, iusserat lex ad patronos liberosve eorum pertinere, crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere, quia et agnatos quos ad hereditatem vocavit, eosdem et tutores esse iusserat.

32. Gai. 1, 188. — ... apparet quot sint species tutelarum. si vero quaeramus in quot genera hae species diducantur, longa erit disputatio; nam de ea re valde veteres dubitaverunt.

cf. II 1 p. 236.

De furtis

33. Gell. 6, 15, 1. — Labeo in libro de duodecim tabulis secundo acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit.

cf. I p. 23. II 1 p. 82.

34. D. 47, 2, 17 pr. Ulpianus libro trigensimo nono ad Sabinum. — Servi et filii nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur; neque enim qui potest in furem statuere, necesse habet adversus furem litigare. idcirco nec actio ei a veteribus prodita est.

35. Gai. 3, 202. — Interdum furti tenetur qui ipse furtum non fecerit, qualis est cuius ope consilio furtum factum est ... et hoc veteres scripserunt de eo qui panno rubro fugavit armentum.

36. D. 50, 16, 53, 2. Paulus libro quinquagensimo nono ad edictum. — .. post veterum auctoritatem eo perventum est, ut nemo ope videatur fecisse, nisi et consilium malignum habuerit, nec consilium habuisse noceat, nisi et factum secutum fuerit.

37. Gai. 3, 189. — Poena manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat; nam liber verberatus addicebatur ei cui furtum fecerat. utrum autem servus

efficeretur ex addictione an adiudicati loco constitueretur, veteres quaerebant.

38. D. 41, 3, 38. Idem (sc. Gaius) libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum. — ... abolita est .. quorundam veterum sententia existimantium etiam fundi locive furtum fieri.

cf. II 1 p. 383.

39. D. 47, 2, 67, 2. Paulus libro septimo ad Plautium. — Eum qui mulionem dolo malo in ius vocasset, si interea mulae perissent, furti teneri veteres responderunt.

40. D. 9, 2, 27, 21. Ulpianus libro octavo decimo ad adictum. — Si quis de manu mihi nummos excusserit, Sabinus existimat damni iniuriae esse actionem, si ita perierint, ne ad aliquem pervenirent .... quod si ad aliquem pervenerunt, ope consilio furtum factum agendum, quod et antiquis placuit.

41. Gai. 3, 196. — .. si quis utendam rem acceperit eamque in alium usum transtulerit, furti obligatur, veluti ... si quis equum gestandi gratia commodatum longius aliquo duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem perduxisset.

42. C. 6, 2, 22, 1. (Iustinianus a. 530.) — .. quaerebatur apud antiquos legum interpretes, si quis commodavit alii rem ad se pertinentem et ipsa res subtracta est, an furti actio adversus furem institui possit ab eo qui rem utendam accepit.

cf. I p. 98.

De arboribus succisis.

43. D. 47, 7, 3 pr. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum. — Vitem arboris appellatione contineri plerique veterum existimavernut.

cf. Gai. 4, 11.

De lege Aquilia.

44. D. 9, 2, 11, 4. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum. — Si plures trabem deiecerint et homi-

nem oppresserint, . . . veteribus placet omnes lege Aquilia teneri.

45. D. 9, 2, 51, 1. Iulianus libro octogensimo sexto Digestorum. — Id . . est consequens auctoritati veterum, qui, cum a pluribus idem servus ita vulneratus esset, ut non appareret, cuius ictu perisset, omnes lege Aquilia teneri iudicaverunt.

46. D. 9, 2, 27, 13. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum. — Inquit lex 'ruperit'. [rupisse] verbum fere omnes veteres sic intellexerunt: corruperit.

De condictione.

47. D. 12, 5, 6. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum. — . . . veterum opinionem existimantium id quod ex iniusta causa apud aliquem sit, posse condici.

48. D. 13, 1, 20. Tryphoninus libro quinto decimo Disputationum. — Licet fur paratus fuerit excipere condictionem et per me steterit, dum in rebus humanis res fuerat, condicere eam, postea autem perempta est, tamen durare condictionem veteres voluerunt. . .

De verborum obligatione.

49. D. 45, 1, 140, 1. Paulus libro tertio ad Neratium. — De hac stipulatione 'annua bima trima die id argentum ⟨sua⟩ quaque die dari?' apud veteres varium fuit.

50. D. 45, 1, 91, 3. Paulus libro septimo decimo ad Plautium. — . . . veteres constituerunt, quotiens culpa intervenit debitoris, perpetuari obligationem.

51. Gai. 3, 180. — . . apud veteres scriptum est, ante litem contestatam dare debitorem oportere, post litem contestatam condemnari oportere, post condemnationem iudicatum facere oportere.

52. D. 46, 3, 97. Idem (sc. Papinianus) libro secundo Definitionum. — Cum ex pluribus causis

debitor pecuniam solvit, utriusque demonstratione cessante potior habebitur causa eius pecuniae quae sub infamia debetur, mox eius quae poenam continet, tertio quae sub hypotheca vel pignore contracta est. post hunc ordinem potior habebitur propria quam aliena causa, veluti fideiussoris, quod veteres ideo definierunt, quod verisimile videretur diligentem debitorem admonitum ita negotium suum gesturum fuisse.

De adquirendo rerum dominio.

53. D. 41, 2, 1, 16. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Veteres putaverunt non posse nos per servum hereditarium adquirere, quod sit eiusdem hereditatis.

De possessione et usucapione.

54. D. 41, 2, 3, 18. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Si rem apud te depositam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere. sed si eam loco non moveris et infitiandi animum habeas, plerique veterum ... responderunt possessorem me manere...

cf. II, 2 p. 357.

55[a]. D. ibid. § 19. — ... a veteribus praeceptum est, neminem sibi ipsum causam possessionis mutare posse.

55[b]. D. 41, 2, 19, 1. Marcellus libro septimo decimo Digestorum. — .. scriptum est apud veteres neminem sibi causam possessionis posse mutare.

De itinere.

56. D. 43, 19, 4 pr. Venuleius libro primo Interdictorum. — Veteres nominatim adiciebant, ut ea quoque, quae ad refectionem utilia essent, adportanti vis non fieret.

De aqua pluvia arcenda.

57. D. 40, 7, 21. Pomponius libro septimo ex Plautio. — ... verba legis duodecim tabularum veteres interpretati sunt 'si aqua pluvia nocet', id est 'si nocere poterit'.

De postliminio.

58. D. 50, 16, 234 pr. Idem (sc. Gaius) libro secundo ad legem duodecim tabularum. — Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes cum quibus bellum esset.

b) De iure honorario.

De in ius vocando.

59. D. 2, 4, 4, 2. Ulpianus libro quinto ad edictum. — Quidam parentem usque ad tritavum appellari aiunt, superiores maiores dici; hoc veteres existimasse Pomponius refert.

De postulando.

60? D. 3, 1, 1, 6. Ulpianus libro sexto ad edictum. — .. eos qui virtutis ostendendae causa hoc faciunt (sc. cum bestiis depugnant) sine mercede, non teneri aiunt veteres, nisi in harena passi sunt se honorari.

Veterum hanc sententiam a Triboniano fictam esse Pernice iudicat.

Qui pro aliis ne postulent.

61. Spicil. Solesm. ed. Pitra I p. 282. Ulpianus libro ad edictum sexto. — Invenimus apud veteres mulieris appellatione etiam virgines contineri.

De dolo malo.

62. D. 4, 3, 1, 3. Ulpianus libro undecimo ad edictum. — ... veteres dolum etiam bonum dicebant et pro sollertia hoc nomen accipiebant [maxime si adversus hostem latronemque quis machinetur?].

Si mensor falsum modum dixerit.

63. D. 11, 6, 1 pr. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum. — Adversus mensorem agrorum praetor in factum actionem proposuit ... ideo autem hanc actionem proposuit, quia non crediderunt veteres inter talem personam locationem et conductionem esse, sed magis operam beneficii loco praeberi et id quod datur ei, ad remunerandum dari et inde honorarium appellari.

Commodati.

64. D. 13, 6, 5, 9. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum. — ... equam tibi commodavi, quam pullus comitabatur: etiam pulli te custodiam praestare debere veteres responderunt.

65. D. ibid. § 6. — .. an etiam hominis commodati custodia praestetur, apud veteres dubitatum est.

66. D. ibid. § 11. — .. videndum, in quibus speciebus commodati actio locum habeat. et est apud veteres de huius modi speciebus dubitatum.

De peculio.

67. D. 15, 1, 40, 1. Marcianus libro quinto Regularum. — Quomodo .. peculium nascitur, quaesitum est. et ita veteres distinguunt, si id adquisiit servus quod dominus necesse non habet praestare, id esse peculium, si vero tunicas aut aliquid simile quod ei dominus necesse habet praestare, non esse peculium.

De praediatoribus.

68. D. 50, 16, 39 pr. Paulus libro quinquagensimo tertio ad edictum. — Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subsignatum est; nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant.

Qui fraudationis causa latitabit.

69. D. 42, 4, 7, 13. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum. — .. eum .. qui in foro

eodem agat, si circa columnas aut stationes se occultet, videri latitare veteres responderunt, et posse quem adversus alterum latitare, adversus alterum non.

De loco publico fruendo.

70. D. 47, 10, 13, 7. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum. — .. conductori .. veteres interdictum dederunt, si forte publice *locum* conduxit.

II. INCERTORUM SENTENTIAE ET LIBRI.

1. Responsa.

Incertorum responsa duo genera sunt: unum eorum quorum auctores ne veteribus quidem iuris consultis cogniti erant, alterum eorum, quorum auctores in veterum libris laudati hodie non adparent. interdum responsorum, quorum auctores non laudantur, vel hodie aut certo statuere aut saltem divinare licet. 'quod' ex. gr. 'in vectigalibus dependendis responsum' esse, Paulus D. 33, 2, 38 Responsorum libro attulit, ipsius responsum habendum est. quod Papinianus D. 31, 73 'responsum esse' tradit, Iuliani responsum esse D. 30, 82 satis indicat. cf. Lenel P. apud Papin. 309. illius tantum generis responsa hoc loco proponenda esse apparet, scilicet quae non aperte vel probabiliter posterioris demum aetatis sunt.

Veterum responsa v. supra p. 506 sqq.

1. Ad ius civile.

De testamentis.

De filio exheredando.

1? D. 28, 6, 43, 2. Paulus libro nono Quaestionum. — Lucius Titius cum haberet filios in potestate,

uxorem heredem scripsit et ei substituit filios. quaesitum est, an institutio uxoris nullius momenti sit eo quod ab eo grado filii non essent exheredati. respondi eum gradum, a quo filii praeteriti sint, nullius esse momenti, et ideo, cum idem substituti proponantur, ex testamento eos heredes extitisse videri, scilicet quia non totum testamentum infirmant filii, sed tantum eum gradum, qui ab initio non valuit, sicut responsum est, si a primo sit filius praeteritus, a secundo exheredatus.

2? D. 28, 2, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro sexto Regularum. — Nominatim exheredatus filius et ita videtur 'filius meus exheres esto', si nec nomen eius expressum sit, si modo unicus sit; nam si plures sunt filii, benigna interpretatione potius a plerisque respondetur nullum exheredatum esse.

De adquirenda hereditate.

3. D. 39, 6, 21. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Eum qui ut adiret hereditatem pecuniam accepisset, plerique ... responderunt mortis causa e*a*m capere.

cf. II, 2 p. 264.

4. D. 29, 2, 45, 4. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem. — ... a quibusdam respondetur, si liber homo qui bona fide mihi serviebat, propter me heres institutus erit, posse eum iussu meo adire hereditatem.

De legatis.

De dote relegata.

5. D. 31, 82 pr. Idem (sc. Paulus) libro decimo Quaestionum. — ... in dote *re*legata[1] responsum est totam eam ex testamento peti posse.

1. *Fl.* praelegata.

De legato eo quod uxoris causa paratum est.

6. D. 32, 47, 1. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum. — Inter emptum et paratum quid interest, quaeritur. et responsum est in empto non continuo paratum inesse, in parato emptum[1] contineri, veluti si quis quae prioris uxoris causa emisset, posteriori uxori tradidisset, eas res eum posterioris uxoris causa paravisse, non emisse constat.

De fundo legato.

7. D. 31, 76, 2. Idem (sc. Papinianus) libro septimo Responsorum. — Dominus herede fructuario scripto fundum sub condicione legavit. voluntatis ratio non patitur, ut heres ex causa fructus emolumentum retineat. diversum in ceteris praediorum servitutibus, quas heres habuit, responsum est, quoniam fructus portionis instar optinet.

8. D. 33, 3, 3. Idem (sc. Marcellus) libro vicesimo nono Digestorum. — ... interiturum fore viae legatum, ut responsum est, cum alteri ex vicinis, qui fundum communem habebant, viam sub condicione, alteri pure legasset et pendente condicione decessisset quia alterius legatarii persona impedimento esset, quo minus [solidus fundus cum] via vindicaretur.

9. D. 33, 7, 18, 11. Paulus libro secundo ad Vitellium. — Cassius ait responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos esse qui nominati essent, quod appareret non intellexisse patrem familias instrumento quoque servos adnumeratos esse.

Responsum iam II, 1 p. 582 relatum fortasse Sabino tribuendum est.

De possessionibus legatis.

10. D. 50, 16, 78. Paulus libro tertio ad Plautium. — Interdum proprietatem quoque verbum

1 *Fl.* in empto paratum inesse, in parato non continuo emptum. *emend. Krueger.*

possessionis significat, sicut in eo qui possessiones suas legasset, responsum est.

De villa legata.

11. D. 28, 5, 35, 3. Ulpianus libro quarto Disputationum. — ... si servus fuerit missus in villam interim illic futurus quia dominum offenderat, quasi ad tempus relegatus, responsum est eum ad villae legatum non pertinere.

De domo legata.

12. D. 33, 7, 15, 1. Pomponius libro sexto ad Sabinum. — Domo instructa ⟨legata⟩ responsum est suppellectilem legatam, non etiam vina, quia domus vinis instructa intellegi non potest.

De mancipiis legatis.

13? D. 32, 81, 1. Modestinus libro nono Differentiarum. — ... viris legatis etiam pueros deberi respondetur.

De vino legato.

14. D. 32, 85. Pomponius libro secundo ad Quintum Mucium. — .. responsum est etiam quod coacuerit vinum legato cedere, si id vini numero testator habuisset.

De lance legata.

15. D. 34, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Qui lancem maximam minorem minimam relinquebat, ita legaverat: lancem minorem illi lego. mediae magnitudinis videri legatam lancem responsum est, si non appareret, quam lancem ex his pater familias demonstrare voluisset.

De caducis.

16. D. 31, 59. Terentius Clemens libro quinto decimo ad legem Iuliam et Papiam. — Si mihi pure,

servo meo vel pure vel sub condicione eadem res legata est egoque legatum quod mihi datum est repudiem, deinde [condicione existente] id quod servo meo legatum est, vellem ad me pertinere, partem legati deficere responsum est.

De fideicommissis.

17? D. 31, 70, 2. Idem (sc. Papinianus) libro vicesimo Quaestionum. — Cum quidam filio suo ex parte herede instituto patruum eius coheredem ei dedisset et ab eo petisset, ut filium suum pro virili portione filiis suis coheredem faceret, si quidem minus esset in virili portione, quam fratris hereditas habuit, nihil amplius peti posse, quod si plus, etiam fructuum, quos patruus percepit vel, cum percipere potuerit, dolo non cepit, habendam esse rationem responsum est, non secus quam si centum milibus legatis rogetur post tempus maiorem quantitatem restituere.

18? D. 32, 11, 3. Ulpianus libro secundo Fideicommissorum. — Cum esset quis rogatus restituere portionem accepta certa quantitate, responsum est ultro petere ipsum fideicommissum ab herede posse.

De libertate relicta.

19. D. 28, 5, 8 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Duo socii quendam servum communem testamento facto heredem et liberum esse iusserunt; ruina simul oppressi perierant. plerique responderunt hoc casu duobus orcinum heredem existere.

20. D. 40, 4, 9 pr. Ulpianus libro vicensimo quarto ad Sabinum. — Si quis ita legatus sit, ut manumittatur, si manumissus non fuerit, liber esse iussus *sit*[1] eique legetur: et libertatem competere et legatum deberi saepe responsum est.

1 *Fl.* est.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

21. D. 19, 1, 39. Modestinus libro quinto Responsorum. — ... iuris auctores responderunt, si certus venditor quibusdam personis certas servitutes debere non admonuisset emptorem, ex empto eum teneri deberi.

22. D. 18, 1, 60. Marcellus libro sexto Digestorum. — Comprehensum erat lege venditionis dolia sexaginta emptori accessura. cum essent centum, in venditoris fore potestate responsum est quae vellet dare.

23. D. 18, 6, 9. Gaius libro decimo ad edictum provinciale. — Si post inspectum praedium, antequam emptio contrahatur, arbores vento deiectae sunt, an hae quoque emptori tradi debeant, quaeritur. et responsum est non deberi, quia eas non emerit, cum ante quam fundum emerit desierint fundi esse. sed si ignoravit emptor deiectas esse arbores, venditor autem scit nec admonuit, quanti emptoris interfuerit rem aestimandam esse, si modo venit.

De fructu olivae pendentis vendito.

24. D. 18, 1, 39, 1. Iulianus libro quinto decimo Digestorum. — Verisimile est eum, qui fructum olivae pendentis vendidisset et stipulatus est decem pondo olei quod natum esset, pretium constituisse ex eo quod natum esset usque ad decem pondo olei; idcirco solis quinque collectis non amplius *eum* petere *posse*[1] quam quinque pondo olei, quae collecta essent, a plerisque responsum est.

De bona fide emptore.

25. D. 41, 4, 8. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ex Minicio. — Si quis, cum sciret venditorem

1 *Fl.* emptor petere potest.

pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisset, plerique responderunt eum nihilo minus bona fide emptorem esse.

cf. Vat. fr. 1.

De emptore liberato.

26. D. 46, 3, 34, 5. Idem (sc. Iulianus) libro quinquagensimo quarto Digestorum. — .. cum fugitivus, qui pro libero se gerebat, rem vendidisset, responsum est emptores fugitivo solventes a domino liberatos non esse.

De nuptiis et de iure dotium.

27. D. 23, 2, 6. Ulpianus libro trigesimo quinto ad Sabinum. — ... eum qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a cena iuxta Tiberim perisset, ab uxore lugendum responsum est.

cf. I p. 273.

28. D. 23, 3, 48 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem. — Tali facta stipulatione: 'decem in anno proximo dotis nomine dare spondes?' quaesitum est, annus ex quo tempore esset numerandus, utrum ex die stipulationis factae an ex eo die, quo dos esse potuisset, id est nuptiarum. et responsum est ex die nuptiarum annum esse numerandum[, ne, si aliter observaremus, si intra annum nuptiae factae non sint, videri possit dos ex ea obligatione deberi?]

29. D. 50, 16, 171. Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum. — Pervenisse ad te recte dicitur quod per te ad alium pervenerit, ut in hereditate a liberto per patronum filium familias patri eius adoptivo adquisita responsum est.

De tutelis.

30. D. 31, 45 pr. Idem (sc. Pomponius) libro octavo ad Quintum Mucium. — ... si ita scriptum

esset: 'filiis meis hosce tutores do', responsum est etiam filiabus tutores datos esse.

De furtis.

31. D. 47, 2, 55, 1. Gaius libro tertio decimo ad edictum provinciale. — Eum qui quod utendum accepit, ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est.

32. D. 47, 2, 48, 7. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum. — Cum fur rem furtivam vendidisset eique nummos pretii dominus rei per vim extorsit, furtum eum nummorum fecisse . . responsum est.

De arboribus succisis.

33. Gai. 4, 11.

v. I p. 8.

De lege Aquilia.

34. I. 4, 3, 13. — . . responsum est, si quis in alienum vinum aut oleum id immiserit, quo naturalis bonitas vini vel olei corrumperetur, ex hac parte legis (sc. Aquiliae capite tertio) eum teneri.

35. D. 41, 1, 55. Paulus libro secundo Epistularum. — . . . actionem mihi in factum dari oportere, veluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex nave eiecisset.

De condictione.

36. D. 44, 7, 34, 2. Idem (sc. Paulus) libro singulari de concurrentibus actionibus. — . . de colono responsum est, si aliquid ex fundo subtraxerit, teneri eum condictione et furti, quin etiam ex locato.

37. D. 12, 5, 9 pr. Idem (sc. Paulus) libro quinto ad Plautium. — Si vestimenta utenda tibi commodavero, deinde pretium, ut reciperem, dedissem, condictione me recte acturum responsum est.

De verborum obligatione.

38. D. 17, 1, 33. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio. — ... a plerisque responsum est eum, qui ⟨in⟩ maiorem summam quam rogatus erat fideiussisset, hactenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset, quia id fecisset, quod mandatum ei est; nam usque ad eam summam, in quam rogatus erat, fidem eius spectasse videtur qui rogavit.

39? D. 45, 1, 118, 1. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo septimo Quaestionum. — 'Decem hodie dari spondes?' dixi ... in proposito .. diem non differendae actionis insertum videri, sed quo praesens ostendatur, esse responsum.

40. D. 46, 3, 72, 3. Marcellus libro vicensimo Digestorum. — (Cum Stichum mihi deberes et in solvendo moram fecisses, sub condicione eum promisisti. pendente ea Stichus decessit ... debitorem eum stistipulanti creditori sub condicione promisit, non videri in solutione hominis cessasse ... sed quid si ignorante debitore ab alio creditor eum stipulatus est? hic quoque existimandus est periculo debitor liberatus ...) idem responsum est, si quis, cum subreptus sibi servus esset, sub condicione stipulatus fuerit quidquid furem dare facere oportet; nam et fur condictione liberatur, si dominus oblatum sibi accipere noluit.

De possessione et usucapione.

41[a]. D. 41, 3, 33, 1. Iulianus libro quadragensimo quarto Digestorum. — .. vulgo respondetur ipsum sibi causam possessionis mutare non posse.

41[b]. D. 41, 5, 2, 1. Iulianus ibidem. — .. volgo respondetur causam possessionis neminem sibi mutare posse.

cf. D. 41, 2, 3, 19 et 41, 2, 19, 1.

42. D. 41, 2, 47. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo sexto Quaestionum. — Si rem mobilem apud

te depositam aut ex commodato tibi ⟨permissam⟩ possidere neque reddere constitueris, confestim amisisse me possessionem vel ignorantem responsum est.

43. D. 41, 2, 1, 14. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — ... licet respondeatur, quamdiu ab alio non possideatur (sc. servus qui in fuga est), a nobis eum possideri ideoque interim eum usucapi.

44. D. 41, 5, 2, 1. Iulianus libro quadragensimo quarto Digestorum. — ... responsum est neque colonum neque eum apud quem res deposita aut cui commodata est, lucri faciendi causa pro herede usucapere posse.

45. D. 41, 3, 13, 1. Idem (sc. Paulus) libro quinto ad Plautium. — Eum qui a furioso bona fide emit, usucapere posse responsum est.

46. D. 41, 4, 4 pr. Iavolenus libro secundo ex Plautio. — Emptor fundi partem eius alienum esse non ignoraverat: responsum est nihil eum ex eo fundo *usu*[1] capturum.

De servitutibus.

47. D. 8, 5, 17, 1. Alfenus libro secundo Digestorum. — Cum in domo Gaii Sei locus quidam aedibus Anni ita serviret, ut in eo loco positum habere ius Seio non esset, et Seius in eo silvam sevisset, in qua labra et *l*enes *et* cucumellas positas haberet, Annio consilium omnes iuris periti dederunt, ut cum eo ageret: ius ei non esse in eo loco ea posita habere invito se.

De postliminio.

48. D. 49, 15, 5, 3. Pomponius libro trigensimo septimo ad Quintum Mucium. — ... in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserunt, responsum est, non esse eum postliminio reversum...

cf. I p. 43.

1 *Trib.* longa possessione.

49. D. 50, 7, 18. Pomponius ibid. — .. si, cum legati apud nos essent gentis alicuius, bellum eis indictum sit, responsum est liberos eos manere [id enim iuri gentium convenit esse?].

2. Ad edictum aedilium curulium.

De mancipiis vendundis.

50. D. 21, 1, 4, 2. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium. — .. aleatores et vinarios non contineri edicto quosdam respondisse Pomponius ait, quemadmodum nec gulosos nec impostores aut mendaces aut litigiosos.

3. Ad edictum praetoris.

Qui nisi pro certis personis ne postulent.

51? D. 3, 2, 13, 7. Ulpianus libro sexto ad edictum. — Poena gravior ultra legem imposita existimationem conservat, ut et constitutum est et responsum, utputa si eum qui parte bonorum multari debuit, praeses relegaverit.

cf. Sueton. Claud. c. 14.

De minoribus XXV annis.

52? D. 4, 4, 7, 9. Idem (sc. Ulpianus) libro undecimo ad edictum. — Restitutus .. cum se hereditati misceat vel eam adeat quam repudiavit, rursus restitui poterit, ut se abstineat; et hoc et rescriptum et responsum est.

De alienatione iudicii mutandi causa.

53? D. 4, 7, 11. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto Opinionum. — Cum miles postulabat suo nomine litigare de possessionibus, quas sibi donatas esse dicebat, responsum est, si iudicii mutandi causa donatio facta fuerit, priorem dominum experiri oportere,

ut rem magis quam litem in militem transtulisse credatur.

De peculio et de in rem verso.

54? D. 3, 5, 41. Idem (sc. Paulus) libro trigensimo secundo ad edictum. — Si servi mei rogatu negotia mea susceperis, si dumtaxat admonitus a servo meo id feceris, erit inter nos negotiorum gestorum actio; si vero quasi mandatu servi, etiam de peculio et de in rem verso agere te posse responsum est.

De edicto Carboniano.

55? D. 37, 10, 6, 6. Paulus libro quadragensimo primo ad edictum. — Post pubertatem quaeritur, an actoris partes sustinere debeat qui ex Carboniano missus est in possessionem. et responsum est rei partes eum sustinere debere, maxime si cavit.

Quod vi aut clam.

56. D. 43, 24, 18, 1. Celsus libro vicensimo quinto Digestorum. — ... responsum est: si magistratum rogasses, ut adversarium tuum adesse *in iure*[1] iuberet, ne opus novum tibi nuntiaret, clam videris opus fecisse quod interim feceris.

De aqua et de rivis.

57? D. 50, 13, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro primo Opinionum. — De usu aquae, de rivis novis inciviliter institutis, item de equis alienis a sciente possessis fetuque earum, et de damno dato per immissos in praedium suum universos homines eos, qui in plurium praedia distribui debuerunt, si modo id non ex auctoritate eius qui iubere potuit factum est, praesidem provinciae doceri oportere responsum est, ut is secundum rei aequitatem et iurisdictionis ordinem convenientem formam res det.

1 *Trib.* ad iudicium.

Iudicatum solvi.

58. D. 46, 7, 7. Gaius libro vicensimo septimo ad edictum provinciale. — ... Iulianus non putat ... nam ... responsum esse, si quis absentem defendens satis dederit, deinde, vel *cog*nitor[1] ab eo datus vel postquam heres ei extitit, iudicium acceperit, *spon*sores[2] non teneri.

De cursu publico sermonem esse Mommsen conicit.

Ratam rem haberi?

59. Vat. fr. 333. (Papinianus?) libro XV (XII?) Responsorum. — Absentis procuratorem satis dare debere de rato habendo ... responsum est.

2. Reliquae sententiae, quae non responsa dicuntur.

a. Ad ius publicum.

De tribunis plebis, aedilibus, iudicibus decemviris.

1. Liv. 3, 55. — ... cum religione inviolatos eos (sc. tribunos) tum lege etiam fecerunt sanciendo, ut qui tribunis plebis aedilibus iudicibus decemviris nocuissent, eius caput Iovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris Liberi Liberaeque venum iret. hac lege iuris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed cum quis eorum cui nocuerit, id sacrum sanciri. itaque aedilem prendi ducique a maioribus magistratibus, quod etsi non iure fiat — noceri enim ei, cui hac lege non liceat — tamen argumentum esse non haberi pro sacro sanctoque aedilem: tribunos vetere iure iurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quo-

1 *Trib.* procurator.
2 *Trib.* fideiussores.

que et praetoribus, quia eisdem auspiciis quibus consules crearentur, cautum esse: iudicem enim consulem appellari. quae refellitur interpretatio, quod iis temporibus nondum consulem iudicem sed praetorem appellari mos fuerit.

cf. Mommsen Strafrecht p. 580 n. 3: 'einem der wenigen Überreste aus den Schriften der römischen Staatsrechtslehrer (iuris interpretes)'.

De coloniis.

2. D. 50, 16, 239, 5. Pomponius libro singulari Enchiridii. — Decuriones quidam dictos aiunt ex eo, quod initio, cum coloniae deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur consilii publici gratia conscribi solita sit.

De territorio.

3. D. ibid. § 8. — Territorium est universitas agrorum intra fines cuiusque civitatis; quod ab eo dictum quidam aiunt, quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi [id est summovendi?] ius habent.

De adulterio et stupro.

4. D. 50, 16, 101 pr. Modestinus libro nono Differentiarum. — Inter stuprum et adulterium hoc interesse quidam putant, quod adulterium in nuptam, stuprum in viduam committitur.

5. Horat. sat. 1, 2, 44 sqq. — . . . quin etiam illud Accidit, ut quidam testes caudamque salacem Demeteret ferro. 'iure' omnes. Galba negabat.

cf. Mommsen Strafrecht p. 798 n. 2. de Galba iurisconsulto, cuius responsum Horatius affert, in priore loco dicendum erat.

De vi.

6. D. 47, 8, 2, 1. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum. — . . si quis se vim passum docere possit, publico iudicio de vi potest experiri, neque

debet publico iudicio privata actione praeiudicari quidam putant.

De iudicio publico ex lege Iulia de vi privata sermo est. cf. D. 48, 7.

De iure legatorum.

7. D. 50, 7, 18. Pomponius libro trigensimo septimo ad Quintum Mucium. — .. eum qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere. quem hostes si non recepissent, quaesitum est, an civis Romanus maneret: quibusdam existimantibus manere, aliis contra...

cf. I p. 34.

b. Ad ius privatum.

α. De iure civili.

De testamentis.

Quemadmodum testamenta fiant.

8. Gai. 2, 104. — ... his verbis familiae emptor utitur: 'familia pecuniaque tua endo mandatelam custodelamque meam, quo tu iure testamentum facere possis secundum legem publicam, hoc aere', et ut quidam adiciunt 'aeneaque libra, esto mihi empta'.

De postumis instituendis vel exheredandis.

9. D. 28, 2, 29, 1. Scaevola libro sexto Quaestionum. — (Gallus sic posse institui postumos nepotes induxit: 'si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos sive quae neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto'.) Quidam .. admittendum credunt, etiamsi non exprimat de morte filii, sed simpliciter instituat, ut eo casu valeat, qui ex verbis concipi possit.

De herede instituendo.

10. Gai. 2, 243. — ... quamquam ... quibusdam placeat poenae nomine heredem institui non posse.

11. D. 28, 5, 60, 1. Celsus libro sexto decimo Digestorum. — Si quis ita heredem instituerit: 'Titius qua ex parte mihi socius est in vectigali salinarum, pro ea parte mihi heres esto', quidam putant, si asse discripto id adiectum sit, ut maxime socius fuerit Titius, non esse heredem, sed si qua pars vacua relicta fuerit, ex ea heredem eum esse.

12. Gai. 2, 276. — .. cum senatusconsulto prohibitum sit proprium servum minorem annis XXX liberum ⟨esse iubere⟩ et heredem instituere, plerisque placet posse nos iubere liberum esse, cum annorum XXX erit, et rogare ut tunc illi restituatur hereditas.

De substitutionibus.

13. D. 28, 6, 31 pr. Idem (sc. Iulianus) libro singulari de ambiguitatibus. — In substitutione filio ita facta: 'quisquis mihi ex supra scriptis heres erit, idem filio heres esto' quaeritur, quisquis heres quandoque fuerit intellegatur an quisquis heres tum erit, cum filius moriatur. placuit prudentibus, si quandoque heres fuisset; quamvis enim vivo pupillo heres esse desisset, forte ex causa de inofficioso, quae pro parte mota est, futurum tamen eum heredem ex substitutione creditum est.

De adquirenda vel omittenda hereditate.

14. Gai. 2, 178. — (Interdum duos pluresve gradus heredum facimus.) .. Sabino quidem placuit quamdiu cernere et eo modo heres fieri possit prior, etiamsi pro herede gesserit, non tamen admitti substitutum; cum vero cretio finita sit, tum pro herede gerente admitti substitutum. aliis vero placuit etiam superante cretione posse eum pro herede gerendo in partem

substitutum admittere et amplius ad cretionem reverti non posse.

Ad Proculianos Gaius videtur respicere. cf. II, 2 p. 140.

De rupto vel irrito facto testamento.

15? D. 49, 15, 10 pr. Papinianus libro vicensimo nono Quaestionum. — Pater instituto impuberi filio substituerat et ab hostibus captus ibi decessit. postea defuncto impubere legitimum admitti quibusdam videbatur neque tabulas secundas in eius persona locum habere, qui vivo patre sui iuris effectus fuisset.

De legitimis heredibus.

16? D. 5, 4, 3. Paulus libro septimo ad Plautium. — ... iuris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rar*o* admodum potest, intuerentur, id est quia fieri poterat, ut tregemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignaverint.

17. D. 46, 3, 36. Iulianus libro primo ad Urseium Ferocem. — Si pater meus praegnate uxore relicta decesserit et ex causa hereditaria totum hoc, quod patri meo debitum fuisset, petissem, nihil me consumpsisse quidam existimant ⟨, si postumus natus sit⟩; si nemo natus sit, recte me egisse, quia in rerum natura verum fuisset me solum heredem fuisse.

18[a]. D. 38, 10, 10, 15. Idem (sc. Paulus) libro sing. de gradibus. — . . . qui ex fratribus vel sororibus nascuntur. quos quidam ita distinxerunt, ut eos quidem, qui ex fratribus nati sunt, fratres patrueles appellent, item eas, quae ex fratribus natae sunt, sorores patrueles, ex fratre autem et sorore amitinos amitinas, eos vero et eas, qui quaeve ex sororibus nati nataeve sunt, consobrinos consobrinas quasi consororinos; sed plerique hos omnes consobrinos vocant.

cf. I p. 413.

18[b]. I. 3, 6, 4. — .. quidam .. consobrinos eos proprie putant dici, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consororinos, eos vero, qui ex duobus fratribus progenerantur, proprie fratres patrueles vocari ... at eos qui ex fratre et sorore propagantur, amitinos proprie dici.

De hereditate liberti.

19. Gai. 3, 46 sq. — ⟨Filia .. patroni ... ut contra tabulas⟩ testamenti liberti ⟨aut⟩ ab intestato, contra filium adoptivum vel uxorem nurumve quae in manu fuerit, bonorum possessionem petat, trium liberorum iure lege Papia consequitur. .. sed ut ex bonis libertae testatae quattuor liberos habentis virilis pars ei debeatur, ne liberorum quidem iure consequitur, ut quidam putant.

20. Gai. 3, 64. — (Lupo et Largo consulibus senatus censuit, ut bona Latinorum primum ad eum pertinerent qui eos liberasset, deinde ad liberos eorum non nominatim exheredatos, uti quisque proximus esset, tunc antiquo iure ad heredes eorum qui liberassent, pertinerent.) quo senatus consulto quidam ⟨id⟩ actum esse putant, ut in bonis Latinorum eodem iure utamur, quo utimur in hereditate civium Romanorum libertinorum.

cf. II, 2 p. 202.

21. Gai. 3, 71. — .. ⟨an⟩ ad maternos Latinos hoc senatusconsultum pertineat quaeritur, id est ut in bonis Latini materni potior sit patronae filius quam heres extraneus matris. Cassio placuit, utroque casu locum esse senatusconsulti. sed huius sententiae plerique improbant, quia senatus de his liberis nihil sentiat, qui ali⟨en⟩am familiam sequerentur.

De legatis.

Legata quemadmodum relinquantur.

22. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum. — Quidam referunt, quantum repeto apud Vivia-

num, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huius modi controversiam: an legata, quae posteaquam instituti mortem obierunt codicillis adscripta vel adempta sunt, a substitutis debeantur, id est an perinde datio et ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat ac si testamento facta esset...

De generibus legatorum.

De eo quod per vindicationem legatum est.

23. Gai. 2, 198. — .. si quis rem suam legaverit, deinde post testamentum factum eam alienaverit, plerique putant non solum iure civili inutile esse legatum, sed nec ex senatusconsulto (sc. quod auctore Nerone Caesare factum est) confirmari. quod ideo dictum est, quia et si per damnationem aliquis rem suam legaverit eamque postea alienaverit, plerique putant, licet ipso iure debeatur legatum, tamen legatarium petentem posse per exceptionem doli mali repelli, quasi contra voluntatem defuncti petat.

24. Gai. 2, 208. — .. plerisque placuit, quantum ad hoc ius quod lege Papia coniunctis constituitur, nihil interesse, utrum per vindicationem an per damnationem legatum sit.

De eo quod per damnationem legatum est.

25. Gai. 3, 175. — Similiter legatarius heredem eodem modo liberat de legato quod per damnationem relictum est (sc. per aes et libram), ut tamen ... heres testamento se dare damnatum esse dicat. de eo tamen tantum potest heres eo modo liberari, quod pondere numero constet, et ita si certum sit. quidam et de eo quod mensura constat idem existimant.

26? D. 34, 3, 30. Idem (sc. Paulus) libro decimo Quaestionum. — Petitor vel possessor damnavit heredem suum, ne centumvirale iudicium exerceat. de effectu legati quaeritur. et dictum est ita demum utile

videri legatum esse, si malam causam adversarius testatoris habuit, ut litigante herede vinci debuerit; tunc enim non tantum litis emolumentum, sed etiam sumptus heres legatario praestare cogitur. nam in bona causa nihil videtur esse in legato nec propter sumptus, quod quidam existimaverunt.

De eo quod sinendi modo legatum est.

27. Gai. 2, 212. — .. si post mortem testatoris ea res (sc. quam testator ut suam legavit) heredis esse coeperit, quaeritur, an utile sit legatum. et plerique putant inutile esse.

28. Gai. 2, 214. — Sunt .. qui putant ex hoc legato non videri obligatum heredem, ut mancipet aut in iure cedat aut tradat, sed sufficere ut legatarium rem sumere patiatur, quia nihil ultra ei testator imperavit, quam ut sinat, id est patiatur, legatarium rem sibi habere.

29. Gai. 2, 215. — Maior .. dissensio in hoc legato intervenit, si eandem rem duobus pluribusve disiunctim legasti. quidam putant utrisque solidam deberi; nonnulli occupantis esse meliorem condicionem aestimant, quia cum eo genere legati damnetur heres patientiam praestare, ut legatarius rem habeat, sequitur ut . . .

De legatis sub condicione relictis.

30. D. 35, 1, 72 pr. Idem (sc. Papinianus) libro octavo decimo Quaestionum. — Cum tale legatum esset relictum Titiae 'si a liberis non discesserit, negaverunt eam recte cavere, quia vel mortuis liberis legati condicio possit exsistere.

31. D. 35, 1, 44, 8. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium. — Si duorum servo legatum sit sub condicione dandi, non posse per partes condicioni pareri quidam aiunt, sed semel dandam pecuniam.

De legati actione.

32. D. 30, 87. Papinianus libro octavo decimo Quaestionum. — Filio pater quem in potestate retinuit, heredi pro parte instituto legatum quoque relinquit. . . sententia est existimantium denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit hereditate.

33? D. 37, 5, 18. Africanus libro quarto Quaestionum. — Nepos qui in potestate mansit et filius suus heredes instituti sunt; nepoti legatum dedit. pater eius emancipatus petit bonorum possessionem; nepos legato contentus est. quidam in eum solum, qui in potestate esset, legati actionem nepoti dandam responderunt, quia ei nihil auferatur et emancipatus partem filii sui occupet, in qua onus legatorum non consisteret.

Fragmentum in Responsorum capite omissum est.

34? D. 34, 9, 5, 11. Paulus libro primo de iure fisci. — Sunt qui putant . . . et ei denegandam (sc. actionem legati), qui accusatori (i. e. qui testamentum falsum accusavit) adfuit vel *sponsor*[1] pro eo exstiterit.

Ad legem Falcidiam.

35. D. 35, 2, 56 pr. Idem (sc. Marcellus) libro vicesimo secundo Digestorum. — Cum quo de peculio agi poterat, heres creditori exstitit. quaeris, cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege. plerique putant, quod tunc in peculio fuerit, cum adiretur hereditas, inspiciendum.

36. D. 40, 5, 6. Idem (sc. Paulus) libro sexagensimo ad edictum. — Decem legata sunt et rogatus est legatarius Stichum emere et manumittere. Falcidia intervenit et minoris emi servus non potest. quidam putant dodrantem accipere debere legatarium nec emere compellendum. idem putant etiam si suum servum rogatus sit manumittere et dodrantem ex legato acceperit, non esse compellendum manumittere

1 *Trib.* fideiussor.

... in superiore (sc. specie) sunt qui putant cogendum legatarium redimere servum, et se oneri subiecisse, dum accipit vel dodrantem.

De usufructu legato.

37. D. 7, 1, 15, 6. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum. — Proprietatis dominus non debebit impedire fructuarium ita utentem, ne deteriorem eius condicionem faciat. de quibusdam plane dubitatur, si eum uti prohibeat, an iure id faciat, ut puta doleis, si forte fundi usus fructus sit legatus, et putant quidam, etsi defossa sint, uti prohibendum. idem et in seriis et in cuppis et in amphoris putant; idem et in specularibus, si domus usus fructus legetur.

38. D. 50, 16, 30 pr. Gaius libro septimo ad edictum provinciale. — Silva caedua est, ut quidam putant, quae in hoc habetur, ut caederetur.

39. Vat. fr. 75. (Ulp. ad Sab.). — Idem (sc. Iulianus) ait et si communi servo et separatim Titio usus fructus legatus sit, amissam partem usus fructus non ad Titium, sed ad solum socium pertinere debere quasi solum coniunctum ... Pomponius ait ... quosdam esse in diversam opinionem; nec enim magis socio debere adcrescere quam deberet ei qui fundi habens usum fructum partem usus fructus proprietario cessit vel non utendo omisit.

40. Vat. fr. 77. (Ulp. ad Sab.). — ... constitutus nihilo minus amissus (sc. ususfructus) ius adcrescendi admittit. omnes enim auctores apud Plautium de hoc consenserunt.

De fundo legato.

41. D. 35, 2, 65. Paulus libro sexto ad legem Iuliam et Papiam. — Si fundus legatus sit quinquaginta dignus sub hac condicione, si quinquaginta heredi dedisset, plerique putant utile esse legatum, quia condicionis implendae causa datur; nam constat etiam Falcidiam eum pati posse.

42? D. 34, 4, 6, 2. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam. — .. si pro fundo decem legentur, quidam putant non esse ademptum prius legatum.

43. D. 33, 7, 12 pr. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum. — Quaesitum est, an frumentum quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet. et plurimis non placet, quia consumeretur.

44. D. ibid. — Item nonnullis visum est frumentum, quod serendi causa depositum est, instrumento contineri.

De domus instrumento legato.

45. D. ibid. § 18. — Acetum quoque, quod exstinguendi incendii causa paratur, item centones sifones, [perticae quoque et scalae] et formiones et spongias et amas et scopas contineri plerique ... aiunt.

cf. II, 2 p. 305.

De penu legata.

46. D. 33, 9, 5, 1. Paulus libro quarto ad Sabinum. — .. quidam negaverunt piper et ligusticum et careum et laser et cetera huiusmodi in penu non esse.

Pauli plena verba sunt: 'quod quidam ... non esse, improbatum est'.

47. Gell. 4, 1, 2. — Ligna quoque et virgas et carbones quibus conficeretur penus, quibusdam ait (sc. Masurius Sabinus) videri esse in penu.

48? D. 35, 2, 1, 8. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam. — .. si ita legatum sit 'heres meus Seio penum dato; si non dederit, decem dato', quidam putant omnimodo in legato decem esse, penum autem mortis causa capi nec in Falcidiam imputare id heredem posse.

De ovibus legatis.

49. D. 32, 81, 4. Modestinus libro nono Differentiarum. — Ovibus legatis neque agnos neque arietes contineri quidam .. existimant.

De agnis legatis.

50. D. 32,60pr. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum. — Cum quaereretur, agnis legatis ⟨agni⟩ quatenus viderentur, quidam aiebant, agnum dumtaxat sex mensum esse.

De quadriga legata.

51. D. 31, 65, 1. Idem (sc. Papinianus) libro sexto decimo Quaestionum. — Quadrigae legatum equo postea mortuo perire quidam ita credunt, si equus ille decessit, qui demonstrabat quadrigam.

De servis legatis.

52. D. 32, 81 pr. = D. 50, 16, 101, 3. Modestinus libro nono Differentiarum. — Servis legatis etiam ancillas deberi quidam .. putant, quasi commune nomen utrumque sexum contineat.

53. D. 32, 99 pr. Idem (sc. Paulus) libro singulari de instrumenti significatione. — Servis urbanis legatis quidam urbana mancipia non loco, sed opere separant, ut, licet in praediis rusticis sint, tamen si opus rusticum non faciant, urbani videntur.

De ornatricibus legatis.

54? D. 32, 65, 3. Marcianus libro septimo Institutionum. — Ornatricibus legatis Celsus scripsit eas, quae duos tantum menses apud magistrum fuerunt, legato non cedere, alii et has cedere...

De fideicommissis.

55. D. 28, 6, 38, 3. Paulus libro singulari de secundis tabulis. — Si a patre institutus rogatusque hereditatem restituere coactus ex ⟨Pegasiano a⟩ fideicommissario adierit, quamvis cetera, quae in eodem testamento relicta sunt, per eam aditionem confirmentur, ut legata et libertates, secundas tamen tabulas non oportere resuscitari destituto iam iure civili testa-

mento Scaevola noster dicebat, quia et pupillares tabulae pars sunt prioris testamenti. sed plerique in diversa sunt opinione.[1]

De libertate relicta.

56. D. 40, 4, 57. Gaius libro tertio de manumissionibus. — Si locuples egenti heres exstiterit, videamus, an ea res testamento datis libertatibus proficiat, ut creditores fraudari non videantur. et sane sunt quidam, qui, cum heres locuples existeret, tale esse crediderunt, quale, si ipse testator adauctis postea facultatibus decessisset.

cf. Gai. 1, 36.

57. D. 40, 4, 19. Idem (sc. Iulianus) libro tertio ad Urseium Ferocem. — Quidam heredem suum rogaverat, ut servum manumitteret; deinde, si heres eum non manumiserit, liberum eum esse iusserat eique legaverat: heres eum manumisit. plerique existimant hunc ex testamento libertatem consequi.

58? D. 40, 5, 24, 19. Ulpianus libro quinto Fideicommissorum. — Si cui legatum sit relictum isque rogatus sit proprium servum manumittere eique quod legatum est praestare, an fideicommissaria libertas praestanda sit? quosdam movet, quia si fuerit coactus ad libertatem praestandam, ex necessitate ad fideicommissi quoque praestationem erit cogendus. et sunt qui putant, non esse cogendum.

59? D. 31, 84. Paulus libro vicesimo primo Quaestionum. — Si quis servo suo fideicommissam libertatem reliquit et aliud quid adscripsit, quidam dicunt, quia placebat ab herede eum manumitti debere, futurum esse, ut non admittatur ad fideicommissum.

De manumissionibus.

60? D. 40, 2, 14, 1. Marcianus libro quarto Regularum. — Sunt qui putant etiam feminas posse matri-

1 *Fl.* dicebat . sed . . opinione, quia . . . testamenti.

nonii causa manumittere [sed ita, si forte conservus suus in hoc ei legatus est?].

cf. Gai. 1, 19.

61. Dosith. 17. — Magna .. dissensio est inter peritos, utrum eo tempore vires accipiant omnia, quo in censu aguntur, an eo tempore quo lustrum conditur. sunt enim qui existimant non alias vires accipere quae in censu aguntur, nisi haec dies sequatur, qua lustrum conditur: existimant enim censum descendere ad diem lustri, non lustrum recurrere ad diem census.

62? D. 40, 1, 4, 7. Ulpianus libro sexto Disputationum. — ... si forte quis sic comparaverit suis nummis, ne eum manumittat, .. est opinio dicentium hunc ad libertatem pervenire, cum et nomen emptionis imaginarius iste emptor accommodet et praeterea nihil ei absit.

De libertis.

63. Gai. 3, 75. — ... non .. hi (sc. quos lex Aelia Sentia dediticiorum numero facit) habent .. testamenti factionem; nam id plerisque placuit.

64? D. 23, 2, 46. Gaius libro octavo ad legem Iuliam et Papiam. — Illud dubitationis est, an et qui communem libertam uxorem duxerit ad hoc ius admittatur (sc. quod dicit invito patrono libertam quae ei nupta est, alii nubere non posse). Iavolenus negavit, quia non proprie videtur eius liberta, quae etiam alterius sit; aliis contra visum est, quia libertam eius esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta. quam sententiam plerique .. probaverunt.

De liberali causa.

65? D. 40, 12, 24, 3. Idem (sc. Paulus) libro quinquagensimo primo ad edictum. — .. si quas actiones inferat dominus (sc. ordinata liberali causa), quaeritur, compellendus sit suscipere iudicium (sc. is qui de statu suo litigat). et plerique existimant, si in

personam agat, suscipere <debere> ipsum ad litis contestationem, sed sustinendum iudicium, donec de libertate iudicetur; nec videri praeiudicium libertati fieri aut voluntate domini in libertate eum morari.

De patria potestate.

66? D. 1, 9, 7, 1. Ulpianus libro primo ad legem Iuliam et Papiam. — Si quis conceptus quidem sit, antequam pater eius senatu moveatur, natus autem post patris emissam dignitatem, magis est ut quasi senatoris filius intellegatur; tempus enim conceptionis spectandum plerisque placuit.

67. Gai. 1, 90. — .. si cui mulieri civi Romanae praegnati aqua et igni interdictum fuerit, eoque modo peregrina facta tunc pariat, complures distinguunt et putant, siquidem ex iustis nuptiis conceperit, civem Romanum ex ea nasci, si vero vulgo conceperit, peregrinum ex ea nasci.

68. Gai. 1, 91. — Item si qua mulier civis Romana praegnas ex senatusconsulto Claudiano ancilla facta sit ob id quod alieno servo invito et denuntiante domino eius <coierit>, conplures distinguunt et existimant, si quidem ex iustis nuptiis conceptus sit, civem Romanum ex ea nasci, si vero vulgo conceptus sit, servum nasci eius cuius mater facta esset ancilla.

69? D. 50, 1, 1, 2. Ulpianus libro secundo ad edictum. — Celsus .. refert Ponticis ex beneficio Pompei Magni competere, ut qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset. quod beneficium ad vulgo quaesitos solos pertinere quidam putant.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

70. Cicero de offic. 3, 16, 65. — .. a iuris consultis .. reticentiae poena est constituta; quidquid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset praestari oportere.

71. D. 18, 1, 66, 1. Pomponius libro trigensimo imo ad Quintum Mucium. — Si *qua*[1] servitus venis praediis deberetur nec commemoraverit venditor, l sciens esse reticuerit et ob id per ignorantiam emptor non utendo per *biennium*[2] eam servitutem iiserit, quidam .. putant venditorem teneri ex empto dolum.

72. D. 21, 2, 69, 3. Scaevola libro secundo Quaeonum. — Quid . ., qui iussum decem dare prontiat viginti dare debere, nonne in condicionem ntitur? . . . quidam existimaverunt hoc quoque casu *ctoritatem*[3] contrahi.

De ancilla vendita.

73. D. 18, 7, 6pr. Idem (sc. Papinianus) libro vicenno septimo Quaestionum. — Si venditor ab emptore verit, ne serva manumitteretur neve prostituatur, et quo facto contra quam fuerat exceptum evincatur t libera iudicetur, et ex stipulatu poena petatur, li exceptionem quidam obstaturam putant.

cf. II, 1 p. 491.

De emptione venditione vel locatione conductione.

74. Gai. 3, 147. — .. quaeritur, si cum aurifice mihi nvenerit, ut is ex auro suo certi ponderis certaeque rmae anulos mihi faceret, et acceperit verbi gratia narios CC, utrum emptio et venditio an locatio et nductio contrahatur. ... plerisque placuit emptionem venditionem contrahi.

De communione.

75. D. 43, 20, 4. Iulianus libro quadragensimo imo Digestorum. — ... inter eos, ad quos usus

1 *Fl.* cum.
2 *Trib.* statutum tempus.
3 *Trib.* evictionis stipulationem.

fructus pertinet, utile communi dividundo iudicium reddi plerisque placuit.

De iure dotium.

76. Vat. fr. 115. (Paul.) — . . . a quibusdam dicitur, omnia in dotem da<ri posse>.

77. D. 25, 1, 5, 2. Ulpianus libro trigesimo sexto ad Sabinum. — Si dos soluta sit non habita ratione impensarum, videndum est, an condici possit id quod pro impensis necessariis compensari solet. . . . etsi plerique negent . . .

78. D. 23, 2, 33. Idem (sc. Marcellus) libro tertio ad legem Iuliam et Papiam. — Plerique opinantur, cum eadem mulier ad eundem virum revertatur, id matrimonium idem esse.

79. D. 23, 3, 66. Idem (sc. Pomponius) libro octavo ad Quintum Mucium. — Si usus fructus fundi, cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur, difficultas erit post divortium circa reddendum ius mulieri . . . quidam ergo remedii loco . . putaverunt introducendum, ut vel locet hunc usum fructum mulieri maritus vel vendat nummo suo, ut ipsum quidem ius remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat.

De donationibus inter virum et uxorem.

80? D. 41, 2, 1, 4. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Si vir uxori cedat possessione donationis causa, plerique putant possidere eam, quoniam res facti infirmari iure civili non potest.

81. D. 24, 1, 36, 1. Paulus libro trigesimo sexto ad edictum. — Sponsus alienum anulum sponsae muneri misit et post nuptias pro eo suum dedit. quidam . . putant fieri eum mulieris, quia tunc factam donationem confirmare videtur, non novam inchoare.

cf. II, 1 p. 306.

De tutelis.

82. Gai. 1, 184. — Olim cum legis actiones in usu erant, etiam ex illa causa tutor dabatur, si inter tutorem et mulierem pupillumve lege agendum erat... sed post sublatas legis actiones quidam putant hanc speciem dandi tutoris in usu esse desiisse. aliis autem placet adhuc in usu esse, si legitimo iudicio agatur.

83. Gai. 1, 188. — ... apparet quot sint species tutelarum. si vero quaeramus, in quot genera hae species diducantur, longa erit disputatio ... alii tot genera esse crediderunt, quot etiam species essent.

84. Gai. 1, 172. — .. fiduciarios quoque (sc. tutores) quidam putaverunt cedendae tutelae ius non habere, cum ipsi se oneri subiecerint.

85. D. 26, 1, 1, 3. Paulus libro trigesimo octavo ad edictum. — Surdum non posse dari tutorem plerique ... probant, quia non tantum loqui, sed et audire tutor debet.

86. D. 26, 4, 5, 1. Ulpianus libro trigesimo quinto ad edictum. — .. etiam hos (sc. legitimos tutores) cogi satisdari certum est, in tantum ut etiam patronum et patroni filium ceterosque liberos eius cogi rem salvam fore satis dare plerisque videatur.

87. D. 27, 3, 5. Ulpianus libro quadragesimo tertio ad Sabinum. — Si tutor rem sibi depositam a patre pupilli vel commodatam (fiduciae sibi datam?) non reddat, non tantum commodati vel depositi (fiduciae?), verum tutelae quoque tenetur. et si acceperit pecuniam, ut reddat, plerisque placuit, eam pecuniam vel depositi vel commodati (fiduciae?) actione repeti vel condici posse.

88? D. 26, 7, 9, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro trigesimo sexto ad edictum. — Si pater familias eum, pro quo fideiussit, tutorem dederit filio suo, officio tutoris convenit, ut cum dies pecuniae praeterierit, creditori debitum solvat ... quod si in diem debitor

fuit iste tutor, quibusdam videtur non venire in tutelae iudicium, si modo is dies [post] tutelam finitam supervenit. quod si dies adhuc durante tutela venit, putant omnimodo devolvi in tutelae iudicium.

De delictis privatis.

89. Gai. 4, 8. — Poenam tántum persequimur velut actione furti et iniuriarum et secundum quorundam opinionem actione vi bonorum raptorum.

De furtis.

90[a]. Gai. 2, 51. — ... eorum sententia, qui putaverint furtivum fundum fieri posse.

90[b]. D. 47, 2, 45 pr. Ulpianus libro quadragensimo ad Sabinum. — ... plerique probant, fundi furtum agi non posse.

cf. II, 1 p. 383.

91. Gai. 3, 208. — ... sciendum est quaesitum esse an inpubes rem alienam amovendo furtum faciat. plerisque placet, quia furtum ex adfectu consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit et ob id intellegat se delinquere.

92. Gai, 3, 184. — Manifestum furtum quidam id esse dixerunt, quod dum fit, deprehenditur. alii vero ulterius, quod eo loco deprehenditur, ubi fit ... alii adhuc ulterius eo usque manifestum furtum esse dixerunt, donec perferret eo quo perferre fur destinasset; alii adhuc ulterius, quandoque eam rem fur tenens visus fuerit.

De lege Aquilia.

93. Fest. p. 178. — Occisum a necato distinguunt quidam, quod alterum a caedendo atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu.

cf. I p. 136.

94. Gai. 3, 218. — Hoc .. capite (sc. tertio) non quanti in eo anno, sed quanti in diebus XXX proximis ea res fuerit, damnatur is qui damnum dederit. ac ne

'plurimi' quidem verbum adicitur. et ideo quidam putaverunt liberum esse iudici ad id tempus ex diebus XXX aestimationem redigere, quo plurimi res fuerit, vel ad id quo minoris fuerit.

cf. II, 1 p. 521.

95. D. 47, 10, 25. Idem (sc. Ulpianus) libro octavo decimo ad edictum. — ... si virginem inmaturam stupraverit, etiam legis Aquiliae actionem competere quidam putant.

96. Collat. 12, 7, 10. Ulpianus libro XVIII ad edictum. — .. Celsus ... scribit: si cum apes meae ad tuas advolassent, tu eas exusseris, quosdam negare competere legis Aquiliae actionem, ... quasi apes domini mei non fuerint.

De damno infecto.

97. D. 39, 2, 36. Paulus libro decimo ad Sabinum. — .. ita idoneum esse (sc. parietem communem) plerique dixerunt, ut utrarumque aedium onera, quae modo iure imponantur, communis paries sustinere possit.

98. D. 39, 2, 6. Gaius libro primo ad edictum provinciale. — Evenit ut nonnumquam damno dato nulla nobis competat actio non interposita antea cautione, veluti si vicini aedes ruinosae in meas aedes ceciderint, adeo ut plerisque placuerit nec cogi quidem eum posse, ut rudera tollat, si modo omnia quae iaceant pro derelicto habeat.

De iniuriis.

99. D. 28, 1, 26. Gaius libro vicesimo secundo ad edictum provinciale. — Cum lege quis intestabilis iubetur esse, eo pertinet, ne eius testimonium recipiatur et eo amplius, ut quidam putant, ne *vel*[1] ipsi dicatur testimonium.

De lege Cornelia sermo est. cf. D. 47, 10, 5, 9.

1 *Fl.* neve.

100. D. 47, 10, 11, 3. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum. — Si mandatu meo facta sit alicui iniuria, plerique aiunt tam me qui mandavi quam eum qui suscepit iniuriarum teneri.

101. D. 47, 30, 13. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum. — Si quis me prohibeat in mari piscare vel everriculum ... ducere, an iniuriarum iudicio possim eum convenire? sunt qui putent iniuriarum me posse agere.

Sequuntur haec: 'et ita Pomponius et plerique esse huic similem eum, qui in publicum lavare vel in cavea publica sedere vel in quo alio loco agere sedere conversari non patiatur, aut si quis re mea uti me non permittat.'

De condictione.

102. D. 12, 6, 60, 1. Paulus libro tertio Quaestionum. — Ubi .. quis quod pure debet sub condicione novandi animo promisit, plerique putant pendente novatione solutum repetere posse, quia ex qua obligatione solvat, adhuc incertum sit; idemque esse etiam, si diversas personas ponas eandem pecuniam pure et sub condicione novandi animo promisisse.

103. Gai. 3, 91. — .. quidam putant pupillum aut mulierem cui sine tutoris auctoritate non debitum per errorem datum est, non teneri condictione, non magis quam mutui datione.

De verborum obligatione.

104. D. 45, 1, 141, 4. Gaius libro secundo de Verborum Obligationibus. — Si inter eos qui Romae sunt, talis fiat stipulatio 'hodie Carthagine dari spondes'?, quidam putant non semper videri impossibilem causam stipulationi contineri, quia possit contingere, ut tam stipulator quam promissor ante aliquod tempus suo quisque dispensatori notum fecerit in eum diem futuram stipulationem ac demandasset promissor quidem

suo dispensatori, ut daret, stipulator autem suo, ut acciperet.

105. D. 45, 1, 46, 2. Paulus libro duodecimo ad Sabinum. — Si ita stipulatus fuero 'cum volueris', quidam inutilem esse stipulationem aiunt, alii ita inutilem, si antequam constituas, morieris.

106. D. 35, 1, 24. Idem (sc. Iulianus) libro quinquagensimo quinto Digestorum. — Iure civili receptum est quotiens per eum, cuius interest condicionem ⟨non⟩ impleri, fit, quo minus impleatur, ut perinde habeatur ac si impleta condicio fuisset; quod plerique et ad legata et ad heredum institutiones perduxerunt. quibus exemplis stipulationes quoque committi quidam . . putaverunt, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator condicioni pareret.

107. D. 45, 1, 2, 2. Paulus libro duodecimo ad Sabinum. — . . . si divisionem res promissa non recipit, veluti via, heredes promissoris singuli in solidum tenentur; sed quo casu unus ex heredibus solidum praestiterit, repetitionem habebit a coherede familiae erciscundae iudicio. ex quo quidem accidere Pomponius ait, ut et stipulatoris viae vel itineris heredes singuli in solidum habeant actionem. sed quidam hoc casu extingui stipulationem putant, quia per singulos adquiri servitus non potest.

108. D. 46, 3, 73. Idem (sc. Marcellus) libro trigensimo primo Digestorum. — Ob *HS* XXX num*morum*[1] pecuniae creditae fideiussorem in viginti dedi et pignus. ex venditione autem pignoris creditor decem consecutus est: utrum ex universitate id decedit, ut quidam putant, si decem solvendis decem nihil debitor dixisset, an . . .

109? D. 17, 1, 40. Paulus libro nono ad edictum. — Si pro te praesente et vetante fideiusserim, nec man-

1 *Trib.* Ob triginta nummos.

dati actio nec negotiorum gestorum est; sed quidam utilem putant dari oportere.

Ulpianus addit: 'quibus non consentio, secundum quod et Pomponio videtur'. nihilo minus Pernice verba: 'sed ... oportere' spuria esse putat.

De solutione.

110. Gai. 3, 160. — (Utilitatis causa receptum est, ut si mortuo eo qui mihi mandaverit, ignorans eum decessisse executus fuero mandatum, posse me agere mandati actione.) et huic simile est quod plerisque placuit, si debitor meus manumisso dispensatori meo per ignorantiam solverit, liberari eum ...

111. D. 12, 1, 21. Idem (sc. Iulianus) libro quadragensimo octavo Digestorum. — Quidam existimaverunt neque eum, qui decem peteret, cogendum quinque accipere et reliqua persequi, neque eum, qui fundum suum diceret, partem dumtaxat iudicio persequi.

De actionibus.

112. Gai. 4, 29. — ... certis verbis pignus capiebatur et ob id plerisque placebat hanc quoque actionem legis actionem esse, quibusdam autem ⟨contra⟩ placebat, primum quod pignoris capio extra ius peragebatur, id est non apud praetorem, plerumque etiam absente adversario ...

113. D. 50, 16, 238, 2. Idem (sc. Gaius) libro sexto ad legem duodecim tabularum. — ... quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui.

114. Gai. 4, 58 sq. — Si in demonstratione plus aut minus positum sit, nihil in iudicium deducitur... sed sunt qui putant minus recte comprehendi, ut qui forte Stichum et Erotem emerit, recte videatur ita demonstrare 'quod ego de te hominem Erotem emi', et si velit, de Sticho alia formula agat ...

115. D. 50, 16, 234, 2. Idem (sc. Gaius) libro secundo ad legem duodecim tabularum. — Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere.

cf. I p. 353.

De hereditatis petitione.

116. D. 5, 3, 43. Paulus libro secundo ad Plautium. — Postquam legatum a te accepi, hereditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait non aliter mihi adversus te dandam petitionem, quam si legatum redderem.

117. D. 5, 3, 13, 8. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto decimo ad edictum. — Si quis sciens alienam emit hereditatem, quasi pro possessore possideret[1], sic peti ab eo hereditatem quidam putant.

De rei vindicatione.

118ᵃ. D. 47, 3, 1. Ulpianus libro trigensimo septimo ad edictum. — Tigni .. appellatione continetur omnis materia, ex qua aedificium constet, vineaeque necessaria. unde quidam aiunt tegulam quoque et lapidem et testam ceteraque, si qua aedificiis sunt utilia, hoc amplius et calcem et harenam tignorum appellatione contineri.

118ᵇ. D. 10, 4, 7 pr. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum. — Tigni appellatione omnem materiam in lege duodecim tabularum accipimus, ut quibusdam .. videtur.

119. D. 6, 1, 15, 3. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum. — Si servus petitus vel animal aliud demortuum sit sine dolo malo et culpa possessoris, pretium non esse praestandum plerique aiunt.

120. D. 6, 1, 23, 2. Paulus libro vicensimo primo ad edictum. — Si quis rei suae alienam rem ita adiecerit, ut pars eius fieret, veluti si quis statuae

1 *Fl.* possidet et. *emend.* *Krueger.*

suae bracchium aut pedem alienum adiecerit, aut scypho ansam vel fundum, vel candelabro sigillum aut mensae pedem, dominum eius totius rei effici vereque statuam suam dicturum et scyphum plerique .. dicunt.

cf. p. 65.

121. D. 6, 1, 5, 1. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum. — Idem (sc. Pomponius) scribit, si ex melle meo, vino tuo factum sit mulsum, quosdam existimasse id .. communicari.

122. D. 41, 1, 7, 7. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum. — Est .. media sententia .. existimantium, si species ad materiam reverti possit, verius esse, quod Sabinus et Cassius senserunt; si non possit reverti, verius esse, quod Nervae et Proculo placuit. ... videntur tamen mihi recte quidam dixisse non debere dubitari quin alienis spicis excussum frumentum eius sit, cuius et spicae fuerunt.

123. I. 2, 1, 34. — Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturae cedere, aliis videtur picturam, qualiscumque sit, tabulae cedere.

cf. Gai. II, 78.

De adquirendo rerum dominio.

124. Gai. 3, 166. — .. qui nudum ius Quiritium in servo habet, licet dominus sit, minus tamen iuris in ea re habere intelligitur quam usufructuarius et bonae fidei possessor. nam placet ex nulla causa ei adquiri posse, adeo ut etiam nominatim ei dari stipulatus fuerit servus, mancipiove nomine eius acceperit, quidam existiment nihil ei adquiri.

De possessione et usucapione.

125. D. 41, 2, 3, 16. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Quidam .. putant columbas .., quae ab aedificiis nostris volant, item apes, quae ex

alveis nostris evolant et secundum consuetudinem redeunt, a nobis possideri.

cf. Gai. 2, 68.

126. Gai. 4, 153. — .. plerique putant animo quoque retineri possessio⟨nem, id est ut quamvis neque ipsi simus in possessione⟩ neque nostro nomine alius, tamen si non relinquendae possessionis animo sed postea reversuri inde discesserimus, retinere possessionem videamur.

127. D. 41, 2, 3, 4. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Ex pluri*bu*s causis possidere eandem rem possumus, ut quidam putant et eum qui usuc*a*per*e*t[1] pro emptore et pro suo possidere ...

128. Seneca ep. 79, 6. — Negant iuris consulti quidquam publicum usu capi posse.

129. Seneca de benef. 6, 5. — Iuris consultorum illae ineptiae sunt acutae, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ⟨posse⟩ ea quae in hereditate sunt.

130. D. 41, 5, 3. Pomponius libro vicensimo tertio ad Quintum Mucium. — Plerique putaverunt, si heres sim et putem rem aliquam ex hereditate esse quae non sit, posse me usucapere.

131. D. 41, 2, 3, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — ... Brutus et Manilius putant eum qui fundum *usu* cepit, etiam thensaurum cepisse ... quidam putant Sabini sententiam veriorem esse nec alias eum qui scit possidere, nisi si loco motus sit, quia non sit sub custodia nostra.

132? D. 41, 4, 2, 9. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — Procuratorem .., qui ex auctione, quam mandatu domini facit, emerit, plerique putant utilitatis causa pro emptore usucapturum.

133. D. 41, 2, 1, 22. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum. — .. Nerva filius ait, per servum quae peculiariter adquisierint (sc. municipes), et possi-

1 *Fl.* et eum qui usuceperit et.

dere et usucapere (eos?) posse; sed quidam contra putant, quoniam ipsos servos non possideant.

De donationibus.

134. D. 27, 3, 1, 2. Ulpianus libro trigesimo sexto ad edictum. — ... si non mortis causa donaverit tutore auctore (sc. pupillus), .. Iulianus scripsit plerosque .. putare non valere donationem.

De servitutibus.

135. D. 8, 3, 7 pr. Idem (sc. Paulus) libro vicensimo primo ad edictum. — ... iumentum .. ducere non potest, qui iter tantum habet. qui actum habet, et plostrum ducere et iumenta agere potest. sed trahendi lapidem aut tignum neutri eorum ius est. quidam nec hastam rectam ei ferre licere, quia neque eundi neque agendi gratia id faceret et possent fructus eo modo laedi. qui viam habent eundi agendique ius habent; plerique et trahendi quoque et rectam hastam ferendi, si modo fructus non laedat.

136. I. 2, 3, 2. — In rusticorum praediorum servitutes quidam computari .. putant aquae haustum, pecoris ad aquam adpulsum, ius pascendi, calcis coquendae, harenae fodiendae.

cf. D. 8, 3, 1, 1. Ulp. l. II Instit.

De aqua pluvia arcenda.

137. D. 39, 3, 3 pr. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum. — ... si .. aquam conrivat (sc. is in cuius fundo aqua oritur) vel si spurcam quis immittat, posse eum impediri plerisque placuit.

De postliminio.

138. Fest. p. 214. — .. sunt qui credant, perfugam esse non tam qui alios fugiat sed qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat.

b. De iure honorario.

α. Ad edictum aedilium curulium.

De mancipiis vendundis.

139. D. 21, 1, 10, 4. Idem (sc. Ulpianus) libro primo ad edictum aedilium curulium. — Luscitionem eam esse quidam putant, ubi homo lumine adhibito nihil videt.

140. D. 21, 1, 17, 4. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium. — ... plerumque ab imprudentibus, inquit (sc. Vivianus), dici solet eum esse fugitivum, qui nocte aliqua sine voluntate domini emansisset.

141. D. 21, 1, 31, 25. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium. — Quod emptioni accedit, partem esse venditionis prudentibus visum est.

142. D. 21, 2, 31. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum. — Si ita quis stipulanti spondeat sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse et cetera, inutilis stipulatio quibusdam videtur, quia si quis est in hac causa, impossibile est quod promittitur, si non est, frustra est.

β. Ad edictum praetoris.

De pactis et conventionibus.

143. D. 2, 14, 7, 14. Ulpianus libro quarto ad edictum. — Si paciscar, ne operis novi nuntiationem exsequar, quidam putant non valere pactionem, quasi in ea re praetoris imperium versetur.

cf. II, 1 p. 97.

144. D. 2, 14, 27, 1. Paulus libro tertio ad edictum. — Si cum reo ad certum tempus pactio facta sit, ultra neque reo neque fideiussori prodest. quod si sine persona sua reus pepigerit, ne a fideiussore petatur, nihil id prodesse fideiussori quidam putant, quamquam id rei intersit, quia ea demum competere ei debeat exceptio, quae et reo.

145. D. 2, 14, 17, 6. Paulus libro tertio ad edictum. — Cum possessor alienae hereditatis pactus est, heredi, si evicerit, neque nocere neque prodesse plerique putant.

De in ius vocando.

146. D. 2, 4, 4, 2. Ulpianus libro quinto ad edictum. — (Praetor ait: parentem . . . in ius sine permissu meo ne quis vocet.) parentem hic utriusque sexus accipe, sed an in infinitum quaeritur. quidam parentem usque ad tritavum appellari aiunt, superiores maiores dici.

cf. p. 72.

147. D. 2, 4, 18. Gaius libro primo ad legem duodecim tabularum. — Plerique putaverunt nullum de domo sua in ius vocari licere, quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit, eumque qui inde in ius vocaret, vim inferri videri.

De vadimoniis.

148. D. 2, 10, 1, 2. Ulpianus libro septimo ad edictum. — Dolum .. malum sic accepimus, ut si quis venienti *in ius*[1] aliquid pronuntiaverit triste, propter quod is necesse habuit *in ius*[1] non venire, teneatur ex hoc edicto, quamvis quidam putent sibi eum imputare qui credulus fuit.

De cognitoribus et procuratoribus et defensoribus.

149. D. 3, 3, 61. Idem (sc. Paulus) libro primo ad Plautium. — Plautius ait: *cognitorem*[2] damnatum non debere conveniri, nisi aut in rem suam datus esset aut optulisset se, cum sciret cautum non esse, omnibus placuit.

150. Gai. 4, 84. — Procurator .. nullis certis verbis in litem substituitur, sed ex solo mandato et absente

1 *Trib.* ad iudicium.
2 *Trib.* procuratorem.

et ignorante adversario constituitur. quin etiam sunt qui putant eum quoque procuratorem videri, cui non sit mandatum, si modo bona fide accedat ad negotium et caveat ratam rem dominum habiturum.

151. D. 3, 3, 1. Ulpianus libro nono ad edictum. — ... quamvis quidam, ut Pomponius ... scribit, non putent unius rei mandatum suscipientem procuratorem esse, sicuti ne is quidem, qui rem perferendam vel epistulam vel nuntium perferendum suscepit, proprie appellatur.

Quod metus causa gestum erit.

152. D. 4, 2, 9, 2. Ulpianus libro undecimo ad edictum. — ... Pomponius scribit quosdam .. putare etiam servi manumissionem vel aedificii depositionem, quam quis coactus fecit, ad restitutionem huius edicti porrigendam esse.

153. D. 4, 2, 14, 5. Ulpianus libro undecimo ad edictum. — .. quidam putant bona fide emptorem ab eo qui rem intulit comparantem non teneri nec eum qui dono accepit vel cui res legata est.

cf. p. 241.

De dolo malo.

154. D. 4, 3, 18, 5. Paulus libro undecimo ad edictum. — Si servum, quem tu mihi promiseras, alius occiderit, de dolo malo actionem ⟨mihi⟩ in eum dandam plerique .. putant, quia tu a me liberatus sis.

De capite minutis.

155. D. 15, 1, 42. Idem (sc. Ulpianus) libro duodecimo ad edictum. — In adrogatorem de peculio actionem dandam quidam ... putant.

'quamvis Sabinus et Cassius ex ante gesto de peculio actionem non esse dandam existiment'.

Qui arbitrium receperit.

156. D. 4, 8, 6. Gaius libro quinto ad edictum provinciale. — .. etiam de re patris dicitur filium familias arbitrum esse posse; nam et iudicem eum esse posse plerisque placet.

157. D. 4, 8, 30. Paulus libro tertio decimo ad edictum. — Si quis rem, de qua compromissum sit, in iudicium deducat, quidam dicunt praetorem non intervenire ad cogendum arbitrum sententiam dicere, quia iam poena non potest esse atque si solutum est compromissum.

De iureiurando.

158? D. 12, 2, 22. Paulus libro octavo decimo ad edictum. — Quidam et de peculio actionem dandam in dominum, si actori detulerit servus iusiurandum.

De religiosis.

159. Gai. 2, 7. — .. in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi Romani est vel Caesaris, nos autem possessionem tantum vel usumfructum habere videmur.

De compensationibus.

160. Gai. 4, 66. — ... in compensationem hoc solum vocatur quod eiusdem generis et naturae est, ... adeo ut quibusdam placeat non omni modo vinum cum vino aut triticum cum tritico conpensandum, sed ita si eiusdem naturae qualitatisque sit.

De peculio.

161. D. 15, 1, 7, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum. — ... Marcellus apud Iulianum notans adicit posse fieri, ut apud alterum ex dominis servus peculium habeat, apud alterum non, ut puta si alter ex dominis furiosus sit vel pupillus, si, ut

quidam, inquit, putant, peculium servus habere non potest nisi concedente domino.

162. D. 15, 1, 42. Idem (sc. Ulpianus) libro duodecimo ad edictum. — In adrogatorem de peculio actionem dandam quidam .. putant.

cf. II, 1 p. 573.

Mandati.

163. D. 17, 1, 3. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum. — (Mandavi tibi, ut aliquam rem mihi emeres.) quod si pretium statui tuque pluris emisti, quidam negaverunt te mandati habere actionem, etiamsi paratus esses id quod excedit remittere.

cf. supra p. 150.

164. D. 17, 1, 22, 1. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum. — ... tractatum est, si, cum in diem deberem, mandatu meo in diem fideiusseris et ante diem solveris, an statim habeas mandati actionem. et quidam putant praesentem quidem esse mandati actionem, sed tanti minorem, quanti mea intersit superveniente die solutum fuisse.

De collatione bonorum.

165? D. 37, 6, 8. Papinianus libro tertio Quaestionum. — .. quidam filium emancipatum, qui de bonis conferendis cavere fratribus noluit, audiendum postea putaverunt, si vellet oblata cautione beneficium possessionis exercere.

De bonis libertorum.

166. Incerti auctoris fragm. Berol. II (Collect. libr. III p. 299). — .. cum lege de bonis rebusque eorum hominum ita ius dicere iudicium reddere praetor iubeatur, ut ea fiant, quae futura forent, si dediticiorum numero facti non essent, videamus, ne verius sit quod quidam senserunt et de universis bonis et de singulis.

Si quid in fraudem patroni factum sit.

167. Incerti auctoris fragm. de formula Fabiana (Collect. libr. III p. 299). — ... sunt qui contra sen⟨tiunt, quia haec actio ex con⟩tractu venit et cum eo contrahetur, ⟨licet ita concipi⟩atur formula quasi ex delicto venerit liberti.

cf. p. 244.

De bonorum possessione ex testamento militis.

168. D. 29, 1, 17, 4. Gaius libro quinto decimo ad edictum provinciale. — Si miles testamentum in militia fecerit, codicillos post militiam et intra annum missionis moriatur, plerisque placet in codicillis iuris civilis regulam spectari debere, quia non sunt a milite facti, nec ad rem pertinere, quod testamento confirmati sunt.

Unde legitimi.

169. Gai. 3, 27 sq. — Agnatos .. capite deminutos non secundo gradu post suos heredes vocat (sc. praetor), ... sed tertio proximitatis nomine ... itaque si quis alius sit qui integrum ius agnationis habebit, is potior erit, etiam si longiore gradu fuerit. idem iuris est, ut quidam putant, in eius agnati persona, qui proximo agnato omittente hereditatem nihilo magis iure legitimo admittitur. sed sunt qui putant hunc eodem gradu a praetore vocari, quo etiam per legem agnatis hereditas datur.

Testamenta quem ad modum aperiantur.

170. D. 50, 1, 5. Paulus libro quadragensimo quinto ad edictum. — Labeo indicat eum, qui pluribus locis ex aequo negotietur, nusquam domicilium habere. quosdam autem dicere refert pluribus locis eum incolam esse aut domicilium habere.

cf. Paul. Sent. 4, 6, 2.

Ut usufructus nomine caveatur.

171? D. 7, 5, 10, 1. Ulpianus libro septuanisimo nono ad edictum. — Si usus tantum pecuniae ɀatus sit, quia in hac specie usus appellatione etiam ıctum contineri magis accipiendem est, stipulatio a erit interponenda. et quidam aiunt non ante nc interponi stipulationem, quam data fuerit pecunia.

De damno infecto.

172. D. 39, 2, 32. Gaius libro vicensimo octavo edictum provinciale. — Si aedibus meis proximae ıt aedes meae et tuae, quaeritur, an, si hae vitium ihi faciant, cavere mihi debeas pro damno proiarum mearum aedium, scilicet pro qua parte dominus istes. et hoc plerisque placet.

173. D. 39, 2, 24, 7. Idem (sc. Ulpianus) libro togensimo primo ad edictum. — .. si furni nomine mni infecti fuerit cautum, deinde furnarii culpa mnum datum fuerit, non venire in hanc stipulationem ɜrisque videtur.

Sequuntur haec: 'Cassius quoque ait ...'

174? D. 39, 2, 17 pr. Ulpianus libro quinquansimo tertio ad edictum. — Si quis missum in ssessionem, cum esset in aliena potestate, non adiserit, plerique putant noxalem (?) actionem eo nomine mpetere.

175? D. 39, 2, 13 pr. Ulpianus libro quinquansimo tertio ad edictum. — Qui bona fide a non mino emit, videndum est, numquid repromittat, non iam satis det. quod quibusdam videtur.

De incendio ruina.

176. D. 47, 9, 5. Gaius libro vicesimo primo edictum provinciale. — Si quis ex naufragio vel incendio ruinave servatam rem et alio loco posim subtraxerit aut rapuerit, furti scilicet aut alias vi.

bonorum raptorum iudicio tenetur, maxime si non intellegebat ex naufragio vel incendio ruinave eam esse. iacentem quoque rem ex naufragio, quae fluctibus expulsa sit, si quis abstulerit, plerique idem putant.

De iure deliberandi.

177. D. 30, 87. Papinianus libro octavo decimo Quaestionum. — Filio pater, quem in potestate retinuit, heredi pro parte instituto legatum quoque relinquit ... sententia est existimantium denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit hereditate.

178. D. 29, 2, 20, 4. Ulpianus libro sexagesimo primo ad edictum. — Papinianus scribit filium heredem institutum qui se bonis paternis abstinuit volgo putare quosdam, si a statu libero pecuniam accepit, a creditoribus conveniendum, sive nummi peculiares fuerint sive non fuerint, quia ex defuncti voluntate accipitur, quod condicionis implendae causa datur.

179. D. 29, 4, 24, 1. Paulus libro sexagesimo ad edictum. — (Si dolo tutoris omiserit pupillus causam testamenti et legitimam hereditatem possideat, danda est legatorum actio in pupillum.) sed hoc et in eo qui pubes est plerique putant observandum, ut pro qua parte possideat, teneatur, quamvis praetor perinde in eum det actionem, atque si adisset hereditatem.

Ne quid in flumine publico ripave eius fiat, quo aliter aqua fluat.

180. D. 43, 13, 1, 6. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum. — Sunt qui putent, excipiendum hoc interdicto: 'quod eius ripae muniendae causa non fiet', scilicet ut, si quid fiat, quo aliter aqua fluat, si tamen muniendae ripae causa fiat, interdicto locus non sit. sed nec hoc quibusdam placet: neque enim ripae cum incommodo accolentium muniendae sunt.

cf. Lenel Edict. p. 369 n. 8.

Unde vi.

181. D. 43, 16, 1, 14. Ulpianus libro sexanaimo nono ad edictum. — .... si quod alius ecit, ratum habuero, sunt qui putent secundum binum et Cassium qui ratihabitionem mandato nparant, me videri deiecisse interdictoque isto ieri.

De rivis.

182. D. 43, 21, 1, 7. Ulpianus libro septuaisimo ad edictum. — (Praetor ait: riv*um* specus ita reficere purgare aquae ducendae causa ...) rgandi verbum plerique .. putant ad eum rivum rtinere qui integer est.

Si opus novum nuntiatum erit.

183. D. 39, 1, 20, 8. Ulpianus libro septuaisimo primo ad edictum. — .. si quaeratur, an in redem eius qui opus fecit, interdictum hoc competat, endum est Labeonem existimasse in id quod ad eum rvenit dumtaxat dari oportere vel si quid dolo malo ius factum sit, quo minus perveniret. nonnulli tant in factum esse dandam quam interdictum.

De arboribus caedendis.

184. D. 43, 27, 1, 2. Ulpianus libro septuanaimo primo ad edictum. — Si arbor aedibus alienis pendet, utrum totam arborem iubeat praetor adimi vero id solum, quod superexcurrit, quaeritur. et tilius ait a stirpe excidendam idque plerisque videtur rius.

Utrubi.

185. D. 41, 2, 13, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro otuagensimo secundo ad edictum. — .. quaeritur, quis hominem venditori redhibuerit, an accessione possit ex persona eius. et sunt qui putent non

posse, quia venditionis est resolutio redhibitio; alii ėmptorem venditoris accessione usurum et venditorem emptoris.

3. Incertorum libri.

De veterum libris v. supra p. 505. fragmentis ea addidi, quae incertos de iuris consultorum sententiis rettulisse dicuntur.

1. De iure sacro.

De sacerdotibus publicis.

1. Gell. 10, 15, 1. — Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt .... scriptos legimus.

cf. Fabius Pictor: I. p. 10.

De iure pontificio.

2. Gell. 16, 6, 12. — ... scriptum invenimus in commentariis quibusdam ad ius pontificium pertinentibus 'bidennes' primo dictas d littera inmissa, quasi 'biennes', tum longo usu loquendi corruptam vocem esse et ex 'bidennibus' 'bidentes' factum, quoniam id videbatur esse dictu facilius leniusque.

2. De iure privato.

a. De iure civili.

De legatis.

3. D. 33, 4, 6, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — ... Servii auditores rettulerunt et q. s.

v. I p. 171.

4. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum.

v. II, 1 p. 355.

De adoptione.

5. Gell. 5, 19, 12 sq.
v. I p. 21.

De communione et societate.

6. Paul. ex Festo p. 82. — Erctum citumque fit inter consortes, ut in libris legum Romanorum legitur.

In notis a Valerio Probo congestis est: F. E familiae erciscundae. Collect. libr. iur. II. p. 147.

7. D. 17, 2, 65, 8. Paulus libro trigesimo secundo ad edictum. — .. scriptum est posse procuratori quoque meo socium meum renuntiare.
cf. I. p. 223.

De furto.

8. Gai, 3, 194. — ... sunt qui scribunt furtum manifestum aut lege ⟨intellegi⟩ aut natura.

De formula.

9. Gai. 4, 60. — .. nos apud quosdam scriptum invenimus, in actione depositi et denique in ceteris omnibus in quibus damnatus unusquisque ignominia notatur, eum qui plus quam oporteret demonstraverit, litem perdere, veluti si quis una re deposita duas pluresve ⟨se de⟩posuisse demonstraverit, aut si is cui pugno mala percussa est, in actione iniuriarum etiam aliam partem corporis percussam sibi demonstraverit.

De officio iudicis.

10. Gell. 14, 2, 1. — Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices sum, ut iudicia, quae appellantur privata susciperem, libros utriusque linguae de officio iudicis scriptos conquisivi . . . atque in dierum quidem diffissionibus comperendinationibusque et aliis quibusdam legitimis ritibus . . ex Sabini

Masurii et quorundam aliorum iurisperitorum commentariis commoniti et adminiculati sumus.
cf. Sabinus: II, 1 p. 550.

b. De iure honorario.

De mancipiis vendundis.

11. Gell. 4, 2, 13. — Non praetereundum est, id .. in libris veterum iuris peritorum scriptum esse et q. s.
v. p. 250.

Commodati.

12. D. 13, 6, 18 pr. Gaius libro nono ad edictum provinciale. — ... si communem amicum ad cenam invitaverimus tuque eius curam suscepisses et ego tibi argentum commodaverim, scriptum .. apud quosdam invenio, quasi dolum tantum praestare debeas.

III. QUAE QUAERUNTUR VEL DUBITANTUR QUAEQUE QUAESITA VEL DUBITATA SUNT.

Ea inprimis proposui quae huius generis apud Gaium leguntur. non nulla iam alia ratione prolata iterum proferenda erant.

1. Ad ius publicum.

De plebiscitis.

1. Liv. 3, 55. — Omnium primum, cum velut in controverso iure esset, tenerenturne patres plebi scitis, legem centuriatis comitiis tulere, ut quod ...

De senatus consulto.

2. Gai. 1, 4. — Senatus consultum est quod senatus iubet atque constituit, idque legis vicem optinet, quamvis fuerit quaesitum.

De censu.

3. Dosith. 17. — Magna . . dissensio est inter peritos, utrum eo tempore vires accipiant omnia, *quo in* censu *aguntur*, *an* eo tempore quo lustrum conditur . . quod ideo quaesitum est, quoniam omnia *quae* in censu aguntur lustro confirmantur.

2. Ad ius privatum.

a. De iure civili.

De adquirenda hereditate.

4. D. 29, 2, 24 pr. Ulpianus libro septimo ad Sabinum. — Fuit quaestionis, an pro herede gerere videatur, qui pretium hereditatis omittendae causa capit.

'et optinuit hunc pro herede . . non gerere . .'

De legitimis heredibus.

5. Gai. 3, 16. — . . si defuncti nullus frater extet, ⟨sed⟩ sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. sed quaesitum est, si dispari forte numero sint nati, ut ex uno unus vel duo, ex altero tres vel quattuor, utrum in stirpes dividenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita.

cf. II, 1 p. 431.

6. Gai. 3, 87. — Suus . : et necessarius heres an aliquid agant in iure cedendo quaeritur.

cf. p. 39.

De bonis Latinorum libertinorum.

7. Gai. 3, 71. — . . quaeritur an hoc senatus consultum (sc. quod Lupo et Largo consulibus factum est) ad eos patroni liberos pertineat, qui ex filia nepteve procreantur, id est ut nepos meus ex filia potior sit in bonis Latini mei quam extraneus heres. item ⟨an⟩ ad maternos Latinos hoc senatus consultum

pertineat quaeritur, id est ut in bonis Latini materni potior sit patronae filius quam heres extraneus matris.

cf. p. 21.

De legatis.

8. Gai. 2, 200. — Illud quaeritur, quod sub condicione per vindicationem legatum est, pendente condicione cuius sit.

cf. II, 1 p. 439; supra p. 144

9. Gai. 2, 212. — .. si post mortem testatoris ea res (sc. quae sinen*di* modo legatum est) heredis esse coeperit, quaeritur an utile sit legatum.

10. D. 33, 7, 21. Pomponius libro primo Fideicommissorum. — (Cum fundus sine instrumento legatus sit,) de molis .. quaeri solet, cum ita adfixae itave inaedificatae sint, ut partes aedificiorum esse videantur.

De libertate relicta.

11. Gai. 2, 236. — Nec libertas .. poenae nomine dari potest, quamvis de ea re fuerit quaesitum.

De patria potestate.

12. Gai. 1, 106. — .. illa quaestio, an minor natu maiorem natu adoptare possit, utriusque adoptionis communis est.

13. Gai. 1, 74. — .. si peregrinus civem Romanum duxerit, an ex senatusconsulto causam probari possit, quaesitum est.

De societate.

14. Gai. 3, 149. — Magna .. quaestio fuit, an ita coiri possit societas, ut quis maiorem partem lucretur, minorem damni praestet.

cf. Q. Mucius: I p. 95 et Servius Sulpicius: p. 222.

De iure dotium.

15. Gai. 2, 63. — (Dotale praedium maritus invita muliere per legem Iuliam prohibetur alienare.)

quod .. ius utrum ad Italica tantum praedia an etiam ad provincialia pertineat, dubitatur.

De furtis.

16. Gai. 3, 208. — .. sciendum est quaesitum esse an inpubes rem alienam amovendo furtum faciat.

17. Gai. 3, 184. — .. illorum sententia qui existimaverunt, donec perferret eo quo fur destinasset, deprehensum furtum manifestum esse, ideo non videtur probari, quia magnam recipit dubitationem, utrum unius diei an etiam plurium dierum spatio id terminandum sit.

18. Gai. 3, 198. — .. illud quaesitum est, cum Titius servum meum sollicitaverit, ut quasdam res mihi subriperet et ad eum perferret, ⟨et servus⟩ id ad me pertulerit, ego, dum volo Titium in ipso delicto deprehendere, permiserim servo quasdam res ad eum perferre, utrum furti an servi corrupti iudicio teneatur Titius mihi, an neutro.

19. D. 47, 2, 21 pr. Ulpianus libro quadragensimo ad Sabinum. — Volgaris est quaestio, an is qui ex acervo frumenti modicum sustulit, totius rei furtum faciat an vero eius tantum quod abstulit.

De lege Aquilia.

20. D. 47, 1, 2, 1. 3. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragensimo tertio ad Sabinum. — Qui .. hominem subripuit et occidit, quia subripuit, furti, quia occidit, Aquilia tenetur, neque altera harum actionum alteram consumit . . . quaesitum est, si condictus fuerit ex causa furtiva an nihilo minus lege Aquilia agi possit.

De condictione.

21. Gai. 2, 82. — .. de pupillo .. quaeritur an num⟨mi⟩ quos mutuos dedit, ab eo qui accepit, actione eos persequi *possit*, quoniam ———— potest.

De litterarum obligatione.

22. Gai. 3, 133. — Transscripticiis .. nominibus an obligentur peregrini, .. quaeritur ...

cf. II, 1 p. 308 et supra p. 60.

De verborum obligatione.

23. Gai. 3, 103. — .. illud quaesitum est, si quis sibi et ei cuius iuri subiectus non est, dari stipuletur, in quantum valeat stipulatio.

cf. II, 1 p. 535 et supra p. 61.

24. Gai. 3, 167[a]. — Illud quaeritur an quod domini nomen adiectum efficit, idem faciat unius ex dominis iussum intercedens.

cf. II, 1 p. 480.

25. Gai. 3, 119. — .. illud quaeritur, si servus aut peregrinus spoponderit, an pro eo sponsor aut fidepromissor obligetur.

26. Gai. 3, 122. — .. quaeritur an post legem Furiam adhuc legis Appuleiae beneficium supersit. et utique extra Italiam superest ... sed an etiam ⟨in⟩ Italia beneficium legis Appuleiae supersit, valde quaeritur.

De liberatione.

27. Gai. 3, 168. — .. quaeritur, si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso iure liberetur ..., an ipso iure maneat obligatus, sed adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat ...

cf. II, 1 p. 539 et supra p. 62. 161.

28. Gai. 3, 172. — ... an .. in partem acceptum fieri possit, quaesitum ⟨est⟩.

29. D. 46, 4, 8 pr. Idem (Ulpianus) libro quadragensimo octavo ad Sabinum. — An inutilis acceptilatio utile habeat pactum, quaeritur.

De adquirendo rerum dominio.

30. Gai. 2, 79. — .. si ex uvis ⟨aut olivis aut spicis⟩ meis vinum aut oleum aut frumentum feceris, quaeritur utrum meum sit id vinum aut oleum aut frumentum, an tuum. item si ex auro aut argento meo vas aliquod feceris vel ex tabulis meis navem aut armarium aut subsellium fabricaveris; item si ex lana mea vestimentum feceris, vel si ex vino et melle meo mulsum feceris, sive ex medicamentis meis emplastrum vel collyrium feceris ⟨quaeritur, utrum tuum sit id quod ex meo offeceris⟩ an meum.

De possessione et usucapione.

31. Gai. 2, 90. — Per eas .. personas quas in manu mancipiove habemus, proprietas quidem adquiritur nobis ex omnibus causis, sicut per eos qui in potestate nostra sunt; an autem possessio adquiratur, quaeri solet, quia ipsas non possidemus.

cf. D. 42, 2, 1, 22.

32. Gai. 2, 94. — De illo quaeritur, an per eum servum in quo usumfructum habemus, possidere aliquam rem et usucapere possimus, quia ipsum non possidemus.

33. Gai. 2, 95. — .. de possessione quaeritur, an ⟨per liberam⟩ personam nobis adquiratur.

34. D. 41, 9, 1, 2. Ulpianus libro trigensimo primo ad Sabinum. — Est quaestio volgata an sponsus possit ... rem pro dote usucapere.

Ulpianus addit: 'et Iulianus inquit, si'.

b) De iure honorario.

Mandati.

35. Gai. 3, 156. — .. adeo haec ita sunt ut quaeratur an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam faenerares.

cf. I p. 207 II, 1 p. 574.

Locati conducti.

36. Gai. 3, 143. — .. si alieno arbitrio merces permissa sit, velut quanti Titius aestimaverit, quaeritur, an locatio et conductio contrahatur. qua de causa si fulloni polienda curandave, sarcinatori sarcienda vestimenta dederim, nulla statim mercede constituta, postea tantum daturus quanti inter nos convenerit, quaeritur an locatio et conductio contrahatur.

37. Gai. 3, 144. — Item si rem tibi utendam dederim et invicem aliam rem utendam acceperim, quaeritur an locatio et conductio contrahatur.

38. Gai. 3, 145. — Adeo .. emptio et venditio et locatio conductio familiaritatem aliquam inter se habere videntur, ut in quibusdam causis quaeri soleat, utrum emptio et venditio contrahatur an locatio et conductio. veluti si qua res in perpetuum locata sit, quod evenit in praediis municipum quae ea lege locantur, et quamdiu vectigal praestetur, neque ipsi conductori neque heredi eius praedium auferatur.

39. Gai. 3, 146. — Item [quaeritur], si gladiatores ea lege tibi tradiderim, ut in singulos qui integri exierint, pro sudore denario XX mihi darentur, in eos vero singulos, qui occisi aut debilitati fuerint, denarii mille, quaeritur utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahatur.

40. Gai. 3, 147. — Item quaeritur, si cum aurifice mihi convenerit, ut is ex auro suo certi ponderis certaeque formae anulos mihi faceret, et acceperit verbi gratia denarios CC, utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahatur.

cf. p. 75.

IV. QUAE RECEPTA SUNT, PLACUERUNT, CONSTANT SIMILIAQUE.

Ex Gaio tantum recepi quae 'placuisse' dicuntur, cum alia spuria esse possint.

1. Ad ius publicum.

De constitutione principis.

1. Gai. 1, 5. — Constitutio principis est quod imperator decreto vel edicto vel epistula constituit. nec umquam debitatum est, quin id legis vicem optineat.

De desuetudine.

2. D. 1, 3, 32, 1. Iulianus libro LXXXIV Digestorum. — ... illud receptum est, ut leges non solum suffragio legis latoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.

3. D. 48, 3, 11 pr. Celsus libro trigensimo septimo Digestorum. — Non est dubium, quin, cuiuscumque est provinciae homo, qui ex custodia producitur, cognoscere debeat is, qui ei provinciae praeest, in qua provincia agitur.

2. Ad ius privatum.

a) Ad ius civile.

De testamentis.

4. Gai. 2, 105. — In testibus .. non debet is esse qui in potestate est aut familiae emptoris aut ipsius testatoris, quia ... totum hoc negotium quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur inter familiae emptorem agi et testatorem ... itaque reprobatum est in ea re domesticum testimonium.

5. Gai. 2, 117. — Solemnis .. institutio haec est 'Titius heres esto'. sed et illa iam comprobata videtur 'Titium heredem esse iubeo'. at illa non est comprobata 'Titium heredem esse volo'. sed et illae

a plerisque improbatae sunt 'Titium heredem instituo', item 'heredem facio'.

6. D. 28, 5, 31, 1. Gaius libro septimo decimo ad edictum provinciale. — Hereditarium servum ante aditam hereditatem ... placuit heredem institui posse...

7. Gai. 2, 132. — ⟨Masculini ... sexus perso⟩nas placuit non aliter recte ex⟨heredari, nisi nominatim exheredentur ...⟩

8. Gai. 1, 25. — Hi .. qui dediticiorum numero sunt, nullo modo ex testamento capere possunt, non magis quam quilibet peregrinus, nec ipsi testamentum facere possunt secundum id quod magis placuit.

De legitimis heredibus.

9. Gai. 3, 8. — .. placebat nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in parentis sui locum succedere.

10. Gai. 3, 16. — .. si defuncti nullus frater extet, ⟨sed⟩ sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. sed quaesitum est, si dispari forte numero sint nati, ut ex eo uno unus vel duo, ex altero tres vel quattuor, utrum in stirpes dividenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita. iam dudum tamen placuit, in capita dividendam esse hereditatem.

11. Gai. 3, 14. — Quod ad feminas .. attinet, in hoc iure (sc. quod ad intestatorum hereditates attinet) aliud in ipsarum hereditatibus capiendis placuit, aliud in ceterorum bonis ab his capiendis. nam feminarum hereditates proinde ad nos agnationis iure redeunt atque masculorum; nostrae vero hereditates ad feminas ultra consanguineorum gradum non pertinent.

De legatis.

De legatis per vindicationem.

12. Gai. 2, 196. — Eae .. solae res per vindicationem legantur recte, quae ex iure Quiritium ipsius

testatoris sunt. sed eas quidem res quae pondere numero mensura constant, placuit sufficere, si mortis tempore sint ex iure Quiritium testatoris, veluti vinum oleum frumentum pecuniam numeratam. ceteras vero res placuit utroque tempore testatoris ex iure Quiritium esse debere, id est et quo faceret testamentum et quo moreretur; alioquin inutile est legatum.

13. Gai. 2, 199. — Illud constat, si duobus pluribusve per vindicationem eadem res legata sit, sive coniunctim sive disiunctim, et omnes veniant ad legatum, partes ad singulos pertinere et deficientis portionem collegatario adcrescere.

De legato per damnationem relicto.

14. Gai. 2, 245. — .. constat ab eo qui in potestate <tua> est, herede instituto recte tibi legari; sed si tu per eum heres extiteris, evanescere legatum, quia ipse tibi legatum debere non possis; si vero filius emancipatus aut servus manumissus erit vel in alium translatus, et ipse heres extiterit aut alium fecerit, deberi legatum.

15. D. 33, 4, 15. Gaius libro secundo de legatis ad edictum praetoris. — Licet placeat pigneratas res vel in publicum obligatas heredem, qui dare iussus est, liberare debere, tamen ...

De legato quod sinendi modo relinquitur.

16? Gai. 2, 280. — ... scio .. Iuliano placuisse, in eo legato, quod sinendi modo relinquitur, idem iuris esse quod in fideicommissis; quam sententiam et his temporibus magis optinere video.

De legato condicionali.

17. D. 35, 1, 63 pr. Gaius libro tertio ad legem Iuliam et Papiam. — Cum ita legatum sit 'si Titio

non nubserit' vel ita 'si neque Titio neque Seio neque Maevio nupserit' et denique si plures personae comprehensae fueriut, magis placuit, cuilibet eorum si nubserit, amissuram legatum, nec videri tali condicione viduitate iniunctam, cum alii cuilibet satis commode possit nubere.

18. D. 35, 1, 24. Idem (sc. Iulianus) libro quinquagesimo quinto Digestorum. — Iure civili receptum est, quotiens per eum, cuius interest condicionem ⟨non⟩ impleri, fit, quo minus impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta condicio fuisset.

De caducis.

19? D. 31, 55 pr. Gaius libro duodecimo ad legem Iuliam et Papiam. — Si Titio et mihi eadem res legata fuerit et is die cedente legati decesserit me herede relicto et vel ex mea propria causa vel ex hereditaria legatum repudiavero, magis placere video partem defecisse.

20? D. 31, 55, 1. Gaius libro duodecimo ad legem Iuliam et Papiam. — Si eo herede instituto, qui vel nihil vel non totum capere potest, servo hereditario legatum fuerit, tractantibus nobis de capacitate videndum est, utrum heredis an defuncti persona an neutrius spectari debeat. et post multas varietates placet, ut quia nullus est dominus, in cuius persona de capacitate quaeri possit, sine ullo impedimento adquiratur legatum hereditati atque ob id omnimodo ad eum pertineat, quicumque postea heres extiterit.

Ad legem Falcidiam.

21. D. 35, 2, 76, 1. — Gaius libro tertio de legatis ad edictum praetoris. — ... placuit legata, quae legatarii non capiunt, cum apud heredes subsederint, hereditario iure apud eos remanere intellegi *et ideo* quadranti imputanda.

De usufructu legato.

22. D. 7, 1, 3, 2. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum vel Aureorum. — Ne .. in universum inutiles essent proprietates semper abscedente usufructu, placuit certis modi extingui usumfructum et ad proprietatem reverti.

23. D. 7, 1, 56. Gaius libro septimo decimo ad edictum provinciale. — An usus fructus nomine actio municipibus dari debeat, quaesitum est ... placuit dandam esse actionem. unde sequens dubitatio est, quousque tuendi essent in eo usu fructu municipes; et placuit centum annos tuendos esse municipes ...

De servo legato.

24. D. 30, 69, 5. — Idem (sc. Gaius) libro secundo de legatis ad edictum praetoris. — Si res quae legata est an in rerum natura sit dubitetur, forte si dubium sit, an homo legatus vivat, placuit agi quidem ex testamento posse, sed officio iudicis contineri, ut cautio interponeretur, qua heres caveret eam rem persecuturum et, si nactus sit, legatario restituturum.

De liberatione legata.

25? D. 34, 3, 3 pr. Ulpianus libro vicensimo tertio ad Sabinum. — Liberationem debitori posse legari iam certum est.

De fideicommissis.

26. Gai. 2, 288. — .. poenae nomine iam non dubitatur nec per fideicommissum .. relinqui posse.

De libertate relicta.

27. D. 40, 4, 16. — Idem (sc. Iulianus) libro trigensimo sexto Digestorum. — Si ita scriptum fuerit: 'cum Titius annorum triginta erit, Stichus liber esto ...' et Titius, antequam ad annum trigensimum

37*

perveniret, decesserit, Sticho libertas competet ... nam favore libertatis receptum est, ut mortuo Titio tempus superesse videretur, quo impleto libertas contingeret.

De statu libero.

28. Gai. 2, 200. — ... exemplo statu liberi, id est eius servi qui testamento sub aliqua condicione liber esse iussus est; quem constat interea heredis servum esse.

De libertorum bonis.

29. Gai. 3, 69. — ... illud .. constare videtur, si solos liberos ex disparibus partibus patronus ⟨heredes instituerit, ex isdem partibus bona Latini, si patri heredes exis⟩tant, ad eos pertinere ...

De patria potestate.

30. Gai. 1, 89. — .. placuit, si ancilla ex cive Romano conceperit, deinde manumissa pepererit, qui nascitur liberum nasci.

31. Gai. 1, 101. — .. per populum feminae non adoptantur, nam id magis placuit.

De manu.

32. Gai. 1, 115[b]. — ... si omnino qualibet ex causa uxor in manu viri sit, placuit eam filiae iura nancisci.

De emptione venditione et locatione conductione.

33. Gai. 3, 146. — ... iam .. non dubitatur quin sub condicione res veniri aut locari possint.

34. D. 19, 2, 2, 1. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum. — Adeo ... familiaritatem aliquam habere videntur emptio et venditio, item locatio et conductio, ut in quibusdam quaeri soleat utrum emptio et venditio sit an locatio et conductio, ut ecce si cum aurifice mihi convenerit, ut is ex auro suo anulos mihi faceret certi ponderis certaeque formae et acceperit

verbi gratia trecenta, utrum emptio et venditio sit an locatio et conductio? sed placet unum esse negotium et magis emptionen et venditionem esse.

35. Gai. 3, 145. — .. si qua res in perpetuum locata est, quod evenit in praediis municipum, ... magis placuit locationem conductionenque esse.

36. Gai. 3, 146. — .. si gladiatores ea lege tibi tradiderim, ut in singulos qui integri exierint, pro sudore denarii XX mihi darentur, in eos vero singulos qui occisi aut debilitati fuerint, denarii mille, quaeritur, utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahatur. et magis placuit eorum qui integri exierint locationem et conductionen contractam videri, at eorum qui occisi aut debilitati sunt, emptionem et venditionem esse.

De communione.

37. D. 10, 3, 2, 1. Gaius libro septimo ad edictum provinciale. — In tribus duplicibus iudiciis familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum quaeritur, quis actor intellegatur, quia par causa omnium videtur. sed magis placuit eum videri actorem, qui ad iudicium provocasset.

cf. D. 5, 1, 13.

De iure dotium.

38. D. 24, 2, 2, 2. Gaius libro undecimo ad edictum provinciale. — In sponsalibus .. discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua re haec verba probata sunt: condicione tua non utor.

39. Gai. 1, 146sq. — Nepotibus .. neptibusque ita demum possumus testamento tutores dare, si post mortem nostram in patris sui potestatem [iure] recasuri non sint ... cum tamen in compluribus aliis causis postumi pro iam natis habeantur, et in hac causa placuit non minus postumis quam iam natis testamento tutores dari posse, si modo in ea causa

sint, ut si vivis nobis nascantur, in potestate nostra fiant.

De furtis.

40. Gai. 2, 51. — ... <cum> inprobata sit eorum sententia, qui putaverint furtivum fundum fieri posse.

41. Gai. 3, 184? — Manifestum furtum quidam id esse dixerunt, quod dum fit deprehenditur. alii vero ulterius, quod eo loco deprehenditur ubi fit ... illorum sententia qui existimaverunt, donec perferret eo quo fur destinasset, deprehensum furtum manifestum esse, ideo non videtur probari, quia magnam recipit dubitationem, utrum unius diei an etiam plurium dierum spatio id terminandum sit ... ex duabus itaque superioribus opinionibus alterutra adprobatur, magis tamen plerique posteriorem probant.

42. Gai. 3, 200. — .. placuit eum qui servum suum quem alius bona fide possidebat, ad se reversum celaverit, furtum committere.

43. Gai. 3, 197. — Placuit .. eos qui rebus commodatis aliter uterentur quam utendas accepissent, ita furtum committere, si intellegant id se invito domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum; *at* si permissurum credant, extra furti crimen videri.

44. Gai. 3, 204. — .. constat creditorem de pignore subrepto furti agere posse, adeo quidem, ut quamvis ipse dominus, id est ipse debitor, eam rem subripuerit, nihilo minus creditori competat actio furti.

De lege Aquilia.

45. Gai. 3, 219. — .. placuit ita demum ex ista lege (sc. Aquilia) actionem esse, si quis corpore suo damnum dederit.

De verborum obligatione.

46. D. 45, 3, 28, 2. Gaius libro tertio de verborum obligationibus. — ... cum placeat dominum servo dari stipulari posse.

47. D. ibid. 28, 1. — Si servus communis ex re unius stipulatus erit, magis placuit utrique adquiri, sed eum, cuius ex re facta est stipulatio, cum socio communi dividundo aut societatis iudicio de parte reciperanda recte acturum; idemque esse dicendum et si ex operis suis alteri ex dominis servus adquirit.

48. Gai. 3, 114. — .. servus adstipulando nihil agit, quamvis ex ceteris omnibus causis stipulatione domino adquirat. idem de eo qui in mancipio est, magis placuit; nam et is servi loco est.

49. Gai. 3, 158. — ... generaliter placuit ab heredis persona obligationem incipere non posse.

De rei vindicatione.

50. D. 6, 1, 56. Idem (sc. Iulianus) libro quinquagensimo octavo Digestorum. — Vindicatio non ut gregis, ita et peculii recepta est.

51. Gai. 2, 11. — Quae publicae sunt, nullius videntur in bonis esse: ipsius enim universitatis esse creduntur.

De adquirendo rerum dominio.

52. Gai. 2, 91. — De his .. servis in quibus tantum usumfructum habemus, ita placuit, ut quidquid ex re nostra vel ex operis suis adquirant, id nobis adquiratur; quod vero extra eas causas, id ad dominum proprietatis pertineat.

53. Gai. 2, 92. — Idem placet de eo qui a nobis bona fide possidetur, sive liber sit sive alienus servus. quod enim placuit de usufructuario, idem probatur etiam de bonae fidei possessore.

54. Gai. 3, 166. — .. qui nudum ius Quiritium in servo habet, licet dominus sit, minus tamen iuris in ea re habere intellegitur quam usufructuarius et bonae fidei possessor. nam placet ex nulla causa ei adquiri posse.

55. Gai. 2, 77. — ... probatum est, quod in chartulis sive membranis meis aliquis scripserit licet aureis litteris, meum esse, quia litterae chartulis sive membranis cedunt.

56[a]. D. 41, 1, 9, 2. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum. — .. non uti litterae chartis membranisve cedunt, ita solent picturae tabulis cedere, sed ex diverso placuit tabulas picturae cedere.

56[b]. Gai. 2, 78. — .. si in tabula mea aliquis pinxerit veluti imaginem, ... magis .. dicitur tabulam picturae cedere.

Ad 'dicitur' cf. quae infra V collecta sunt.

De usucapione.

57. Gai. 3, 201. — ... interdum alienas res occupare et usucapere concessum est, nec creditur furtum fieri, veluti res hereditarias quarum heres non est nactus possessionem, nisi necessarius heres extet; nam necessario herede extante placuit nihil pro herede usucapi posse.

2. De iure honorario.

De negotiis gestis.

58. D. 44, 7, 5 pr. Idem (sc. Gaius) libro tertio Aureorum. — Si quis absentis negotia gesserit, ... si .. sine mandatu, placuit ... eos invicem obligari eoque nomine proditae sunt actiones, quas appellamus negotiorum gestorum.

De in integrum restitutionibus.

59. D. 3, 3, 46, 3. Gaius libro tertio ad edictum provinciale. — .. quaeritur, si iudicium acceperit defensor et actor in integrum restitutus sit, an cogendus sit restitutorium iudicium accipere. et magis placet cogendum.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur.

60? D. 9, 1, 3. Gaius libro octavo decimo ad edictum. — Ex hac lege iam non dubitatur etiam liberarum personarum nomine agi posse.

De compensationibus.

61. Gai. 4, 63. — Liberum est .. iudici nullam omnino invicem compensationis rationem habere (sc. in bonae fidei iudiciis); nec enim aperte formulae verbis praecipitur, sed quia id bonae fidei iudicio conveniens videtur, ideo officio iudicis contineri creditur.

De peculio.

62. Gai. 4, 74. — .. dubium non est, quin et is qui iussu patris dominive contraxit cuique exercitoria vel institoria formula conpetit, de peculio aut de in rem verso agere possit.

Depositi.

63. D. 44, 7, 1, 5. Gaius libro secundo Aureorum. — ... neglegentiae .. nomine ideo non tenetur (sc. qui rem custodiendam accepit), quia qui neglegenti animo rem custodiendam committit, de se queri debet. magnam tamen neglegentiam placuit in doli crimen cadere.

Mandati.

64. Gai. 3, 157. — Illud constat, si quis de ea re mandet quae contra bonos mores est, non contrahi obligationem.

De exceptionibus.

65. Gai. 4, 116. — Saepe .. accidit, ut quis iure civili teneatur, sed iniquum sit eum iudicio condemnari. veluti <si> stipulatus sim a te pecuniam tamquam credendi causa numeraturus nec numeraverim; nam eam pecuniam a te peti posse certum est: dare enim te oportet, cum ex stipulatu teneris.

sed quia iniquum est te eo nomine condemnari, placet per exceptionem doli mali te defendi debere. item si pactus fuero tecum, ne id quod mihi debeas, a te petam, nihilo minus a te petere possum dari mihi oportere, quia obligatio pacto convento non tollitur. sed placet debere me petentem per exceptionem pacti conventi repelli.

V. QUOD 'DICITUR' VEL 'VULGO DICITUR' SIMILIAQUE.

Huius generis vel ea proponere idoneum est, quae ab Ulpiano Pauloque traduntur.

1. Quod 'dicitur'.

a. Ad ius civile.

De testamentis.

1. D. 28, 2, 12pr. Ulpianus libro primo ad Sabinum. — .. dicitur filium natum rumpere testamentum.

De adquirenda hereditate.

2. D. 29, 2, 30, 1. Ulpianus libro octavo ad Sabinum. — .. dicitur: proximus a filio postumo heres, dum mulier praegnas est aut putatur esse, adire hereditatem non potest; sed si scit non esse praegnatem, potest.

De societate.

3. Gai. 3, 153. — Dicitur etiam capitis deminutione solvi societatem, quia civili ratione capitis deminutio morti coaequatur.

De iure dotium.

4. D. 25, 1, 15. Neratius libro secundo Membranarum. — .. dicitur impensas, quae in res dotales necessario factae sunt, dotem minuere.

5[a]. D. 23, 3, 56, 3. Idem (sc. Paulus) libro sexto ad Plautium. — .. dicitur necessarias impensas ipso iure dotem minuere.

5[b]. D. 25, 1, 5 pr. Ulpianus libro trigesimo sexto ad Sabinum. — .. dicitur necessarias impensas dotem minuere.

Plena Ulpiani verba sunt: 'Quod dicitur ... minuere, sic erit accipiendum, ut et Pomponius ait', ita ut iam Pomponio dictum illud notum fuisse appareat.

6. D. 24, 1, 11, 1. Ulpianus libro trigesimo secundo ad Sabinum. — .. dicitur mortis causa donationem inter virum et uxorem valere.

De tutelis.

7. D. 26, 8, 7 pr. Ulpianus libro quadragesimo ad Sabinum. — .. dicimus in rem suam auctoritatem accommodare tutorem non posse.

8. D. 26, 1, 4 pr. Paulus libro octavo ad Sabinum. — .. dicitur, si indistincte datus sit *tutor*[1], in totam litem datum videri.

9. D. 27, 3, 9, 4. Ulpianus libro vicensimo (*potius* trigesimo) quinto ad edictum. — ... traditum est pupillum cum tutore suo agere tutelae non posse.

De furtis.

10. Gai. 3, 198. — .. si credat aliquis invito domino se rem contrectare, domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri.

De lege Aquilia.

11. D. 9, 2, 49, 1. Ulpianus libro nono Disputationum. — . . dicitur damnum iniuria datum Aquilia persequi.

De noxalibus actionibus.

12[a]. D. 47, 2, 18. Paulus libro nono ad Sabinum. — .. dicitur noxam caput sequi.

1 *Trib.* curator.

12[b]. D. 47, 2, 41, 2. Ulpianus libro septuagensimo primo ad Sabinum. — ... dicitur: noxa caput sequitur.

De scto Macedoniano.

13. D. 14, 6, 7, 13. Ulpianus libro vicesimo nono ad edictum. — .. dicitur in eo, qui studiorum causa absens mutuum acceperat, cessare senatus consultum.

De litterarum obligatione.

14. Gai. 3, 132. — .. ⟨non⟩ proprie dicitur arcariis nominibus etiam peregrinos obligari, quia non ipso nomine, sed numeratione pecuniae obligantur.

De verborum obligatione

15. Gai. 3, 94. — .. dicitur uno casu hoc verbo (sc. spondesne?) peregrinum quoque obligari posse, veluti si imperator noster principem alicuius peregrini populi de pace ita interroget 'pacem futurum spondes?' vel ipse eodem modo interrogetur.

16. D. 21, 2, 32 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragesimo sexto ad Sabinum. — .. dicitur, quotiens plures res in stipulationem deducuntur, plures esse stipulationes.

De iudiciis privatis.

17. Gai, 4, 58. — .. dicitur falsa demonstratione rem non perimi.

De appellationibus.

18. D. 49, 3, 1. Ulpianus libro primo de appellationibus. — .. dicitur eum appellari, qui dedit iudicem.

De usucapione.

19. D. 8, 2, 7. Pomponius libro vicensimo sexto ad Quintum Mucium. — . . . aedificio meo me posse consequi, ut libertatem usucaperem, dicitur.

b. Ad ius praetorium.

De peculio.

20. D. 15, 1, 51. Scaevola libro secundo Quaeionum. — ... dicitur, si cum uno ex sociis agatur :. de peculio), universum peculium computandum, quia ; cum socio actio.

De bonorum separatione.

21. D. 42, 6, 1, 13. Ulpianus libro sexagensimo ıarto ad edictum. — .. dicitur post multum temporis parationem impetrari non posse.

De duplae stipulatione.

22. D. 21, 2, 16, 1. Pomponius libro nono ad ıbinum. — Duplae stipulatio committi dicitur tunc, m res restituta est petitori, vel damnatus est litis stimatione, vel possessor ab emptore conventus ablutus est.

De exceptionibus.

23. D. 44, 4, 4, 27. Ulpianus libro septuagensimo xto ad edictum. — ... traditur rei quidem cohaentem exceptionem etiam emptori nocere, eam autem, ıae ex delicto personae oriatur, nocere non oportere.

2. Quod 'vulgo dicitur' similiaque.

1. Ad ius civile.

De testamentis.

1. D. 28, 2, 14, 1. Africanus libro quarto ıaestionum. — .. vulgo dicitur eum gradum, a quo ius praeteritus sit, non valere.

De legatis.

2. D. 35, 2, 11, 5. Item (sc. Papinianus) libro cesimo nono Quaestionum. — .. vulgo dicitur in bulis patris et filii unam Falcidiam servari.

3. D. ibid. § 7. — ... quale est, quod vulgo diceretur, legatorum rationem separandam.

De libertate relicta.

4. D. 40, 4, 45. Item (sc. Modestinus) libro < > Pandectarum. — .. volgo dicitur sub pluribus condicionibus data libertate levissimam condicionem spectandam esse.

De liberali iudicio.

5. D. 40, 12, 25, 2. Gaius ad edictum praetoris urbani. — Licet vulgo dicatur post ordinatum liberale iudicium hominem, cuius de statu controversia est, liberi loco esse, tamen et q. s.

De emptione venditione.

6. Gai. 3, 141. — ... vulgo putant per permutationem rerum emptionem et venditionem contrahi, eamque speciem emptionis venditionisque vetustissimam esse.

cf. I. 3, 23, 2. '... illud .. quod vulgo dicebatur per permutationem' et reliqua ut supra.

De iure dotium.

7. D. 23, 3, 68. Papinianus libro decimo Quaestionum. — .. vulgatum est dotis promissionem in primis dumtaxat nuptiis destinari neque durare obligationem, si post alterius matrimonium ei nubat cui dotem promiserat.

De tutelis.

8. Gai. 1, 190. — Feminas .. perfectae aetatis in tutela esse ... ratio suasisse videtur. vulgo creditur, quia levitate animi plerumque decipiuntur et aequum erat eas tutorum auctoritate regi.

9. D. 26, 9, 3. Papinianus libro vicensimo Quaestionum. — ... vulgo dicitur tutoris dolum pupillo non nocere.

De lege Aquilia.

10. D. 9, 2, 51 pr. Iulianus libro octogensimo sexto Digestorum. — ... occidisse dicito vulgo .., qui mortis causam quolibet modo praebuit.

11. D. 9, 2, 8 pr. Gaius libro septimo ad edictum provinciale. — Mulionem .., si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit, si eae alienum hominem obtriverint, vulgo dicitur culpae nomine teneri. idem dicitur, et si propter infirmitatem sustinere mularum impetum non potuerit.

De condictione.

12. D. 14, 6, 4. Scaevola libro secundo Quaestionum. — ... vulgo dicitur filio familias credi non licere.

De verborum obligatione.

13. D. 7, 1, 25, 6. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum. — .. in duobus bonae fidei possessoribus hoc .. apud Scaevolum agitatum ... et ait volgo creditum rationemque hoc facere, ut si ex re alterius stipuletur (sc. servus), partem ei dumtaxat quaeri, partem domino.

cf. D. 41, 1, 23, 3.

14. D. 46, 1, 70, 5. Gaius libro primo de Verborum Obligationibus. — .. volgo dictum est maleficiorum fideiussorem accipi non posse.

15. D. 46, 3, 95, 3. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo octavo Quaestionum. — .. volgo iactatur fideiussorem qui debitori heres extitit, ex causa fideiussionis liberari.

De iudiciis privatis.

16. Gai. 4, 104. — ... vulgo dicitur, e lege Iulia litem anno et sex mensibus mori.

17. Gai. 4, 114. — ... vulgo dicitur, Sabino et Cassio placere omnia iudicia absolutoria esse.

De adquirendo rerum dominio.

18. Gai. 2, 95. — ... vulgo dicitur per extraneam personam nobis adquiri non posse.
19. Gai. 2, 70. — ... vulgo dicitur per adluvionem id adici videri quod ita paulatim adicitur, ut oculos nostros fallat.

De possessione et usucapione.

20. D. 43, 16, 1, 25. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum. — .. volgo dicitur aestivorum hibernorumque saltuum nos possessiones animo retinere.
21. Gai. 4, 153. — ... vulgo dicitur retineri possessionem posse per quemlibet, qui nostro nomine sit in possessione.
22. Gai. 2, 49. — ... vulgo dicitur furtivarum rerum et vi possessarum usucapionem per legem XII tabularum prohibitam esse.
23. D. 41, 4, 11. Africanus libro septimo Quaestionum. — .. volgo traditum est eum, qui existimat se quid emisse nec emerit, non posse pro emptore usucapere.
24. Gai, 2, 61. — ... vulgo dicitur ex praediatura possessionem usu recipi.

De donationibus.

25. D. 39, 6, 35, 2. Paulus libro sexto ad legem Iuliam et Papiam. — .. mortis causa donatio longe differt ab illa vera et absoluta donatione ... et hoc est quare vulgo dicatur: se potius habere vult, quam eum cui donat, illum deinde potius quam heredem suum.

De servitutibus.

26. D. 8, 1, 11. Modestinus libro sexto Differentiarum. — Pro parte dominii servitutem adquiri non posse volgo traditur.

27. D. 8, 6, 3. Gaius libro septimo ad edictum ·ovinciale. — Iura praediorum morte et capitis demiıtione non perire vulgo traditum est.

2. Ad edictum praetoris.

De cognitoribus et procuratoribus.

28? D. 12, 3, 7. Ulpianus libro octavo ad edicm. — Vulgo praesumitur alium in litem non debere rare quam dominum litis.

29. D. 3, 3, 12. Gaius libro tertio ad edictum ·ovinciale. — ... dicitur aliquando cogendum *cognirem*[1] iudicium accipere, veluti si dominus praesens)n sit et actor adfirmat tractu temporis futurum ut s pereat.

30. D. 17, 1, 8, 3. Ulpianus libro trigensimo imo ad edictum. — .. quamquam .. vulgo dicatur ocuratorem ante litem contestatam facere procurarem non posse.

De defendendo eo cuius nomine quis agit.

31. D. 26, 7, 23. Ulpianus libro nono ad edicm. — Vulgo observatur ne tutor caveat ratam rem ıpillum habiturum, quia rem in iudicium deducit.

De bonorum possessione contra tabulas.

32. D. 37, 4, 19. — .. Tryphoninus libro quinto cimo Disputationum .. — .. volgo dicitur liberis .tam bonorum possessionem contra lignum esse.

[1] *Trib.* procuratorem.



CORRIGENDA ET ADDENDA.

Coniunctiva verba ab iis qui priorum sententias adferunt adhibita non semper, id quod fieri debuit, deleta sunt, item verba probantia vel improbantia vel eorum qui quasque sententias priorum referunt.

Saepius in Digestorum fragmentis afferendis nota 'pr.' omissa est.

Denique non nunquam factum est, ut in designandis librorum paginis pro p. scriberetur s.

In iis quae sequuntur in computandis lineis inscriptiones quoque omnes numeravi.

I.

In priore operis parte praeter ea quae p. VI designavi, haec emendanda vel addenda sunt:

p. 5 l. 32: offerebat.

p. 12 l. 20: cos. 549/205.

p. 13 l. 4: cos. 559/195.

p. 17 ad responsum de monstro cf. Cic. de divinat. II 26, 62.

p. 23 l. 6: D. 18, 2, 11 § 1.

— l. 7: vicensimo.

— l. 15: *usu* cepit.

— l. 24: Gell. 17, 7, 1. 3.

p. 26 l. 18: utrumne.

— l. 32: libram et aes.

p. 27 l. 27: steterit, quo minus.

p. 32 l. 28: Licinnia.

— l. 31: Licinniae.

p. 34 l. 9: paterfamilias.

p. 40 l. 10: recensionem.

p. 45 ad l. 13 'nescimus' addendum est: Krueger p. 57 scribit: 'dass er juristische Schriften hinterlassen, ist bezeugt'. Suet. Aug. 89. at Suetonius Rutili orationem litteris mandatam de modo aedificiorum laudat.

p. 46 l. 5: Antipatri.

p. 48 l. 13: 667/87.

p. 50 l. 7. fortasse.
p. 51 l. 8: quas.
— l. 22: ostendentem.
p. 52 l. 9: libris, quos.
p. 55 l. 13: Atque.
p. 58 l. 8: 2, 19, 48. 49.
— l. 25: liberis potius gignundis.
p. 67 l. 24: persecutus.
— l. 32: D. 19, 1, 40.
p. 74 l. 8: circum eum.
p. 76 l. 11: legata.
p. 77 l. 11: contineri.
— l. 19: P. 2915.
p. 78 l. 7: deprehendentur.
p. 80 l. 32: Gell. 5, 19, 5. 6.
p. 81 l. 2: maximo.
— l. 10: usurpatum.
p. 83 l. 20: 2, 21, 52. 53.
p. 87 l. 7: ibi sunto.
p. 88 l. 19: deiceret.
— l. 21: casus eius.
— l. 25: cum.
— l. paenult.: *abi*gendo.
p. 89 l. 2: libro octavo decimo.
— l. 20: dicta futurus *fuisset*.
— l. 21: quae vicit.
— l. 29: v. supra p. 67.
p. 90 l. 22: suspicemur.
p. 91 l. 2: Gai. 2, 54. 55.
p. 92 l. 17: huius partem.
p. 93 l. 20: Si quis.
— l. paenult.: *F*. cum.
p. 94 fr. 9 delendum. cf. Mommsen Röm. Strafrecht p. 854 .. 5.
p. 95 ad fr. 2* cf. quae p. 222 ad fr. 86 adnotavi.
p. 96 post fr. 3 addendum videtur D. 13, 2, 65, 8. Paul. XXXI ad ed.: 'Item scriptum est posse procuratori quoque ıeo socium meum renuntiare'.
p. 97 l. 28 sq. scribendum: constituerat. Servius demum uatuor.
p. 100 l. 13: commodata re vel.
p. 101 l. 13: hanc actionem (sc. aquae pluviae arcendae).
p. 101 l. 23: quod tu ⟨fecisti⟩.
— fr. 2 transferendum ad p. 104 post fr. 6.
p. 104 l. 30: habiturumve.
— l. 35: D. 50, 17, 73, 4.

p. 105 l. 19 sq.: Nex⟨i mancipique⟩ forti sanati⟨sque idem ius esto⟩, id est bonor⟨um et qui defecerant sociorum. sunt,⟩ qui et inf⟨eriores dici putant colonias,⟩ quae sunt ⟨deductae in pris⟩cos Latinos. ⟨quas Tarquinius rex in-⟩ egerit secundum ⟨mare . . in⟩fra Romam in c⟨ivitates Latinorum⟩, eosque sanati⟨s, quod Priscus⟩ praeter opinio⟨nem eos debellavis⟩set sanavisse⟨tque ac cum iis pa⟩cisci potuisset, no⟨minatos esse, ut ait⟩ Cincius —; ne Valerius. ⟨quidem Messalla⟩ in XII explanati⟨one rem expedivit; hic ta⟩men — for⟨ctos sanatisque⟩ duas gentis finitima⟨s fuisse censet, de quibus le⟩gem hanc scrip⟨tam esse, qua cautu⟩m, ut is ius man⟨. . . quod populu⟩s R(omanus), haberent. cf. Bruns-Mommsen fontes II p. 36 sq.

p. 107 l. 15 sqq.: 'Sexagenarios ⟨de ponte' proverbium est,⟩ cuius causam Mani⟨lius hanc refert, quod Romam⟩, qui incoluerint ⟨primi — h⟩ominem LX ⟨annorum — immolar⟩e Diti . . . religion⟨is observatione postea sc⟩irpeas . . . ⟨instituisse⟩.

p. 108 l. 13: delendum est 'pr.'.
— l. 15: [id] quod.
p. 109 l. 12: 178.
p. 112 l. 4: Corcinae, ut conicere licet.
p. 118 l. 31: **Fructum** pro.
p. 119 l. 18 **Rufinus**.
p. 125 l. 5: epistolicarum.
— l. 13 quoties**que**.
— l. 20: constituendae.

p. 129 post fr. 2 inserendum D. 48, 4, 8 Papinianus l. XIII Resp. — In quaestionibus laesae maiestatis etiam mulieres audiuntur. coniurationem denique Sergii Catilinae Iulia mulier detexit et Marcum Tullium consulem indicium eius instruxit.

p. 129 l. 21: scripta an . . . dicta sint.
p. 132 l. 5: 289, 2.
p. 134 l. 6: **2**, 74.
p. 135 l. 8: Fest. 239.
p. 138 l. 25 sq.: Iovi feretrio darier oporteat bovem.
— l. 32: Paul. 6.
p. 141 l. 29: et quod **ad**.
p. 144 l. 26: nolint.
p. 146 l. 13: piratae
p. 148 l. 9: Murena.
p. 150 l. 17: eam.
p. 161 l. 1 intra: adiciendum VII (P. 27).
p. 167 l. 19: semuncia ⟨accrescat⟩.
— l. 24: Titius.
p. 169 ad fr. 8 addendum Cic. Top. c. 4: si ea mulier

stamentum fecit, quae se capite nunquam deminuit, non idetur ex edicto praetoris secundum tabulas possessio dari.

p. 173 l. 5 et 6: Seianum.
— l. 28: Pegasus.
— l. 33: pistorem.
p. 175 l. 3: D. 33, 7, 16pr.
— l. 26: lego, perinde.
p. 176 l. 16: habeto.
p. 180 l. 20: l. c.
p. 182 l. 4: eum.
p. 183 l. 31: cf. C. 6, 40, 3, 2; cum huius modi verbis ulieribus aliquid relinquatur: si vidua erit . . . quotiens vidua rit . . .
p. 184 l. 18: 2, 244.
p. 186 l. 3: D. 32. 29, 1.
p. 188 l. 16: quadrima *die*.
p. 189 l. 24sq.: quo ⟨lege . .⟩. . . et *tutor*.
p. 192 l. 11: de furto *sententia dicta*.
— l. 13: secundum petitorem *sententia dicta*.
p. 198 l. 21sq.: cf. p. 312 ad fr. 65.
p. 199 l. 32: D. 19, 1, 26.
p. 200 l. 31: titulus [scriptorum].
— l. 34: quod . . . quodve.
p. 202 l. 24: venient.
p. 203 l. 28: pascuo.
p. 207 l. 29: legendum: Pergament . . . p.
p. 209 in fr. 135 signa ( ) delenda sunt.
p. 210 l. 12: locarat.
p. 213 l. 27: [atque . . . uteretur].
— l. 33: numerarentur.
— l. ult.: sequuntur 'eam.
p. 216 fr. 149, quod 'de *noxalibus* iudiciis' est, in p. 210 ost fr. 137 proponi debebat.
p. 218 l. 22: apud *Iulianum*.
p. 220 l. 27: in promptu est.
p. 221 l. 10: quod esset eius.
— l. 18: D. 32, 29, 1.
p. 223 post fr. 9 inserendum est: Grenfell and Hunt: reek Papyri . Series XX C. VII p. 156. — qui on⟨era sustinet; uod si iam di⟩ssolu⟨to matrimonio societas distrahatur⟩, iisem diebus prae⟨cipi debet qui⟩bus et solos debet ⟨et ita⟩ ervius(?) et Labeo scribunt. Cf. Paul. Krueger Z. d. Sav. t. XVIII 225.
p. 227 l. 5: ducturum.
p. 229 l. 16: libero.
p. 230 l. 2: D. 9, 1, 1, 4.

p. 230 l. 4: haec actio (sc. de pauperie).
— l. 20: duplicato *biennio*.
p. 236 l. 14: aliud quid.
— l. 28: prodesse.
p. 240 l. 9: bello ⟨captis eodem bello⟩.
— l. ult.: ser. filius.
p. 241 fr. 5: delendum est. v. p. 223 fr. 9.
p. 246 sqq. fortasse ea quoque recipienda erant, quae Fest. p. 247 monimentum, p. 182 orba, p. 278 relegati, p. 314 statuliber, p. 355 tumulus tradit. Reitzenstein p. 82 sqq.
p. 248 l. 5 infra: Fest. 278.
p. 250 l. 3: 318; fr. 16 Aelio Stiloni attribuendum censet Reitzenstein p. 89.
p. 251 l. 9: pro 'sobrinum' sobrina.
p. 251 fr. 22: exarescit, ⟨contra amnis significat fluvium perennem⟩. Reitzenstein p. 83.
p. 251 l. 32: vacuum.
p. 254 l. 6: addixerant.
— l. 23: ⟨in⟩dico.
— l. 27: dilectus.
— l. 31: ⟨neque⟩.
p. 255 l. 2: hastile, ligna, poma, pabulum.
— l. 8: quidquid.
— l. 19: hostesve.
p. 256 l. 6 infra addendum: Hirschfeld (Z. d. Sav.-St. XIX p. 377 n. 1) coni.: exemplo at⟨avorum⟩.
p. 258 l. 31: est; ea enim, quod.
p. 259 l. 22 legendum: Fest. 329^{a}.
p. 260 l. 14: ⟨glebae⟩ illae.
p. 263 l 27: scripsimus: ⟨Auspicia magistratuum sunt aut patriciorum aut plebeiorum⟩. patriciorum et q. s. Mommsen Staatsrecht II, 1^{2} p. 272 n. 1.
p. 264 l. 6: aut maiore.
— l. 28: alii posset.
p. 267 Titii Caesii fr. maioribus litteris proponendum erat.
p. 269 l. 3 sq.: verba 'fortasse C. Atei Capitonis pater' delenda sunt.
p. 269 l. 31: ex posterioribus.
p. 275 l. 9: libros.
p. 280 l. 15: publico.
p. 285 l. 16: possint.
— l. 30 sq.: cessim redisset.
— l. 34: cer*tum esse*.
p. 286 l. 32: *De iudicio centumvirali*.
p. 287 l. ult.: quaesitumque.
p. 296 l. 31: itemque ⟨alii⟩.

p. 297 l. 10: agnis legatis.
— l. paenult.: ipsius sui.
p. 299 l. 10: praesenti ⟨die⟩.
— l. 15: quotienscumque(?).
p. 300 l. 11: lego . perinde.
— l. 15: Alfenus.
— fr. 29 post fr. 35 locandum est.
p. 304 l. 1: Octavi.
— l. 19: D. 23, 4, 19.
— l. 21: *die* dos.
p. 305 l. 6: liberale.
— l. 24 sq.: [hoc . . . sineret].
p. 306 l. 12 vox 'nemini' delenda est.
p. 309 l. 14: non **oportuisse** amplius.
p. 311 l. 20: paries [aeternus].
p. 312 l. 26: aliquo*t*.
— l. paenult: *verba*.
p. 313 l. 18: quo*d*.
— l. 27: ce*n*tum.
p. 314 l. 2 infra: D. 18, 1, 40, 5.
p. 315 ad fr. 76 cf. quae p. 200 ad fr. 107 notavi.
p. 316 ad fr. 79 cf. quae p. 201 ad fr. 111 notavi.
p. 317 l. 5 sq.: ita *locavit*.
— l. 30: locar*a*t.
p. 318 l. 6: lapidi⟨bu⟩s.
p. 319 l. 2: ita ⟨data⟩ facta.
— l. ult.: [nisi.
p. 320 l. 2: ei solvi].
p. 321 l. 4: 141.
p. 323 l. 10: plac*e*r*e*.
— l. 26: 146.
— l. 31: ave*h*ito.
p. 324 l. 3: pr*op*-.
p. 332 l. 11: supra p. 324.
p. 337 l. 5 legendum: 'esse, **quod et Labeo probat,** quoniam'.
p. 337 l. 7: legata.
— l. 8 legendum: D. 33, 10, 10.
p. 341 l. 10: hauriend*a*m.
p. 342 l. 3: venditu*s*.
— l. 5: causa **sisti**.
— l. 9: D. 2, 10, 2.
— l. 20 sqq.: [imputaturum . . . praeposuerit]; . . . creditoris [et hoc . . . accipit], contra esse. *Eisele Z. d. Sav. St. XVIII, 20*
p. 342 l. 32: fecit, si viam publicam corrupit [et reliquit].

p. 343 l. 8: *at.*
— l. 14: uti, . . . et.
— l. 17: prohibeat.
— l. 23: [aeque interdicendum] . . . praetorem [enim]. cf. II, p. 132.
p. 345 l. 21: D. 21, 1, **10pr.**
— post fr. 4 inserenda sunt: 4 bis. D. 49, 15, 27. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis.
v. Trebatius p. 417.
p. 348 l. 25: D. 32, 55, 1.
— l. 28sq.: appellantur ⟨quaeque appellantur⟩.
— l. 30: ad nullam **aliam** rem.
p. 349 l. 4: D. 32, 55, **7**.
— l. 8: D. ibid. § **4**.
p. 352 l. 7: **hunc** autem.
p. 353 l. 26: ad leg**em**.
p. 354 l. 30: libertati*s*.
p. 355 inserenda sunt:
4 bis. D. 40, 7, 39pr. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis.
v. Servius p. 221.
p. 355 l. paenult.: tog*am*.

De furto.

7 bis. D. 47, 2, 21pr. Paulus libro quadragensimo ad Sabinum.
v. Trebatius p. 418sq., ubi 'modicum' legi debet.

8 bis. D. 45, 3, 6. Pomponius libro vicensimo sexto ad Sabinum. — Ofilius . . dicebat, et *fiduciae causa mancipio* accipiendo vel *cum creditore vel cum amico contractae*[1] posse soli ei adquiri (sc. per servum communem), qui iussit.
cf. Sabinus II 1 p. 480 et Cassius II 2 p. 61.

1. *Trib.* et per traditionem acc. vel deponendo commodandoque.

De usucapione.

8 ter. D. 49, 15, 27. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — Latrones tibi servum eripuerant: postea is servus ad Germanos pervenerat. inde in bello victis Germanis servus venierat. negant posse usucapi eum ab emptore Labeo Ofilius Trebatius, quia verum esset eum

subreptum esse, nec quod hostium fuisset aut postliminio **redisset**, ei rei impedimento esse.

p. 356 post. fr. 12 addenda sunt:

12 [bis.] D. 39, 3, 11, 5. Paulus libro quadragensimo **nono ad edictum**. — Si ex privato agro in agrum com**munem aqua immittatur**, Ofilius ait socium cum eo agere **posse**.

De emptione venditione.[1]

12 [ter.] Gai. 3, 140. — Pretium . . certum esse debet . **nam** alioquin si ita inter nos convenerit, ut quanti Titius **rem aestimaverit**, tanti sit empta, Labeo negavit ullam vim **hoc** negotium habere . . . Ofilius et eam emptionem et **venditionem**, cuius opinionem Proculus secutus est.

p. 357 post fr. 14 addendum:

De furtis.

14 [bis.] D. 47, 2, 21pr. Paulus (*potius* Ulpianus) libro **quadragensimo** ad Sabinum. — Volgaris est quaestio, an is **qui ex acervo** frumenti modicum sustulit, totius rei furtum **faciat** an vero eius tantum quod abstulit. Ofilius totius **acervi** furem esse putat.

p. 360 l. 23: legata.
p. 361 l. 6: opinionibus **singulorum**.
— l. 24: non ⟨solum⟩ solus.
p. 363 l. 15: ut is ex locato.
p. 367 l. 15: in Coniectaneis **scriptum**.
— l. 22: senatus.
p. 368 l. 20: § 239, 7.
p. 375 l. 8: missurus es.
p. 381 l. 21: certe.
p. 384 l. 19: 7, **26 pr.**
p. 392 l. 25: Gell. 4, 2, 9. 10.
— l. 26: sterila.
p. 402 l. 25: sterila.
p. 405 l. 14: (Trebatius).
p. 409 l. 26: Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis.
p. 410 ad fr. 16[a] cf. II 1 p. 196.
p. 411 l. 9: Trebatius.
— l. 13: educetur.

p. 412 l. 18: conservandum ⟨tantum⟩
p. 413 l. 11: patrueles ⟨appellent⟩.
— l. 17: Paulus ibid. — Septimo gradu personae continentur mille viginti quattuor hae . . .
— l. 9 sq.: sobrina; is de . . . natus est; ⟨ipsi⟩ hic . . . proximum nomen [ab eo . . . nomen appellare]:
p. 413 l. paenult.: D. 24, 3, 66, 2. Iavolenus libro sexto posteriorum Labeonis.
p. 414 l. 23: venirent.
p. 415 l. 2: ipse ⟨eam⟩.
p. 418 l. 3 infra: modicum.
p. 420 fr. 54: D. **4, 8, 21,** 2. Ulpianus **libro tertio decimo** ad edictum.
p. 421 l. 3: [aeque interdicendum].
— l. 5: [enim].
— l. 24: D. 9, 3, 5, **1**.
p. 422 l. 3 sq.: [si tamen . . . committetur].
— l. 13: fundi mei ⟨faciem⟩.
p. 423 l. 17: titulus [scriptorum].
p. 424 l. 4: dupli.

II 1.

Praeter ea quae p. 582 notavi, haec emendanda vel addenda sunt:

p. III apud Labeonem post '6 . ad praetoris . . . officium' inserendum est: 6ᵃ ad edictum aedilium curulium . . . p. 142.
p. 102 l. 2 infra legendum: 39. **D**. 4, 3, 13, 1.
p. 118: ad fr. 127 cf. II 2 p. 78.
p. 142: in rubrica pro VI scribendum est VIᵃ.
p. 194: fragmenti 65 comma 'artemo . . . est' his signis [ ] includendum est.
p. 196: ad fr. 72ᵃ cf. I p. 410.
p. 204 l. 2 infra pro 'debere' scribendum est oportere.
p. 215 l. 30. 31 legendum: ab eo . . . portorium.
p. 216: fr. 156 verba 'fullonis videlicet sumptibus' his signis [ ] includenda sunt. cf. D. 38, 1, 21.
p. 220: vox 'hac' e linea 6 ad initium lineae 7 transferenda est.
p. 220: in fr. 172 legendum: ⟨vectigalium?⟩.
p. 221 in fr. 2 scribendum: D. 28, 5, 20, **1**.
p. 272 pro 'Liber VII' scribendum Liber VI.
p. 315 l. 30: eius de quo.
p. 353 post fr. 2 inserendum videtur D. 33, 7, 18, 11. cf. p. 582 et II 2 p. . . .
p. 354: in fr. 7 haec signa ( ) delenda sunt.
p. 355 sq.: ad fr. 13 cf. II 2 p. 23.

p. 358: post fr. 22 inserendum est D. 45, 3, 6, fragmentum 57 p. 480 delendum.

p. 375: contra ea quae proposui v. Giovanni Buviera: Arch. giurid. Nuova serie vol. IV (1899) p. 154.

p. 493 in fr. 84[a] pro his signis ( ) haec ⟨ ⟩ scribenda sunt.

p. 552 lin. 6 legendum: de eadem.

p. 580 lin. 6 infra: Trebatius.

— l. 7: existimans,

p. 581 ad fr. 1 cf. II 2 p. 39.

II 2.

p. 9 lin. 3 scribendum: II 1 p. 305.

p. 26 post fr. 16 inserendum D. 45, 3, 6 atque p. 61 fr. 100 delendum.

p. 27 in fr. 2 legendum: Front⟨on⟩ianis.

p. 31 scribendum: v. Turis civills libri.


p. 39 lin. ult. scribendum: II 1 p. 581.

p. 64 lin. 3 infra continget.

INDICES.

Secundae partis sectiones priorem et alteram in indicibus designavi II et III.

I. IURIS CONSULTI.



II. NOMINA.

a nominum quae in fragmentis identidem propositis obveniunt, primum tantum locum designavi.

III. FONTES.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM
TEUBNERIANA.

IURISPRUDENTIAE ANTEHADRIANAE QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

F. P. BREMER

PARS ALTERA
PRIMI POST PRINCIPATUM CONSTITUTUM SAECULI
IURIS CONSULTI
SECTIO ALTERA



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMI

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIAN

	geh. ℳ ₰	geb. ℳ ₰
Aelianus ed. *Hercher*. 2 voll. . .	9.—	10.05
—— varia historia	—.90	1.30
Aeneas ed. *Hug*	1.35	1.75
Aeschines ed. *Franke*	—.90	1.30
—— ed. *Blass*	2.40	2.80
—— Ed. mai. c. Ind. Aeschin.	8.—	8.60
[—] Ind. Aeschin. comp *Preuss* .	6.40	
Aeschyli tragoediae ed. *Weil* . . .	1.50	2.—
Singulae tragoediae	—.30	—.60
[——] Schol. in Pers. ed. *Dähnhardt*	3.60	4.20
Alexander Lycop. ed. *Brinkmann*.	1.—	1.25
Ammianus M. ed. *Gardthausen*. 2 voll.	7.20	8.40
Anacreon ed *Rose*. Ed. II . . .	1.—	1.40
Andocides ed. *Blass*. Ed. II . . .	1.20	1.60
Anna Comnena ed. *Reifferscheid*. 2 vll.	7.50	8.60
Anthimus ed. *Rose*	1.—	1.25
Anthologia Gr. ed. *Stadtmüller*. I	6.—	6.60
—— —— II, 1	8.—	8.60
—— **Lat.** I. 1 ed. *Riese*. Ed. II. .	4.—	4.60
—— —— II ed *Buecheler*. 2 fascc.	9.20	10.35
Antiphon ed. *Blass*	2.10	2.50
Antoninus ed *Stich*	1.80	2.20
Apollodorus ed. *Bekker*	1.—	1.40
Apollonius Perg. ed. *Heiberg*. 2 voll.	9.—	10.—
Apollonius Rhodius ed. *Merkel* . .	1.—	1.40
Appianus ed. *Mendelssohn*. 2 voll.	9.—	10.—
Apulei metamorph. ed. *v. d. Vliet* .	3.—	3.50
—— Apologia Florida ed. *v. d. Vliet*	4.—	4.50
Archimedes ed. *Heiberg*. 3 voll. .	18.—	19.80
Aristeae epist. ed. *Wendland* . . .	4.—	4.50
Aristophanes ed *Bergk*. 2 voll. Ed. II	3.—	4.—
Singulae comoediae	—.45	—.75
Aristoteles, de partibus animal. ed *Langkavel*	1.80	2.20
de arte poetica ed *Christ* . .	—.60	—.90
physica ed *Prantl*	1.50	1.90
ethica Eudemia ed *Susemihl* .	1.80	2.10
Nicomachea ed *Susemihl*	1.80	2.10
de [illegible] ed. *Prantl* . . .	1.20	1.60
de coelo [illegible] ed *Prantl*	—.60	—.90
politica ed *Susemihl*. Ed III	2.40	2.80
magna moralia ed. *Susemihl* .	1.20	1.60
de anima libri III ed *Biehl*	1.20	1.60
ars rhetorica ed *Roemer*. Ed. II	3.60	4.—
metaphysica ed *Christ* . .	2.40	2.80
fragmenta ed *Rose*	4.50	5.—
oeconomica ed *Susemihl* . .	1.50	1.90
[illegible] ed *Apelt* . . .	3.—	3.40
Πολιτ. Ἀθην. ed *Blass*. Ed III	1.80	2.10
parva naturalia ed *Biehl* .	1.80	2.10
Arriani exped. Alex. ed *Abicht*	1.20	1.60
—— scripta minora ed *Eberhard* .	1.80	2.20
Athenaeus ed. *Kaibel*. 3 voll. .	17.10	18.90
Augustini de civ. dei ed *Dombart* Ed. II. 2 voll.	6.—	7.20
—— confess. libri XIII ed *Knöll*	2.70	3.20
Astelaria [illegible]	1.50	2.—
Ausonius ed *Peiper*	[illegible]	7.20
Autolycus ed *Hultsch*	[illegible]	1.—
Avienius Aratea [illegible] . . .	1.—	1.40
Babrius ed. *Crusius*	—.[illegible]	1.—
—— ed *Crusius*. Ed maior .	[illegible]	9.—
—— Ed minor	4.—	4.60
Bacchylidis carmina ed *Blass*. Ed II	2.40	2.90

	geh. ℳ ₰	geb. ℳ
Benedicti regula ed. *Woelfflin*. . .	1.60	2
Boetius de inst. arithm. ed. *Friedlein*	5.10	5
Boetius de consolatione ed. *Peiper*	2.70	
—— comm. in libr. Aristotelis περὶ ἑρμηνείας rec. *Meiser*. 2 voll. .	8.70	9
Bucolici Graeci ed. *Ahrens*. Ed. II	—.60	1
Caesar ed. *Dinter*. Ed. II min. . .	1.50	2
—— —— bell. Gall. Ed. II min. .	—.75	1
—— —— bell. civile. Ed. II min.	—.60	—.
Caesar ed. *Kübler*. bell. Gall. Ed. min.	—.75	1.
—— —— —— Ed. maior.	1.20	1.
—— —— bell. civ. Ed. min.	—.60	—.
—— —— —— Ed. maior.	—.90	1.
—— —— b. Alex. b. Afr. Ed. mai.	1.—	1.
—— —— —— Ed. min.	—.60	1.
—— —— b. Hisp. Fragm. Indices	1.50	1.
Callinici vita S. Hypatii	3.—	3.
Canabutzes ed. *Lehnerdt*	1.80	2.
Cassius Felix ed. *Rose*	3.—	3.
Cato ed. *Keil*.	1.—	1.
Catullus ed. *Müller*	—.45	—.
—— **Tibull., Propert.** ed. *Müller* .	2.70	3.
Cebetis tabula rec. *Praechter* . . .	—.60	—.
Chronica min. ed. *Frick*. 2 voll. Vol. I	6.80	7.
Cicero ed. *Müller*. 5 partes (=11 voll. = 37 fascc.) Pars I. 1. 2. ℳ 3.45. geb. ℳ 4.40. Pars II. 1—3 ℳ 6.30. geb. ℳ 7.80. Pars III 1.2. ℳ 7.80. geb. ℳ 9.—. Pars IV. 1—3. ℳ 6.30. geb. ℳ 7.80.	23.85	29.
—— orat. sel. ed. *Müller*. 2 partes	1.50	2.
—— —— edd. *Eberhard-Hirschfelder*	2.—	2.
—— epistolae ed. *Wesenberg*. 2 voll.	6.—	7
—— sel. ed. *Dietsch*. 2 partes	2.50	3.
Claudiani carmina ed. *Koch* . . .	3.60	4.
Cleomedes ed. *Ziegler*	2.70	3.
Comoed. Horat. ed. *Jahnke*	1.20	1.
Commodianus ed. *Ludwig*. 2 voll.	2.70	3.
[Constantinus] Inc. l. de C. Magno ed. *Heydenreich*	—.60	—.
Cornelius Nepos ed. *Fleckeisen* . .	—.30	—.
Cornutus ed. *Lang*	1.50	2.
Curtius Rufus ed. *Vogel*	1.20	1.
Damasus ed. *Ihm*	2.40	2.
Demetrius Cydonius ed. *Deckelmann*	1.—	1.
Demosthenes edd. *Dindorf-Blass*. 3 voll. (= 6 partes.) Ed. IV min.	4.50	6.
—— 3 voll. Ed. IV maior . .	7.20	8.
Dictys ed. *Meister*	1.50	2.
Dinarchus ed. *Blass*	1.—	1.
Dio Cassius ed. *Melber*. 5 vll. Vol. I. II	8.10	9.
Dio Chrysost. ed. *Dindorf*. Vol. II	2.70	
Diodorus ed. *Vogel*. 5 voll. Vol. I—III	11.20	13.
Dionysius Halic. ed. *Jacoby*. Vol. I-III	9.60	11.
—— opusc. rhet. edd. *Usener* et *Radermacher*. Vol. I.	6.—	6.
Diophantus ed. *Tannery*. 2 voll. .	10.—	11.
Dracontius ed. *Duhn*	1.20	1.
Epic. g. fragm. ed *Kinkel*. I. . .	3.—	3.5
Epic. poes. gr. ludib. corpusc. I. ed. *Brandt* et *Wachsmuth*. 2 voll	6.—	7.
Epictetus ed. *Schenkl*. Ed. minor	6.—	6.
Epictetus ed. Schenkl. Ed. maior .	10.—	10.

	geh. ℳ ₰	geb. ℳ ₰
Euclidis Elementa ed. *Heiberg.* 5 vll.	24.60	27.40
—— Data ed. *Menge.* Optica ed. *Heiberg*	10.—	11.20
—— Suppl. Ed. *M. Curtze*	6.—	6.60
Eudocia, Procl., Claud. ed. *Ludwich*	4.—	4.40
Eudocia violar. ed. *Flach*	7.50	8.20
Euripides ed. *Nauck.* 3 voll. Ed. III	5.70	7.20
Singulae tragoediae	—.30	—.60
Eusebius ed. *Dindorf.* 4 voll. . .	15.—	17.20
Eutropius ed. *Ruehl*	—.45	—.75
Fabulae Aesopicae ed. *Halm* . . .	—.90	1.30
—— Roman. ed. *Eberhard.* Vol. I	3.75	4.80
'avonius Eulog. de somn. Scip. ed. *Holder*	1.40	1.80
'irmicus Mat. edd. *Kroll, Skutsch.* I	4.—	4.50
'lorileg. Graec. Sing. fascc. (10)		—.50
'lorus ed *Rossbach.*	2.80	3.20
—— ed. *Halm.* **Ampelius** ed. *Woelfflin*	1.—	1.40
'rontini strategem. ed. *Gundermann*	1.50	1.90
'ulgentii opera rec. *Helm*	4.—	4.50
laius ed. *Huschke.* Ed. V	2.70	3.20
laleni scripta minora. 3 voll. . .	7.50	9.—
—— instit. logica ed. *Kalbfleisch* .	1.20	1.60
—— de victu atten. ed. *Kalbfleisch.*	1.40	1.80
lellius ed. *Hertz.* 2 voll. Ed. II	4.20	5.30
lemini elem. astronom. ed. *Manitius*	8.—	8.60
leoponica ed. *Beckh*	10.—	10.80
leorgius Cyprius ed. *Gelzer* . . .	3.—	3.50
lermanici Aratea Epigr. ed. *Breysig*	2.—	2.40
luilelmi Bles. Ald. ed. *Lohmeyer*	—.80	1.20
leliodorus ed. *Bekker*	2.40	2.90
lermippus dial. edd. *Kroll* et *Viereck*	1.80	2.20
lerodianus ed. *Bekker*	1.20	1.60
lerodotus edd. *Dietsch-Kallenberg.* 2 voll. (= 5 fascc.). Ed. II . .	2.70	3.60
lerondae mim. ed. *Crusius.* Ed. II	3.20	
—— Ed. III min.	2.40	2.80
leronis Alex. op. I. Suppl. Ed. *Schmidt*	12.—	13.20
—— —— II, 1 ed. *Nix* u. *Schmidt.*	8.—	8.60
lesiodus ed. *Flach*	—.45	—.75
lesychius Milesius ed. *Flach.* . .	—.75	1.10
lieroclis Synecdemus ed. *Burckhardt*	1.20	1.60
lieronymi de vir. ill. lib. ed. *Herding*	2.40	2.80
lipparchus Bith. ed. *Manitius* . .	4.—	4.60
lippocrates edd. *Kühlewein* et *Ilberg.* Vol. I	6.—	6.60
listor. Apoll. reg. Tyr. ed. *Riese.* Ed. II	1.40	1.80
listoriae Augustae scr. ed. *Peter.* 2 voll. Ed. II	7.50	8.60
listor. Gr. min. ed. *Dindorf.* 2 voll.	8.25	9.30
—— **Rom. fragm.** ed. *Peter* . . .	4.50	5.—
lomeri carm. ed. *Dindorf.* Ed. IV. Cum Sengebuschii dissert. Ilias	2.25	
—— —— —— Odyssea	2.25	
—— —— Ed. V cur. *Hentze.* Ilias. 2 partes	1.50	2.20
—— —— —— Odyssea. 2 partes.	1.50	2.20
—— —— ed. *Ludwich.* Odyss. 2 voll. Ed. min. Utrumque vol.	—.75	1.10
——] Iliadis carmina ed. *Koechly.*	3.—	3.60
loratius ed. *Müller.* Ed. II maior	1.—	1.40
—— —— Ed. II minor	—.75	1.10
lyginus gromaticus ed. *Gemoll* .	—.75	1.10
lymni Homerici ed. *Baumeister.* .	—.75	1.10
lyperides ed. *Blass.* Ed. III. . .	2.10	2.50
ambllchi Protrepticus ed. Pistelli	1.80	2.40
— de mathematica scient. ed. Festa	1.80	2.40
— de Nicom. arithm. ed. Pistelli.	2.40	2.80

	geh. ℳ ₰	geb. ℳ ₰
losephus, Fl., ed. *Naber.* 6 voll.	21.20	24.40
Isaeus ed. *Scheibe.*	1.20	1.60
Isocrates edd. *Benseler-Blass.* Ed. II. 2 voll.	2.70	3.60
Iuliani opera ed. *Hertlein.* 2 voll.	6.75	7.60
Iurisprudentiae anteiustinianae reliquiae ed. *Huschke.* Ed V.	6.75	7.40
—— —— —— Indices ed. *Fabricius*	1.80	
—— —— Supplementum	—.75	
—— antehadrianae qu. supers. ed. *Bremer.* I ℳ 5.— geb. ℳ 5.60. II. 1	8.—	8.60
Iustiniani institut. ed. *Huschke* . .	1.—	1.40
—— novellae ed. *Zachariae.* 2 voll.	10.50	11.60
—— —— appendix I. ℳ —.60. geb. ℳ 1.—. II.	1.20	1.60
Iustinus ed. *Rühl*	1.50	2.—
Iuvenalis ed. *Hermann*	—.45	—.75
Iuvenci libb. evang. ed. *Marold* . .	1.80	2.40
Livius edd. *Weissenborn-Müller.* 6 voll.	6.—	9.—
Vol. I—IV = 8 fascc.; sing. fascc.	—.60	1.—
—— —— lib. I et II	—.45	
Lucani de bello civ. libb. ed. *Hosius*	3.60	4.20
Lucianus ed. *Jacobitz.* 3 vll. (= 6 ptt.)	6.30	7.80
Lucretius ed. *Brieger.* Ed. II . .	2.10	2.50
Lycophron ed. *Kinkel*	1.80	2.20
Lycurgus ed. *Scheibe*	—.60	—.90
—— ed. *Blass.* Ed. maior	—.90	1.30
Lydus ed. *Wachsmuth.* Ed. II. . .	6.—	6.60
Lydus de mensib. ed. *Wünsch.* . .	5.20	5.60
Lyrica, Anthol., ed. *Hiller.* Ed. IV	3.—	3.60
Lysias ed. *Scheibe.* Ed. II	1.20	1.60
—— ed. *Thalheim.* Ed. maior . . .	3.—	3.60
Macrobius ed *Eyssenhardt.* Ed. II	6.—	6.60
Manethon ed. *Koechly.*	1.50	2.—
Manutius ed. *Fickelscherer*	1.50	2.—
Marcellus ed. *Helmreich*	3.60	4.20
Marci vita S. Porphyrii	2.40	2.80
Martialis ed. *Gilbert.* Ed. II . . .	2.70	3.20
Martianus Capella ed. *Eyssenhardt*	4.50	5.—
Maximus et Ammon ed. *Ludwich* .	1.80	2.20
Metrici scr. Gr. ed. *Westphal.* Vol. I	2.70	3.20
Metrologici scr. ed. *Hultsch.* 2 voll	5.10	6.—
Minucius Felix ed. *Baehrens* . . .	1.35	1.75
Musici scriptores Graeci ed. *Jan*	9.—	9.80
—— —— Suppl.: melod. reliquiae	1.20	1.60
Mythogr. Gr. I. Apollod. ed. *Wagner*	3.60	4.20
—— —— II 1. Parthen., Antonin. Lib.	2.40	2.80
—— —— III 1. Eratosthenis Catast.	1.20	1.60
Natur. rer. scr. Graeci ed. *Keller.* I.	2.70	3.10
Nicephori opuscc. hist. ed. *de Boor*	3.30	3.70
Nicephorus Blemm. ed. *Heisenberg*	4.—	4.40
Nicomachus ed. *Hoche*	1.80	2.20
Nonni Dionys. ed. *Koechly.* 2 voll.	9.—	10.—
—— paraphrasis ed. *Scheindler* . .	4.50	5.—
Odonis abb. Clun. Occup., ed. *Swoboda*	4.—	4.60
Onosandros ed. *Koechly.*	1.20	1.60
Orosius ed. *Zangemeister*	3.—	3.50
Ovidius edd. *Merkel-Ehwald.* 3 voll.	2.90	4.10
—— —— Tristia ℳ —.45. geb. ℳ —.75 Fasti.	—.60	—.90
—— metamorphos. del. ed. *Polle* .	—.60	—.90
Palladius ed. *Schmitt*	5.20	5.60
Panegyrici Lat. XII ed. *Baehrens*	3.60	4.20
Patr. Nicaen. nom. edd. Gelzer, al.:	6.—	[illegible]
Pausanias ed. Schubart. 2 voll. . .	3.60	[illegible]
Pelagonii ars veterinaria ed. Ihm.	2.40	[illegible]
Persius ed Hermann	—.80	[illegible]

	geh. M. Pf.	geb. M. Pf.
Phaedrus ed. *Müller*	—.30	—.60
Philodemi de musica libri ed. *Kemke*	1.50	2.—
— — voll. rhet. ed. *Sudhaus*. 2 vll. Sppl.	11.—	12.60
Philoponus de opif. mundi ed. *Reichardt*	4.—	4.60
— — de aetern. mundi ed. *Rabe*	10.—	10.80
Philostrati opera ed. *Kayser*. 2 voll.	8.25	9.25
— — imagg. edd. *Benndorf* et *Schenkl*	2.80	3.30
Physiogn. scr. rec. *Foerster*. 2 voll.	14.—	15.20
Pindarus ed. *Christ*. Ed. II.	1.80	2.20
Plato edd. *Hermann-Wohlrab*. 6 voll. (= 15 fascc.)	10.50	13.60
Plautus edd. *Goetz-Schoell*. Fasc. I. Amphitruo. Asinaria. Aulularia	1.50	2.—
— — II. Bacch. Capt. Casina	1.20	1.60
— — III. Cist. Curc. Epidicus	1.—	1.40
— — IV. *Men. Merc. *Mil. gl.	1.50	2.—
— — V. *Most. Persa. *Poen.	1.50	2.—
— — VI. *Pseud. *Rud. Stich.	1.50	2.—
— — VII. *Trin. Truc. Fragm.	1.50	2.—
— — Suppl.: de Pl. test. metr.	—.45	—.75
Sing. comoed. (*not. —.60. geb. M. —.90; rel.)	—.45	—.75
— ed. *Fleckeisen*. Vol. I. II.	2.70	
Plinii epistolae ed. *Keil*	1.20	1.60
— libb. dub. serm. rell. ed. *Beck*	1.40	1.80
— nat. hist. ed. *Jan-Mayhoff*. II—VI	22.—	24.70
Plinius et Gargilius Mart. ed. *Rose*	2.70	3.10
Plotinus ed. *Volkmann*. 2 voll.	9.—	10.10
Plutarchi vitae ed. *Sintenis*. 5 voll. (= 14 fasc.)	8.40	10.90
— moralia ed. *Bernardakis*. 7 voll.	28.—	32.20
Poet. Lat. min. ed. *Baehrens* 6 voll.	20.10	23.40
— **Rom. fragm.** ed. *Baehrens*	4.20	4.80
— **Latin.** eclogae ed. *Brandt*	1.—	1.40
— **Graec.** eclogae ed. *Stadtmüller*	2.70	3.20
Anth. a. röm. Dicht. v. *Mann*	—.60	—.90
Polemon ed. *Hinck*	1.—	1.40
Polyaenus edd. *Wölfflin-Melber*. Ed. II	7.50	8.—
Polybius edd. *Büttner-Dindorf* 3 voll.	10.80	12.60
Pomponius Mela rec. *Frick*	1.20	1.60
Porphyrion ed. *Meyer*	4.20	4.80
Porphyrii opp. sel. ed. *Nauck*. Ed. II	3.—	3.50
Priscianus, Theodorus, ed. *Rose*	5.—	5.60
Proclus ed. *Friedlein*	6.75	7.30
ed. *Kroll*. Vol. I	5.—	5.60
— Vol. II	8.—	8.60
Propertius ed *Müller*	—.60	—.90
Ptolemaei, Cl., opera. I. Syntax math. ed. *Heiberg*. P. I.	8.—	8.60
Quintiliani inst. ed *Bonnell*. 2 voll	2.40	3.25
— lib. X ed. *Halm*	—.30	—.60
— declamationes ed. *Ritter*	4.80	5.40
Quintus Smyrn. ed. *Zimmermann*	3.60	4.20
Rhetores Graeci ed *Spengel*. 3 voll.	9.60	
Ruhnkeni elog. *Hemsterh.*	—.45	—.75
Rutilius Namatianus ed. *Müller*	—.75	1.10
Sallustius ed. *Eussner*	—.45	—.75
Scaen. Rom. poes. frgm. ed. *Ribbeck*. Ed III 2 voll.	9.—	10.20
Scribonii Largi comp. ed. *Helmreich*	1.80	2.20
Senecae opp. philos. ed. *Haase*. 3 vll	8.10	10.—
— — (I. 2) de benef. de clem. ed. *Hosius*	2.40	2.80
— — (III) epistulae ed. *Hense*	5.60	6.20
— scripta rhetor. ed. *Kiessling*	4.50	5.—
Serenus ed. *Heiberg*	5.—	5.50

	geh. M. Pf.	geb. M. Pf.
Sidonius Apollinaris ed. *Mohr*	4.—	4.6
Silii Italici Punica ed. *Bauer*. 2 voll.	4.80	5.6
Simeon Sethus ed. *Langkavel*	1.80	2.2
Sophocles edd. *Dindf.-Mekler*. Ed. min.	1.35	1.8
— — Ed. maior	1.65	2.2
Singulae tragoediae	—.30	—.6
[—] Scholia vetera ed. *Papageorgius*	4.80	5.4
Soranus ed. *Rose*	4.80	5.4
Statius edd. *Klotz*, *Kohlmann*. 2 vll.	7.55	9.—
— **III. Lactant. Plac.** ed. *Jahnke*	8.—	8.6
Stobaei floril. ed. *Meineke*. Vol. IV	2.40	
— eclogae ed. *Meineke*. 2 voll.	6.—	7.—
Strabo ed. *Meineke*. 3 voll.	7.80	9.5
Suetonius ed. *Roth*	1.50	2.—
Syrianus ed. *Rabe*. 2 voll.	3.20	[illegible]
Tacitus ed. *Halm*. 2 voll. Ed. IV	2.40	3.2
Vol. I. Annales. Uterque fasc.	—.75	1.1
Vol. II. Fasc. I. Historiae	—.75	1.1
Vol. II. Fasc. II. Germ., Agric., dial.	—.45	—.7
Terentius ed. *Fleckeisen*. Ed. II	2.10	2.6
Singulae comoediae	—.45	—.7
— — Ed. I.	1.20	
[—] Scholia ed. *Schlee*	2.—	[illegible]
Testamentum, novum, Graece ed. *Buttmann*. Ed. V.	2.25	2.7
Themistius ed. *Spengel*. 2 voll.	6.—	7.3
Theodorus Prodromus ed. *Hercher*	—.50	[illegible]
Theon Smyrnaeus ed. *Hiller*	3.—	3.5
Theophrastus ed. *Wimmer*. Vol. III	2.40	
Theophylacti historiae ed. *de Boor*	6.—	6.[illegible]
Thiofridi vita Willibr. ed. *Rossberg*	1.80	2.[illegible]
Thucydides ed. *Boehme*. 2 voll.	2.40	3.[illegible]
Tibullus ed. *Müller*	—.30	—.[illegible]
Tryphiodorus et Colluthus ed. *Weinberger*	1.40	1.[illegible]
Ulpianus ed. *Huschke*. Ed. V.	—.75	1.1
Valerius Flaccus ed. *Baehrens*	1.50	2.—
Valerius, Iulius, ed. *Kuebler*	2.70	3.[illegible]
Valerius Maximus ed. *Kempf*.	4.50	[illegible]
Varronis rer. rustic. libb. ed. *Keil*	1.50	2.—
Vegetius ed. *Lang*. Ed. II	3.90	[illegible]
Velleius Paterculus ed. *Haase*	—.60	—.[illegible]
— — ed. *Halm*	1.—	1.[illegible]
Vergilius Maro ed. *Ribbeck*. Ed II	1.50	2.—
— Bucolica et Georgica	—.45	—.[illegible]
— Aeneis	—.90	1.[illegible]
ed. *Güthling*. 2 voll. Vol. I. Bucolica et Georgica	—.45	—.7
— — Vol. II. Aeneis	—.90	1.[illegible]
Virgilius gramm. ed. *Huemer*	2.40	2.[illegible]
Viror. clar. ep. ed. *Weber*	2.40	2.[illegible]
Vitae sanct. IX metr. ed. *Harster*.	3.—	3.[illegible]
Vitruvii de architectura libri X Iterum ed. *V. Rose*	5.—	[illegible]
Xenophontis expeditio Cyri ed. *Hug*. Ed. min.	—.75	1.[illegible]
— — ed. *Gemoll*. Ed. maior	1.20	1.[illegible]
— hist. Graeca ed. *Keller*. Ed. min.	—.90	1.[illegible]
— institutio Cyri ed. *Hug*. Ed. minor M. —.90. geb. M. 1.30. Ed. maior	1.50	2.[illegible]
— commentarii ed. *Gilbert*. Ed. min M. —.45. geb. M. —.75. Ed. maior	1.—	1.[illegible]
— scripta min. ed. *Dindorf*. 2 fascc	1.35	2.[illegible]
Zacharias Rhetor, Kirchengesch. v. *Ahrens* u. *Krüger*	10.—	10.[illegible]
Zonaras ed. *Dindorf*. 6 voll.	19.50	22.[illegible]

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.



